THEOLOGIA
DOGMATICO-POLEMICA,

QUA

ADVERSUS VETERES NOVASQUE HAERESES

EX

SCRIPTURIS, PATRIBUS, ATQUE ECCLESIASTICA HISTORIA,

CATHOLICA VERITAS

DEFENDITUR.

AUCTORE

P. CAROLO SARDAGNA

SOCIETATIS JESU,

IN EPISCOPALI LYCEO AD D. PAULI RATISBONÆ

THEOL. DOGMATICO-POLEMICÆ PROF. ORD.

ET EXAM. SYNODALI.

TOMUS VIII.

COMPLECTENS TRACTATUS VI. DE SACRAMENTIS PARTEM III.

IN QUA AGITUR DE SACRAMENTIS POENITENTIAE ET MATRIMONII.

Editio Secunda.

POLOCIÆ

TYPIS COLLEGII SOC. JESU. 1810.

CENSURA
ET
APPROBATIO.

Tomus iſte VIII. Theologiæ Dogmatico-Polemicæ, a R. P. Carolo Sardagna, Societatis Jesu Presbytero, & in hocce Epiſcopali Lyceo Profeſſore publico Ordinario egregie elaboratus, cum nihil Religioni aut bonis moribus repugnans in eo reperiatur, tuto ac utiliter typis mandari poterit. Datum in Curia Epiſcopali Ratisbonensi, die XVI. Auguſti, 1770.

ADAMUS ERNESTUS,
Episc. Abilanæ, Suffrag. &
Præses Conſiſt. Cons. Int.
Actual. & Cathedr. Eccles.
Canonicus Capitularis, m.p.

(L. S.)

Joannes Bapt. Kleirl.
SS. Theol. & J. U. Licent. Consil. Eccl. Act. Director Canc.
Authrte Aplca & Curiæ Episc.
publ. ac juratus Notarius,
m. p.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA W TORUNIU

493914

K. 594/77

INDEX
CONTROVERSIARUM

Quæ in Parte III. Tractatus VI.
de Sacramentis continentur.

ARTICULUS VII.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

CONTROVERSIA I.

AN POENITENTIA SIT VERUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM, A BAPTISMO, EJUSQUE MEMORIA DISTINCTUM? Num. 1.

CONCLUSIO I. Pœnitentia, ſeu ritus ille exterior, quo homini contrito & confeſſo peccata poſt Baptismum commiſſa miniſterio clavium remittuntur in Eccleſia Catholica, eſt verum novæ Legis Sacramentum. 5.

CONCLUSIO II. Pœnitentia eſt verum novæ Legis Sacramentum, a Baptismo, ejuſque memoria diſtinctum. 9.

QUÆSITUM I. Quænam ſit materia remota Sacramenti Pœnitentiæ? 12.

II. An omnia peccata poſt Baptismum commiſſa, ſint materia remota neceſſaria pœnitentiæ? 14.

III. An terrores conſcientiæ incuſſi, & fides ex Evangelio concepta in ſenſu Lutheri, aut mortificatio & vivificatio in ſenſu Calvini, ſint materia proxima, ſeu partes Sacramenti Pœnitentiæ? 16.

IV. An impoſitio manuum ſit materia proxima? 17.

V. Quænam ergo ſit materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ? 20.

VI. An ſatisfactio ſit pars eſſentialis, ſicut Contritio & Confeſſio? 23.

VII. Quænam ſit forma Sacramenti Pœnitentiæ? 25.

VIII. An in Latina & Græca Eccleſia ſemper fuerit in uſu forma indicativa, vel deprecativa? 26.

IX.

IX. An ad valorem Sacramenti perinde ſit, ſpectata inſtitutione Chriſti, ſi vel deprecativa vel indicativa ſit forma abſolutionis? 28.

X. An Sacramentum Pœnitentiæ ab uno eodemque homine ſæpius poſsit ſuſcipi, ſi in nova peccata poſt Baptiſmum labatur? 31.

XI. An Sacramentum Pœnitentiæ iterari poſſit etiam circa peccata in Confeſſione jam exposita & remiſſa? 32.

XII. An Pœnitentia ut virtus, ſit, ſemperque fuerit lapſis in peccatum mortale neceſſaria ad vitam æternam adipiſcendam? 34.

XIII. An, & quanam neceſſitate neceſſarium ſit Sacramentum Pœnitentiæ? 36.

XIV. Utrum peccata venialia remitti poſſint absque pœnitentia? 38.

CONTROVERSIA II.

AN CHRISTUS ECCLESIÆ AUCTORITATEM DEDERIT IN SACRAMENTO POENITENTIÆ VERE AC PROPRIE REMITTENDI DISPOSITIS OMNIA PECCATA, ITA UT NULLUM SIT IN HAC VITA CRIMEN IRREMISSIBILE? 49.

Conclusio I. Chriſtus Eccleſiæ ſuæ conceſſit auctoritatem remittendi diſpoſitis in Sacramento Pœnitentiæ omnia prorſus peccata quantumcunque gravia, in hac vita commiſſa. 52.

Conclusio II. Eccleſia a Chriſto poteſtatem accepit, non tantum diſpoſitis declarandi in Sacramento Pœnitentiæ peccata eſſe remiſſa; ſed etiam vere ac proprie illa remittendi. 58.

CONTROVERSIA III.

AN CONTRITIO PERFECTA NON TANTUM IN CASU NECESSITATIS, SED SEMPER PECCATOREM JUSTIFICET, ETIAM ANTEQUAM ACTU PERCIPIATUR SACRAMENTUM POENITENTIÆ? 78.

Conclusio I. Contritio perfecta non tantum in caſu neceſſitatis, ſed ſemper hominem Deo reconciliat, etiam antequam actu percipiatur Sacramentum Pœnitentiæ. 83.

Conclusio II. Contritio perfecta, quamtumvis remiſſa & non ita intenſa, juſtificat peccatorem extra Sacramentum Pœnitentiæ, modo ſit appretiative ſumma, atque ex motivo Dei propter ſe ſuper omnia dilecti eliciatur? 88.

CONTROVERSIA IV.

AN ATTRITIO CONCEPTA EX TIMORE POENÆ ÆTERNÆ, SIT BONA, HONESTA, ET SUPERNATURALIS? 104.

CONCLUSIO I. Attritio concepta ex timore pœnæ æternæ, eſt utilis, honeſta, & ſupernaturalis. 108.

CONCLUSIO II. Attritio ex ſolo metu pœnæ æternæ concepta, poteſt eſſe abſolute efficax, & poſitive excludere omnem voluntatem peccandi. 114.

QUÆSITUM I. An attritio ex ſolo metu gehennæ concepta, absque omni actu dilectionis Dei propter ſe, ad obtinendam remiſſionem mortalium in Sacramento Pœnitentiæ ſufficiat? 121.

II. An contritio perfecta ſit diſpoſitio neceſſario prærequiſita ad obtinendam juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ? 125.

III. An ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ neceſſario prærequiratur charitas actualis imperfecta, qua Deus propter ſe ſuper omnia diligitur, ſed in gradu remiſſo, ut Galli aliqui & Belgæ ſentiunt? 127.

IV. An ad illam prærequiratur amor, non quidem amicitiæ, ſed benevolentiæ, quo Deus propter ſe ſuper omnia diligatur; abſtractione tamen facta proprii amantis commodi, hoc eſt independenter a redamatione Dei? 128.

V. An, & quænam dilectio Dei requiratur in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem mortalium? 132.

CONTROVERSIA V.

AN CONFESSIO SACRAMENTALIS OMNIUM MORTALIUM SACERDOTIBUS FACIENDA SIT EX PRÆCEPTO CHRISTI? 148.

CONCLUSIO I. Antiquiſſimus & perpetuus fuit Sacramentalis Confeſſionis uſus in Eccleſia Chriſti omnium peccatorum gravium, tam publicorum quam occultorum. 153.

CONCLUSIO II. Confeſſio Sacramentalis diſtincta omnium peccatorum gravium, eſt lapſis poſt Baptismum neceſſaria, & præcepta jure divino. 164.

QUÆSITUM I. An Confeſſio Sacramentalis omnium peccatorum gravium ſit omnibus Chriſtianis uſum diſcretionis habentibus præſcripta etiam jure Eccleſiaſtico? 171.

II. An Eccleſiaſtico præcepto annuæ Confeſſionis urgeantur, qui levia ſolum peccata illo anno commiſerunt? 172.

III. Quinam in Canone XXI. Lateranenſis IV. Concilii veniat nomine *proprii Sacerdotis*, apud quem ſingulis annis Confeſſio Sacramentalis ſit facienda? 174.

IV. An Canoni *Omnis utriusque ſexus* ſatisfaciant ii fideles, qui annuam Confeſſionem faciunt Sacerdoti non parocho, ſive

sive seculari sive regulari, non requisito etiam Parochi consensu, immo eo contradicente? 176.
V. An publica Confessio occultorum criminum fuerit umquam Ecclesiastica lege præcepta? 178.
VI. An publicorum saltem criminum publica Confessio fuerit Ecclesiastica lege præcepta? 181.

CONTROVERSIA VI.

AN ABSOLUTIONEM SACRAMENTALEM NECESSARIO PRÆCEDERE DEBEAT SATISFACTIO? 202.

Conclusio I. Neque ex necessitate Sacramenti, neque præcepto Christi, per se loquendo necessarium est, ut satisfactio a pœnitente ante absolutionem impleatur? 204.
Conclusio II. Verisimilius est, quo tempore in usu fuit pœnitentia publica, Sacramentalem a peccatis absolutionem lege communi & ordinaria datam fuisse aut statim aut paulo post Confessionem, ante expletam pœnitentiam: ideoque ultimam illam absolutionem, quæ pœnitentia perfunctis concedebatur, fuisse potissimum reconciliationem cum Ecclesia quoad oblationes, & participationem Eucharistiæ. 210.

CONTROVERSIA VII.

DE SATISFACTIONE. 220.

Conclusio I. Post condonatam culpam ac pœnam æternæ mortis, sæpissime adhuc supereſt pœna temporalis persolvenda. 222.
Conclusio II. Pœna temporalis, quæ post remissam culpam luenda remanet, redimi potest bonis operibus, saltem ordinarie. 228.
Conclusio III. Homo justus vere potest Deo satisfacere pro reatu pœnæ temporalis, ita ut opera pia sint compensatoria pœnæ temporalis pro peccato dimisso debitæ. 231.
Conclusio IV. Satisfactio est lapsis jure divino necessaria, non solum ad aliorum exemplum & reconciliationem cum Ecclesia; verum etiam ad reparandam injuriam per peccata præcedentia Deo illatam, & ad redimendam pœnam temporalem, quæ post remissionem culpæ & pœnæ æternæ remanet luenda vel in hac vel in altera vita. 232.
Conclusio V. Sacerdos potest, & tenetur, per se loquendo, satisfactionem pœnitenti imponere. 235.
Conclusio VI. Satisfactio non pro mero libito Confessarii, sed pro gravitate criminis injungenda est. 236.
Conclusio VII. Pœnitens tenetur rationabilem pœnitentiam a Sacerdote injunctam acceptare, & acceptatam implere. 238.

Quæ-

Quæsitum I. An homo juſtus poſſit de condigno ſatisfacere pro pœna temporali, quæ condonato reatu culpæ & pœnæ æternæ luenda ſupereſt? 239.
II. An Satisfactio de condigno hominis juſti pro pœna temporali ſit ad omnes juſtitiæ apices exacta? 241.

APPENDIX

DE POENITENTIA PUBLICA IN VETERI ECCLESIA. 247.

Quæsitum I. An & quænam pœnitentia in veteri Eccleſia viguerit usque ad tempora Novatianæ hæreſis? 248.
II. Quandonam inſtituta fuerit pœnitentia ſolemnis? 249.
III. Quot, & quinam fuerint gradus, ſeu ſtationes ſolemnis pœnitentiæ? 250.
IV. An æquale tempus pœnitentiæ ſolemnis ſtatutum fuerit pro omnibus: & an omnes pœnitentes quatuor has ſtationes neceſſario percurrere dabuerint? 251.
V. Quænam pœnæ ſolemnem pœnitentiam agentibus fuerint impoſitæ? 252.
VI. An pœnitentia ſolemnis ab eodem iterari potuerit? 253.
VII. Quinam ſolemnem pœnitentiam in veteri Eccleſia impoſuerit, ac pœnitentes Eccleſiæ reconciliarit? 254.
VIII. Quonam anni tempore, & quo ritu impoſita fuerit in veteri Eccleſia ſolemnis pœnitentia? 255.
IX. Quonam anni tempore, & quo ritu fideles, expleta legitima pœnitentia, Eccleſiæ fuerint reconciliati? 256.
X. An clerici immunes fuerint a ſolemni pœnitentia? 257.
XI. An cujusvis peccati mortalis reos Eccleſia publicæ pœnitentiæ addixerit? 262.
XII. An peccata occulta ſubjecta fuerint pœnitentiæ publicæ ac ſolemni? 267.
XIII. An multi in veteri Eccleſia publicam ac ſolemnem pœnitentiam egerint? 273.
XIV. Quandonam publica ac ſolemnis pœnitentia abrogata fuerit? 274.

CONTROVERSIA VIII.

DE INDULGENTIIS. 275.

Conclusio. Eccleſia a Chriſto accepit poteſtatem conferendi Indulgentias; eaque poteſtate conſtanter ac perpetuo fuit uſa. 288.
Quæsitum I. Ex quorum meritis ſpiritualis ille theſaurus Eccleſiæ coaleſcat? 294.
II Quomodo ſatisfactiones Sanctorum ad Eccleſiæ theſaurum concurrant? 297.

III. An

III. An Indulgentiæ liberent hominem a pœna temporali, non ſolum coram Eccleſia, ſed etiam coram Deo? 299.
IV. An Indulgentia remittat pœnam temporalem, tam illam quæ a Sacerdote injuncta eſt, quam quæ per Canones eſſet injungenda? 300.
V. An Indulgentiæ ſint utiles omnibus fidelibus, etiam perfectis? 302.
VI. Ad quem proprio jure pertineat publicas, ſolemnes, ac plenarias Indulgentias concedere. 304.
VII. An ad valorem Indulgentiarum requiratur cauſa juſta? 307.
VIII. Quid ex parte ſuſcipientis requiratur ad lucrandas Indulgentias? 311.
IX. An ad Indulgentiam lucrandam requiratur etiam Confeſſio Sacramentalis? 312.
X. An ad lucrandam Indulgentiam plenariam requiratur etiam propoſitum & ſollicitudo ſatisfaciendi Deo per opera bona & ſatisfactoria, facultati & infirmitati propriæ peccatoris proportionata; ita ut proportione hujus ſollicitudinis percipiatur major vel minor Indulgentiæ fructus? 313.
XI. An Indulgentiæ proſint non viventibus modo, ſed etiam mortuis? 315.
XII. An Indulgentiæ defunctis, quibus applicantur, proſint ex condigno, vel ex congruo? 320.

ARTICULUS VIII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CONTROVERSIA I.

AN MATRIMONIUM RES SIT LICITA, AC VERUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM? 327.

CONCLUSIO I. Matrimonium eſt de ſe licitum & honeſtum. 334.
CONCLUSIO II. Matrimonium fidelium legitimo ritu celebratum, eſt verum novæ Legis Sacramentum. 335.
QUÆSITUM I. An actus conjugalis, ſolius delectationis cauſa exercitus, ſit licitus & honeſtus? 339.
II. An actus conjugalis, qui exercetur ad vitandam ſolummodo incontinentiam, vel illius periculum, licitus ſit & honeſtus? 340.
III. Quænam ſit materia Sacramenti Matrimonii? 345.
IV. Quænam ſit hujus forma? 347.
V. Quinam ſit miniſter Sacramenti Matrimonii? 354.

CON-

CONTROVERSIA II.

DE UNITATE MATRIMONII. 365.

CONCLUSIO I. Bigamia, ſive ſecundæ nuptiæ ab Eccleſia tam Græca quam Latina habitæ fuerunt ſemper de ſe tamquam licitæ ac legitimæ, adeoque tamquam verum Sacramentum. 367.

CONCLUSIO II. Trigamia & tetragamia, id eſt, tertiæ & ulteriores nuptiæ de ſe, ſi nullum adſit impedimentum canonicum, licitæ ſunt ac legitimæ. 371.

CONCLUSIO III. In Eccleſia Græca trigamia plerumque, tetragamia ſemper illicita & invalida eſt; non jure divino, ſed Eccleſiaſtico, idque a ſæculo X. 373.

CONCLUSIO IV. Polygamia ſimultanea in Lege Evangelica eſt illicita & invalida. 375.

CONCLUSIO V. Poſt diluvium tamen, & ante Legem Evangelicam, ex diſpenſatione divina licitum erat viris plures ſimul uxores habere. 376.

QUÆSITUM I. An polygamia ante adventum Chriſti licita fuerit etiam Gentilibus, ipſisque poſtea a Chriſto prohibita? 381.

II. An conjugium viri cum pluribus ſimul fœminis initum, ſit non tantum jure divino poſitivo ſed etiam naturali illicitum atque invalidum? 383.

CONTROVERSIA III.

DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII. 394.

CONCLUSIO. Matrimonium conſummatum fidelium nulla umquam de cauſa, ne adulterii quidem, diſſolvi poteſt quoad vinculum. 398.

QUÆSITUM I. An Matrimonium infidelium, non ratum modo, ſed etiam conſummatum, in nullo caſu poſſit diſſolvi quoad vinculum? 406.

II. An Matrimonium fidelium dirimatur per lapſum unius in hæreſim, vel idololatriam, aut aliam quamcunque ſectam a Chriſto alienam; ita ut innocens conjux poteſtatem habeat novum cum alia ineundi conjugium? 408.

III. An in Lege veteri per libellum repudii matrimonia Judæorum diſſoluta fuerint etiam quoad vinculum, ita ut uxor repudiata & licite & valide alteri nubere potuerit? 410.

IV. An Matrimonium ſit per ſe jure naturæ omnino perpetuum, atque indiſſolubile? 414.

V. An matrimonium non ratum modo, ſed etiam conſummatum dirimi poſſit quantum ad thorum & cohabitationem, non tantum ob crimen adulterii, ſed etiam ob plures alias juſtas graveſque cauſas? 417.

VI. An

VI. An Matrimonium ratum baptizatorum in nullo caſu dirimatur quoad vinculum? 420.
VII. Quonam jure Matrimonium ratum immediate dirimatur quoad vinculum per ſolemnem profeſſionem in religione approbata? 424.

CONTROVERSIA IV.

AN ECCLESIA POSSIT STATUERE IMPEDIMENTA MATRIMONII FIDELIUM? 438.

CONCLUSIO. Eccleſia jure ſuo utitur, dum ſtatuit impedimenta Matrimonii fidelium. 440.
QUÆSITUM I. An Princeps infidelis pro ſubditis ſuis infidelibus, aut etiam Princeps fidelis pro ſubditis ſuis infidelibus poſſint introducere impedimenta matrimonium dirimentia? 444.
II. An Princeps laicus fidelis poſſit pro ſubditis ſuis fidelibus impedimenta ſtatuere; ita ut quamvis ejusmodi conjugia ſint valida quoad Sacramentum & vinculum, habeantur tamen pro invalidis quantum ad effectus aliquos civiles? 445.
III. An Princeps laicus fidelis poteſtatem habeat pro ſubditis ſuis fidelibus ſtatuendi impedimenta, quæ Matrimonium dirimant in ratione Sacramenti? 446.
IV. An Princeps laicus fidelis poteſtatem habeat pro ſubditis ſuis fidelibus ſtatuendi impedimenta, quæ Matrimonium dirimant. non quidem ut Sacramentum, ſed prout eſt contractus civilis, & quoad ipſum vinculum conjugale? 447.
V. An Princeps infidelis poſſit impedimenta Matrimonium dirimentia ſtatuere pro ſubditis ſuis fidelibus? 449.



TRA-

TRACTATUS VI.

DOGMATICO-POLEMICI DE SACRAMENTIS

PARS III.

DE SACRAMENTIS POENITENTIÆ ET MATRIMONII.

ARTICULUS VII.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

CONTROVERSIA I.

AN POENITENTIA SIT VERUM NOVAE LEGIS SACRAMENTUM, A BAPTISMO EJUSQUE MEMORIA DISTINCTUM?

CONTRA PROTESTANTES.

Pœnitentia in genere quid sit?

1. Poenitentia idem Latinis sonat, quod Græcis μετανοια, triaque apud divinos, & Ecclesiasticos Scriptores significat. Imo Prioris vitæ mutationem, seu resipiscentiam. Isaiæ Cap. I. v. 16. *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse, discite benefacere.* II. Odium & detestationem vitæ prioris, seu intimum animi dolorem. Joelis Cap. II. *Convertimini ad me in toto corde vestro. - - Scindite corda vestra.* III. Poenam, seu punitionem, quam in vindictam & expiationem male actæ vitæ, peccator vel ultro sibi imponit, vel impositam lubenti animo sustinet. Job Cap. ult. *Ago pœnitentiam in favilla & cinere.* Lucæ Cap. X. *Si in Tyro & Sidone*

& Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilitio & cinere sedentes pœniterent. Et S. Augustinus Serm. CCCLI. alias Hom. L. ait: *Non sufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* Tria hæc eleganter complectitur Lactantius Institut. divin. Lib. VI. Cap. XXIV. *Is quem facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit: ideoque Græci melius & significantius μετανοιαν dicunt, quam nos possimus resipiscentiam dicere; resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque se ipsum dementiæ, & confirmat animum ad rectius vivendum: tum illud ipsum maxime cavet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur.*

Pœnitentia ut virtus quid sit?

2. Poenitentia considerari potest ut virtus, vel ut Sacramentum. Priori modo spectata definiri potest: Virtus moralis infusa, inclinans peccatorem ad detestationem & dolorem proprii peccati, quatenus est offensa Dei, cum efficaci emendationis ac satisfactionis proposito. Dicitur I^mo *Virtus*, est enim habitus quidam voluntarius & liber, secundum rectam rationem, quæ dictat dolendum esse de peccatis, quatenus Deum offendunt, summum illud atque immutabile bonum. II. *Moralis*, quia non habet immediate Deum pro objecto, sed satisfactionem ipsi debitam, & exhibendam. III. *Infusa*, quam Deus in nobis, sine nostra principali operatione, non tamen sine nostra dispositione & cooperatione operatur. Ad virtutem enim Poenitentiæ pervenire peccator non potest, nisi in illo præcesserit motus fidei, spei, timoris, & charitatis. Atqui hos motus, cum sint supernaturales, ciere homo non potest, nisi gratia accesserit; adeoque nec virtutem Poenitentiæ sibi comparare. Porro notandum est, quod Poenitentiæ virtus non infundatur quoad habitum ante justificationem; quia virtutes morales non ita infunduntur ante gratiam sanctificantem & charitatem, utpote illarum appendices, sed

tantum

tantum quoad actum; quia peccator movetur ad poenitentiam per gratiam Spiritus Sancti, nondum quidem inhabitantis, sed assistentis, & disponentis ad justificationem. At vero in ipsa justificatione cum gratia sanctificante & charitate infunditur etiam habitus Poenitentiæ, cujus effectus sunt displicentia de peccatis in justificatione jam deletis, quoties illa memoriæ occurrunt, præservatio hominis a peccatis futuris, remedium contra quotidiana peccata venialia, & remissio poenæ temporalis indirecte ac mediate; poenitentia enim hominem urget ad promptius Deo satisfaciendum pro peccatis commissis. Ex his colliges, habitum Poenitentiæ non fuisse infusum cum cæteris virtutibus in animam Christi; quia nec peccavit, nec peccare potuit: contra vero per Baptismum infundi in parvulis, non quidem propter peccatum originale; cum enim voluntate physice propria contractum non fuerit, de eo non potest esse poenitentia proprie dicta; sed infundi propter mutabilitatem voluntatis humanæ, quæ, quamdiu in hac mortali vita versamur, semper deficere potest. IV. *Inclinans peccatorem ad detestationem & dolorem proprii peccati.* Cum enim poenitere nihil aliud sit, quam ad sanam mentem redire, quæ alteri competere nequeunt, ac illi qui se male egisse cognoscit, patet de peccato alterius poenitentiam nos agere non posse, sed tantum dolere. V. *Quatenus est offensa Dei;* quia Poenitentia, utpote species quædam justitiæ, est ad alterum, tenditque ad abolendam offensam Deo illatam, & pro ea fatisfactionem exhibendam. VI. *Cum emendationis propositio;* ut nimirum distinguatur a tristitia sæculi, quæ mortem operatur, animum dejicit, nec ad meliorem frugem convertit. VII. *Efficaci;* Ut enim Tertulianus scribit Lib. de Poenitentia, Cap: II. *Ubi emendatio nulla, pœnitentia necessario vana; quia caret fructu suo, cui Deus eam sevit, id est, hominis saluti.*

Pœnitentia ut Sacramentum.

3. Poenitentia prout Sacramentum est, definiri solet a Theologis: Sacramentum a Christo Domino institutum,

tum quid sit?

ſtitutum, quo per juridicam Sacerdotis absolutionem, homini contrito, confesso, & satisfactionem promittenti, remittuntur peccata poſt baptismum commissa. Sensus definitionis ex dicendis toto hoc Articulo facile innotescet. Sacramentum hoc apud Patres varia habuit nomina. Interdum appellatur manuum impositio a ritu, quo peccatores olim reconciliari consueverant. Ut autem hæc ab ea secerneretur, quæ fieri solet in Confirmatione, vel Ordine, impositio manuum reconciliatoria dicta eſt. Exomologesim tum Græci, tum etiam Latini Patres frequenter appellant, desumpto nomine ab aliqua ejus parte, nempe confessione. Eam quoque vocant vel secundam tabulam poſt naufragium, vel baptismum laboriosum, vel medelam delictorum, vel demum pacem & reconciliationem.

Lutheri & Proteſtantium error.

4. Quamvis primis jam sæculis errores varii sint exorti circa Ecclesiæ poteſtatem remittendi omnia peccata, nullus tamen hæreticorum inficiari ausus eſt ante Lutherum, Pœnitentiam verum esse ac legitimum novæ Legis Sacramentum. Lutherus itaque adversus hujus Sacramenti veritatem & exiſtentiam omnium primus vexillum erexit. Quamvis enim Lib. de Captivit. Babyl. Pœnitentiam inter vera Sacramenta reponere videatur, dum ait: *Principio neganda mihi ſunt ſeptem Sacramenta, & tantum tria pro tempore ponenda, Baptiſmus, Pœnitentia, Panis;* in ejusdem tamen Libri fine, pro sua in rebus fidei inconſtantia, quod antea affirmaverat revocat, scribens: *Proprie ea Sacramenta vocari viſum eſt, quæ annexis ſignis promiſſa ſunt: quo fit, ut ſi rigide loqui velimus, tantum duo ſint in Eccleſia Dei Sacramenta, Baptiſmus, & Panis; cum in his ſolis & inſtitutum divinitus ſignum, & promiſſionem remiſſionis peccatorum videamus. Nam Pœnitentiæ Sacramentum, quod ego his duobus accenſui, ſigno viſibili & divinitus inſtituto caret: & aliud non eſſe dixi, quam viam & reditum ad Baptiſmum.* Philippus Melanchton, Magiſtro suo Luthero minime conſtantior, Pœnitentiam verum esse novæ Legis Sacramentum

modo

modo asserit, modo negat. Negat id in Locis communibus A. 1522. editis; asserit in Apologia Confessionis Augustanæ; ibi enim Poenitentiam Sacramentum appellat, aitque eam habere ritum divinitus institutum, & gratiæ promissionem, eamque cum Baptismo ac Coena Domini conjungit, quæ duo sunt omnium consensu Sacramenta vere & proprie talia. Lutheri sectatores, Illyricus, Kemnitius, Selneccerus, Wigandus, Gerardus, aliique, negant cum Zwinglio, Calvino, Beza, Poenitentiam esse Sacramentum a Baptismo distinctum, cujus memoria, propter apprehensionem justitiæ Christi per fidem, peccata Baptismum subsequentia remittit. Ex quo duo maxime inferunt. I^mo. Peccata post baptismum commissa eadem facilitate deleri, ac illa quæ baptismum præcesserunt. II. Nullas superesse poenas luendas ob peccata remissa post baptismum, quemadmodum nullæ supersunt, quando peccata in baptismo condonantur: immo Deum hujusmodi poenis placari non posse, sed irritandum magis, quod cum efficacia mortis Christi satisfactiones nostræ aperte pugnent.

Pœnitentiam verum esse N. L. Sacramentum, ostenditur ex Scripturis.

5. Conclusio I. Poenitentia, seu ritus ille exterior, quo homini contrito & confesso peccata post Baptismum commissa ministerio clavium remittuntur in Ecclesia Catholica, est verum novæ Legis Sacramentum. Prob. Conclusio hæc dogmatica I^mo. Auctoritate Scripturarum. Matth. Cap. XVI. ait Christus ad Petrum: *Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Joannis Cap. XX. potestatem clavium omnibus Apostolis communicavit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis; Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex quibus locis hoc argumentum instruitur. Ritus externus sensibilis, stabiliter a Christo institutus, annexum habens divinum mandatum & gratiam sanctificantem, est verum novæ Legis Sacramentum. Atqui talis ritus est Poenitentia, prout in Ecclesia Catholi-

ca administratur. Ergo Poenitentia est verum novæ Legis Sacramentum. Major etiam a Protestantibus admittitur, utpote qui non alia ratione probant Baptismum & Coenam vera esse novæ Legis Sacramenta. Minor ostenditur. Nam Imo Poenitentia est ritus externus sensibilis; quia homo poenitens peccata omnia, quorum memoriam habet, Sacerdoti humili confessione aperit: & Sacerdos causa cognita ac diligenter discussa, sententiam fert absolvendo aut ligando. II. Ritus hic stabiliter est a Christo institutus; quia cum Christus Ecclesiæ Præpositis Joan. Cap. XX. auctoritatem impertivit dimittendi peccata, eam certo temporis spatio non circumscripsit. III. Annexum habet divinum mandatum. Quemadmodum enim in verbis illis Matth. Cap. XXVIII. *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* præceptum Domini intelligimus, sine quo Baptismus non foret Sacramentum; ita etiam in verbis illis Joan. Cap. XX. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. - - - Quorum remiseritis peccata &c.* mandatum continetur in favorem aut condemnationem reorum, Sacerdotum ministerio in perpetuum adimplendum. IV. Conjunctam etiam habet gratiæ promissionem; ritus enim absolvendi conjunctam habet remissionem peccatorum, quæ in hoc rerum ordine ac providentia fieri nequit, quin gratia sanctificans infundatur.

Patribus. 6. Prob. II. Auctoritate Patrum. Origenes Hom. II. in Leviticum ait: *Non erubescit peccator Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam.* S. Cyprianus Tract. de Lapsis, Cap. XII. *Confiteantur singuli delictum suum, - - - - dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.* S. Chrysost. Lib. III. de Sacerdotio: *Qui terram incolunt, atque in ea versantur, his commissum est, ut ea quæ in cœlis sunt, dispensent: iis datum est ut potestatem habeant, quam Deus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit; neque enim ad illos dictum est: Quæcunque alligaveritis in terra, erunt alligata & in cœlo.*

Habent

Habent quidem & terreſtres Principes vinculi poteſtatem, verum in corpus ſolum; id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad cælos uſque pervadit; uſque adeo ut quæcunque inferne Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus ſuperne rata habeat, ac ſervorum ſententiam Dominus confirmet. S. Ambr. Lib. I. de Poenit. Cap. VIII. *Quid intereſt, utrum per Pœnitentiam, an per Lavacrum hoc jus ſibi datum* (remittendi peccata) *Sacerdotes vindicent? Unum in utroque myſterium eſt. Sed dicis quia in Lavacro operatur myſteriorum gratia. Quid in Pœnitentia? Nonne Dei nomen operatur?* S. Hieron. Epiſt. I. ad Heliodorum Poenitentiam cum Baptismo comparans, inquit: *Abſit, ut de his quidquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt; per quos & nos Chriſtiani ſumus, qui claves regni cælorum habentes, quodammodo ante diem judicii judicant.* S. Auguſt. Lib. I. de Adulterinis conjugiis, Cap. XXVIII. *Quæ Baptiſmatis, eadem reconciliationis eſt cauſa.* S. Leo M. Epiſt. XCI. ad Theodorum Forojuliensem: *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eosdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent: cui utique operi inceſſabiliter ipſe Salvator intervenit, nec umquam ab his abeſt, quæ miniſtris ſuis exequenda commiſit.* Victor Vitensis Lib. II. de Persecut. Vandalica, populos inducit his vocibus Sacerdotes qui in exilia mittebantur, alloquentes: *Quibus nos miſeros relinquitis, dum pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi ſunt parvulos fontibus aquæ perennis? Qui nobis munus Pœnitentiæ collaturi ſunt, & reconciliationis indulgentia obſtrictos peccatorum vinculis ſoluturi? Quia vobis dictum eſt: Quæcunque ſolveritis ſuper terram &c.*

7. Prob. III. Auctoritate Conciliorum, tum Florentini, quod in Decreto pro Armenis inter Sacramenta novæ Legi Poenitentiam quarto loco recenset: *Conciliis.*

tum etiam Tridentini, quod Seſs. XIV. Can. I. ita ſtatuit: *Siquis dixerit, in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe vere & proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, a Chriſto Domino noſtro inſtitutum: anathema ſit.* Et Can. III. *Siquis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt: non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit: detorſerit autem contra inſtitutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium; anathema ſit.*

Et argumento præſcriptionis.

8. Prob. IV. Argumento Præscriptionis. Sæculo XVI, quo Lutherus, Zwinglius, Calvinus, aliique novatores adversus doctrinam Ecclesiæ Catholicæ insurrexerunt, res erat per omnes Orientis & Occidentis provincias communi consensione recepta, Poenitentiam esse verum novæ Legis Sacramentum, ut patet ex Confessionibus Jeremiæ CPolitani, Gabrielis Philadelphiensis, Meletii Alexandrini, variisque Synodis in Oriente adversus Cyrillum Lucarim habitis. Atque hæc fides omnium retro temporum fuit, ut demonſtrant clarissima Patrum teſtimonia, antiquissimi Rituales libri, atque ex ipso Proteſtantium silentio dignoscitur, qui toties provocati oſtendere hactenus probabili ratione nequiverunt, Poenitentiæ Sacramenti doctrinam de novo in Ecclesiam irrepsisse. Ergo Poenitentiam verum esse Sacramentum, a Chriſto revelatum eſt, atque ab Apoſtolis traditum; de fonte enim veritatis descendit, quod ubique & semper ab omnibus eſt retentum.

Pœnitentiam verum eſſe Sacramentum diſtinctum a Baptiſmo ejuſque memoria, e-

9. Conclusio II. Poenitentia eſt verum novæ Legis Sacramentum, a Baptismo ejusque memoria diſtinctum. Prob. Conclusio hæc dogmatica I^mo^ Auctoritate Scripturæ, quæ clare diſtinguit Baptismum inter & Poenitentiam, tamquam inter duo plane diversa, utpote quæ seorsim sint a Chriſto inſtituta & præscripta. Baptismum quippe Chriſtus ante passionem

suam

suam instituit Joan. Cap. III. & exinde discipuli ejus baptizarunt. Joan. Cap. IV. *Quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus.* At vero Poenitentiæ Sacramentum Christus primum post Resurrectionem suam instituit Joan. Cap. XX. Præterea quamvis in Scripturis legamus exempla eorum, qui post Baptismum in gravia peccata sunt lapsi, ut v. g. Simonis Magi Act. Cap. VIII. & Corinthii incestuosi I. ad Cor. Cap. V; nusquam tamen legimus, eos remissos fuisse ad Baptismum, ejusque memoriam. Imo Petrus ad Simonem Magum dixit: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua: & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Et Paulus incestuosum anathemate percussit; tum vero poenitentiæ laboribus purgatum II. ad Cor. Cap. II. Ecclesiæ communioni restituit. *vincitur ex Scripturis.*

10. Prob. II. Auctoritate Patrum, qui docent, lapsis post Baptismum patere secunda subsidia; Deumque diversam a Baptismo medicinam præparasse expiandis peccatis, per Sacerdotum ministerium applicandam. Tertul. Lib. de Poenit. Cap. XII. scribit: *Igitur cum scias, adversus gehennam post prima illa intinctionis Dominicæ monimenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? Cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi?* Præterea ejusdem Libri Cap. IV. Poenitentiam vocat *secundam post naufragium tabulam*, & Cap. VII. *secundam spem.* S. Athanas. Lib. de peccato in Spiritum Sanctum: *Est inter Baptismum & Pœnitentiam non leve discrimen. Quem enim pœnitet, is definit quidem peccare, sed tamen retinet vulnerum cicatrices: qui autem baptizatur, jam veterem hominem exuit.* S. Pacianus Epist. III. ad Sympronianum: *Baptismus Sacramentum est Dominicæ passionis, pœnitentium venia, meritum confitentis. Illud omnes adipisci possunt, quia gratia Dei donum est, id est, gratuita donatio: labor vero iste paucorum est, qui post casum resurgunt, qui post vulnera convalescunt, qui lacrymosis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu revivisunt.* S. Hieron. Lib. I. Dialog. contra Pelagianos: *Redimatur sanguine Salvatoris aut in dono Baptismatis, aut in Pœnitentia.* *Patribus.*

nitentia, quæ imitatur Baptiſmatis gratiam. Et Lib. II. *Quod ſcriptum eſt, Et ſanguis Jeſu emundat nos ab omni peccato; tam in confeſſione Baptiſmatis, quam in clementia pœnitudinis accipiendum eſt.* S. Auguſt. Lib. II. de Adulterinis conjugiis, Cap. XVI. *Si a Catechumeno factum eſt*, (homicidium) *Baptiſmate abluitur, & ſi a baptizato, pœnitentia & reconciliatione ſanatur.* Et Epiſt. XCVIII. alias XXIII. ad Bonifacium: *Semel perceptam parvulus Chriſti gratiam non amittit, niſi propria impietate, ſi ætatis acceſſu tam malus evaſerit. Tunc enim etiam propria incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, ſed alia curatione ſanentur.* S. Cyril. Alexandrinus Lib. XII. in Joan. *Duobus modis Dei ſpiritu afflati homines peccata remittunt ac retinent: vel cum dignos admittunt ad Baptiſmum, & indignos excludunt; vel cum filios Eccleſiæ peccantes corripiunt, ac pœnitentibus ignoſcunt.* S. Leo M. Epiſt. XCI. ad Theodorum Forojuliensem: *Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolum per Baptiſmi gratiam, ſed etiam per Pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ.* Similia habent S. Epiphanius Hær. LIX. Theodoretus in Epitome divinorum Decretorum. S. Joan. Damascenus Lib. IV. de Fide Orthodoxa, Cap. X. aliique Patres. Merito itaque Trident. Synodus errorem hunc Proteſtantium proscripsit Sess. XIV. Can. II. *Siquis Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum, Pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideo Pœnitentiam non recte ſecundam poſt naufragium tabulam appellari; anathema ſit.*

Ac ratione Theologica.

11. Prob. III. Ratione Theologica, ducta ex discrimine quod eſt inter Sacramentum Baptismi & Poenitentiæ. Illa Sacramenta sunt inter se omnino diversa re & memoria, quorum materia & forma, miniſter & subjectum, finis & effectus sunt diversa. Atqui hæc omnia diversa sunt in Sacramento Baptismi & Poenitentiæ. P. min. Baptismi materia eſt aqua: forma sunt illa verba, *Ego te baptizo &c.*: miniſter quilibet homo in casu necessitatis: subjectum homo

Eccle-

Ecclesiæ non subditus: effectus primarius remissio peccatorum, secundarius condonatio totius poenæ peccatis debitæ. At vero Poenitentiæ materia sunt actus poenitentis: forma sunt illa verba, *Ego te absolvo:* minister solus Sacerdos judicis munus gerens in homines sibi subditos: subjectum non quilibet homo, sed jam baptizatus: effectus & finis remissio peccatorum quæ post Baptismum commissa sunt; neque tota poena ordinarie in hoc Sacramento remittitur, sed pars tantum illius.

Materia remota Sacram: Pœnit. non sunt peccata ante Baptismum.

12. Quæres I. Quænam sit materia remota Sacramenti Poenitentiæ? Respondeo, non esse peccatum originis, aut personalia ante Baptismum commissa, sed ea quæ Baptismum subsequuntur. Prob. I. pars assertionis Imo. Peccato originis, aliisque propria voluntate commissis, Baptisma ipsum est divinitus præparatum, ut hoc salutari remedio expientur quotquot nomen Christo dare volunt, & fieri compotes regni coelestis. II. Poenitentiæ Sacramentum circa ea tantum peccata versatur, quæ Ecclesiæ jurisdictioni subjecta sunt. Atqui peccatum originis, & personalia ante Baptismum commissa, non subjacent jurisdictioni Ecclesiæ, quia perpetrata sunt ab homine non baptizato, Ecclesiæ non subdito. III. Poenitentia est secunda post naufragium tabula. Ergo debet esse necessario posterior Baptismo, qui nisi præcesserit, Sacramento Poenitentiæ locus esse non potest. IV. Alexander VIII. hanc propositionem inter damnatas ordine XIX. proscripsit: *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originis.* Cæterum observo ex S. Thoma III. Parte Quæst. LXXXIV. Art. II. ad III. Si poenitentia lato sensu accipiatur pro quacunque detestatione rei malæ præteritæ, locum habere poenitentiam etiam de peccato hæreditario.

Sed quæ post Baptismum commissa sunt.

13. Prob. II. pars assertionis Imo. Illa est materia remota Sacramenti Poenitentiæ, circa quam ut destruendam versatur materia proxima, nempe contritio, confessio, & satisfactio. Sed materia proxima versatur circa omnia peccata quæ Baptismum consequun-

quuntur, ut destruenda per Poenitentiam. Ergo. II. Auctoritate Tridentini, quod diserte docet Sess. XIV. Cap. I. Christum instituisse Sacramentum Poenitentiæ pro iis, qui post Baptismum lapsi sunt: *Potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.*

Mortalia sunt materia necessaria.

14. Quæres II. An omnia peccata, post Baptismum commissa, sint materia remota necessaria Poenitentiæ? Resp. Peccata omnia mortalia sunt materia necessaria; levia autem sunt materia sufficiens & libera. Prob. I. pars assertionis 1mo. Mortalia post Baptismum commissa, non alia via remitti possunt quam per Poenitentiam. Ergo sunt materia necessaria Poenitentiæ. P. A. Peccatum mortale in coelo non solvitur, nisi clavibus subjiciatur, dicente Christo Joan. Cap. XX. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ergo alia via remitti non potest quam per Poenitentiam, vel in re vel saltem in voto. II. Auctoritate Tridentini, quod Sess. XIV. Can. VII. definivit: *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, - - anathema sit.* III. Poenitentia est Sacramentum reconciliationis, institutum a Christo principaliter ad remittenda mortalia. Accedit his rationum momentis doctrina Patrum, & constans Ecclesiæ usus, ut Controv. V. latius ostendemus.

Venialia sunt materia sufficiens & libera.

15. Prob. altera pars assertionis 1mo. Apostolis absque ullo peccatorum discrimine dictum est Joan. Cap. XX. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* II. Tridentinum Sess. XIV. Can. VII. ait: *Si quis dixerit - - eos qui omnia peccata confiteri studeant, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum; aut demum non licere confiteri peccata venialia; anathema sit.* Et Leo X. hanc Lutheri propositionem ordine VIII. proscripsit;

psit: *Nullo modo præſumas confiteri peccata venialia.* III. Antiquiſſima atque universalis fidelium consvetudo viget, peccata levia Ecclesiæ clavibus subjiciendi. Ergo levia sunt sufficiens, non tamen necessaria materia Poenitentiæ; quia gratia Dei hominem non privant, aliisque remediis expiari possunt.

16. Quæres III. An terrores conscientiæ incussi, & fides ex Evangelio vel absolutione concepta, sensu Lutheri, aut vivificatio & mortificatio, sensu Calvini, id eſt, spoliatio totius veteris hominis, & pium bene vivendi ſtudium, sint materia proxima, seu partes Sacramenti Poenitentiæ? Resp. minime. Prob. prima pars assertionis contra Lutherum, 1mo. Dari possunt quandoque terrores illi sine poenitentia, ut patet in dæmonibus, de quibus Jacobi Cap. II. dicitur: *Dæmones credunt, & contremiſcunt:* & dari poteſt poenitentia sine illis terroribus, ut in illis qui solo Dei & juſtitiæ amore impulsi poenitentiam agunt, quemadmodum B. Magdalena, de qua ait Chriſtus Lucæ Cap. VII. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ergo terrores illi non sunt pars & materia proxima Poenitentiæ. II. Terrores illi conscientiæ incussi, & fiducia obtentæ remissionis peccatorum, non ex ipsa virtute Poenitentiæ prodeunt, sed eam antecedunt, disponunt ad illam, non tamen eam conſtituunt. Ergo non sunt pars Poenitentiæ. III. Trident. Sess. XIV. Can. IV. ait: *Siquis - - dixerit, duas tantum eſſe Pœnitentiæ partes, terrores ſcilicet incuſſos conſcientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel abſolutione, qua credit quis ſibi per Chriſtum remiſſa peccata; anathema ſit.* IV. Proteſtantium illa fides sive fiducia, qua quis certo credit, ob juſtitiam Chriſti imputatam remissa sibi esse peccata, eſt prorsus commentitia, Scripturæ, Patribus, & rationi contraria, ut oſtendimus Tomo V. Artic. II: fides vero, quam Catholici ad efficiendam poenitentiam requirunt, præcedit poenitentiam, eamque gignit, ut exemplum ninivitarum Jonæ Cap. III. & ratio manifeſta nos docent: intelligi enim non poteſt,

Nec terrores conſcientiæ incuſſi.

quod

quod serio quis poenitentiam agere incipiat, nisi prius credat vera esse quæ Deus peccatoribus comminatur, & poenitentibus pollicetur. Ergo fides, quæ poenitentiam præcedit, non est illius pars, sed potius causa.

Nec vivificatio, aut mortificatio.

17. Prob. contra Calvinum etiam altera pars assertionis Imo. Spoliatio totius veteris hominis, & pium illud bene operandi & vivendi studium, omnibus est necessarium: at vero Poenitentia non est omnibus necessaria, cum justi poenitentia non indigeant. Ergo spoliatio veteris hominis, & pium bene operandi studium, non sunt partes Poenitentiam intrinsecus constituentes. II. Poenitentia præcedit, justificationem, viamque sternit ad illam, ut Scripturæ divinæ passim docent. Act. Cap. III. *Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Act. Cap. VII. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua: & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Act. Cap. XI. *Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Ergo etiam est prior mortificatione & vivificatione in sensu Calvini, utpote quæ sunt fructus & effectus fidei justificantis. Ergo illæ non sunt partes, sed effectus poenitentiæ.

Nec manuum impositio sunt materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ.

18. Quæres IV. An impositio manuum sit materia proxima Sacramenti Poenitentiæ? Resp. minime. Contra Altissiodorensem, Guilielmum Parisiensem, Vincentium a Bellovaco, & Alensem. Prob. assertio Imo ex silentio Scripturæ, quæ ubi refert datam Apostolis ligandi & solvendi potestatem, de impositione manuum altum silet. II. Ex silentio Florentini & Tridentini, quæ licet enucleatius exponant partes necessarias hujus Sacramenti, de impositione manuum nullam faciunt mentionem. III. Non tantum Episcopi priscis temporibus, sed Clerici etiam inferiores Presbyteris, ut patet ex Epistola X. S. Cypriani, manus imponebant poenitentibus. Ergo illa manuum impositio non est pars Sacramenti, quod a solis Sacerdotibus administrari potest. Præterea manus olim poenitentibus imponebantur etiam postquam Eucharistiam

stiam illi jam perceperant. Ergo impositio manuum non est pars Sacramenti Poenitentiæ, quod Eucharistiæ perceptionem debet præcedere. Prob. IV. Auctoritate Theologorum, & consvetudine Ecclesiæ in plurimis provinciis, in quibus manus poenitentibus a Sacerdote non imponuntur. Cæterum ubi hic usus viget, habenda est ratio consvetudinis & loci, vitandaque est omnis occasio scandali.

19. Quod si dicas I^mo. Solemne fuit antiquis, Sacramentum Poenitentiæ haud aliter quam impositionem manuum appellare. II. Scriptura sæpe mentionem facit impositionis manuum. III. Carthaginense IV. Capit. LXXVIII. ait: *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint.* IV. Idem Capit. LXXX. *Omni tempore jejunii manus pœnitentibus a Sacerdotibus imponatur.* V. Illud censendum est ad substantiam pertinere, atque a Christo traditum esse, quod semper & ubique ab omnibus in veteri Ecclesia est observatum. Atqui manuum impositio semper & ubique est ab omnibus observata. Ergo. Resp. ad I. Sacramentum Poenitentiæ interdum a Patribus appellatum fuisse impositionem manuum, non quod putarent ritum hunc esse huic Sacramento necessarium, sed quia illis temporibus Poenitentiæ administrationi erat adjunctus. Sic Baptismum vocabant etiam Sacramentum fidei & illuminationis, quamvis fides non sit pars interior Baptismi. Ad II. Resp. locis illis non agi de Sacramento Poenitentiæ, sed de sanitate per miraculum restituenda, aut benedictione parvulis data, vel etiam de Sacramento Ordinis & Confirmationis. Ad III. Canone illo præcipitur tantum poenitentibus publicis, etsi privatim ob mortis periculum absolutis, ut poenitentiam publicam sibi injunctam reddita sanitate integram perficiant. Ad IV. Resp. non agi ibi de Sacramento Poenitentiæ, sed de cæremonia imponendi manus publicis poenitentibus, in tertio poenitentiæ gradu existentibus; solebant enim illi singulis jejunii diebus prosternere se

coram

coram Episcopo in Ecclesia, qui pro illis orabat, manusque imponebat, sine absolutione Sacramentali. Ad V. D. M. Quod semper, ubique & ab omnibus est observatum, tamquam ad substantiam Sacramenti pertinens, illud censendum est ad substantiam pertinere, atque a Christo fuisse traditum, C. M. Quod observatum fuit tamquam cæremonia accidentalis, N. M. Et sic dist. min. N. C.

Sed Contritio, Confessio, & Satisfactio.

20. Quæres V. Quænam ergo sit materia proxima Sacramenti Poenitentiæ? Resp. Tres actus poenitentis, nempe contritio, confessio, & satisfactio. Prob. assertio 1mo. Auctoritate Conciliorum, Florent. in Decreto pro Armenis, & Trident. quod Sess. XIV. Cap. III. ait: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti, ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.* Et Sess. XIV. Can. IV. *Siquis negaverit, ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur, - - anathema sit.* II. Auctoritate Patrum. S. Cyprianus Tract. de Lapsis ait: *Confiteantur singuli, quæso vos fratres, delictum suum: dum adhuc qui deliquit, in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest; dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est. Convertamur ad Domioum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur.* S. Chrysost. Hom. de Poenit. scribit: *Pœnitentia perfecta cogit pœnitentem omnia libenter ferre: in corde ejus contritio, in ore confessio, in opere toto humilitas: ut quibus in modis Deum offendimus, corde, ore, opere, iisdem reconciliemur Deo: corde quidem per contritionem, ore per confessionem, opere per satisfactionem.* S. August. Enarratione in Psalm. CXLVI. *Sanat contritos corde, sanat confitentes, sanat se ipsos punientes.* III. Ratione Theologica. Sacramentum Poenitentiæ institutum

tutum fuit per modum judicii, quo peccator per sententiam Sacerdotis cum Deo in gratiam redit. Atqui judicium illud tria exigit, nimirum dolorem de peccatis, seu contritionem: declarationem peccatorum, seu confessionem, ut judex causa cognita sententiam ferat: & satisfactionem pro reparanda injuria, Deo per peccatum irrogata.

21. Scotus, ejusque sectatores, asserunt tres poenitentis actus, contritionem, confessionem, & satisfactionem, necessario quidem requiri ad Sacramentum Poenitentiæ; sed negant actus illos esse partes interiores ac materiam proximam hujus Sacramenti, voluntque sola verba absolutionis esse totam illius naturam, adeoque materiam simul & formam Sacramenti Poenitentiæ: materiam quidem, prout sunt sonus quidam sensibilis; formam vero, prout peccatorum remissionem significant. Quare inferunt, veram hanc & adæquatam esse hujusce Sacramenti definitionem: Poenitentia est absolutio hominis poenitentis, facta certis verbis, cum debita intentione prolatis a Sacerdote jurisdictionem habente, ex institutione divina efficaciter significantibus absolutionem animæ a peccato. Verum quamvis facile demus, hanc Scoti sententiam a Tridentina Synodo minime proscriptam fuisse, ut testatur etiam Card. Sfortia Pallavicinus in Hist. Conc. Tridentini, Lib. XII. Cap. XII, eoquod satis opponatur Novatorum errori, qui tres illos poenitentis actus ad veram poenitentiam requiri negant tamquam necessarias dispositiones; negari tamen non potest, eam recedere a modo loquendi Ecclesiæ. Nam Imo Tridentina Synodus tres illos actus appellat *quasi materiam Pœnitentiæ*, nihilque aliud assignat quod materiæ vices & locum tenere possit. II. Actus illos appellat *partes Pœnitentiæ*, non in eo sensu tantum, quod requirantur ad integritatem effectus Sacramenti: alias etiam actus fidei, spei, & charitatis, qui in adultis præire debent Baptismo, dici possent Baptismatis partes; sed ideo partes vocat, quia Sacramentum Poenitentiæ intrinsecus componunt & con-

Scoti opinio rejicitur.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA W TORUNIU

& constituunt. III. Tridentinum eodem modo actus poenitentis appellat materiam, vel partes Sacramenti, quo verba absolutionis appellat formam. Sed verba illa veram habent formæ rationem. Ergo etiam actus poenitentis veram habent rationem materiæ Sacramenti Poenitentiæ.

22. Quod si dicas I. Tridentinum tres actus poenitentis non vocat materiam, sed *quasi materiam*. II. Dispositio non est pars rei ad quam disponit. Atqui actus poeninitentis sunt dispositiones ad Sacramentum Poenitentiæ. Ergo non sunt illius pars. III. Contritio non est aliquid sensibile, cum tota sit in corde. Ergo non potest esse materia Sacramenti. IV. Moribundi etiam sine Confessione absolvuntur. Ergo Confessio non est pars Sacramenti. V. Effectus Sacramenti, nimirum justificatio hominis, potest dari sine satisfactione. Ergo satisfactio non constituit intrinsecus tamquam pars Sacramentum Poenitentiæ. VI. Si tres actus poenitentis sunt materia proxima Poenitentiæ, ipse poenitens foret minister, saltem ex parte, hujus Sacramenti, eoquod ille materiam subministret. Atqui id dici nequit. Ergo. Resp. ad I. Tridentinum actus illos poenitentis vocat *quasi materiam*, non quod veræ materiæ rationem non habeant; sed tum ideo, ne Concilium aliquibus videretur quæstionem hanc scholasticam definivisse: tum præcipue quia hi tres actus poenitentis non sunt aliquid physicum, sicut aqua in Baptismo, chrisma in Confirmatione &c. sed sunt aliquid morale. Magis autem materiæ quam formæ appellatio his tribus actibus poenitentis tribuitur; quia minus expresse ac perfecte significant effectum Sacramenti Poenitentiæ, & ad eum perfectius significandum determinantur per verba absolutionis. Ad II. C. M. N. min. Actus poenitentis ad effectum Sacramenti percipiendum disponunt; ad ipsum vero Sacramentum non disponunt, sed illud cum forma intrinsecus componunt ac constituunt. Ad III. Resp. Contritionem non esse quidem sensibilem proxime, & in se, sed remote per voces aliosque

nutus;

nutus: sicut mutuus consensus Sponsorum per verba sit sensibilis, & signum Sacramenti. Quamvis autem cum forma actu & formaliter non exstat, exstat tamen sua vi atque virtute. Ad IV. D. A. Moribundi absolvuntur sine Confessione explicita & distincta singulorum peccatorum, C. A. Sine Confessione implicita & confusa, ac saltem per signa, N. A. & Consec. Ad V. D. A. Sacramenti hujus effectus præcipuus, id est, remissio culpæ potest dari sine satisfactione, C. A. Omnis effectus hujus Sacramenti, & remissio poenæ potest dari sine satisfactione, N. A. & Cons. Quod si tanta foret contritio poenitentis, ut non culpa modo, sed integra etiam poena remitteretur; effectus hic non Sacramento, sed contritioni esset adscribendus. Ad VI. N. M. Jlle solus Sacramentum conficit, qui formam materiæ applicat, unde vim suam omnem Sacramentum trahit: qui verba profert, quæ gratiæ conferendæ foecunditatem imprimunt materiæ, & quibus accedentibus ad elementum, fit Sacramentum. Atqui hæc omnia solus Sacerdos præstat. Ergo solus Sacerdos est minister Sacramenti Poenitentiæ. P. m. Solus Sacerdos formam materiæ applicat, actusque poenitentis ad Sacramenti dignitatem provehit, jungendo illos cum verbis absolutionis, a quibus si distrahantur, materia proxima Sacramenti Poenitentiæ dici nequeunt: sicut aqua sine verbo non nisi remota est materia Sacramenti Baptismi.

23. Quæres VI. An Satisfactio sit pars prorsus necessaria Sacramenti Poenitentiæ, sicut Contritio & Confessio? Resp. Minime ita, sed est pars ad integritatem tantum spectans, sine qua datur quidem ipsa natura Sacramenti Poenitentiæ non tamen tota ejus perfectio. Prob. assertio Imo ratione Theologica. Jllud ad naturam Sacramenti non pertinet, quod Sacramento perfecto & absoluto est posterius. Atqui satisfactio re ipsa expleta est Sacramento absoluto & perfecto posterior. Ergo non pertinet ad naturam Sacramenti Poenitentiæ. P. m. Satisfactio reipsa expleta

Satisfactio non est pars essentialis Sacram. Pœnitentiæ.

pleta posterior est productione gratiæ Sacramentalis, quæ infundi non posset, nisi Sacramentum partibus suis necessariis constaret. Ergo est posterior Sacramento absoluto & perfecto. Prob. II. ex usu Ecclesiæ, quæ hominem morti proximum, omnique sensuum usu carentem absolvit. Ergo valida est absolutio, licet eam nulla satisfactio ob mortem poenitentis consequatur. Ergo satisfactio non constituit naturam Sacramenti. Prob. III. a pari. Executio lati contra nocentem Decreti non pertinet ad naturam, sed tantum ad integritatem forensis judicii; quamvis enim naturali morte quis abripiatur, antequam executioni mandetur sententia, vero tamen judicio ille est damnatus. Ergo etiam satisfactio re ipsa expleta ad naturam Sacramenti non pertinet, sed tantum ad ejus integritatem; cum Sacramentum Poenitentiæ in genere judicii a Christo fuerit institutum.

24. Dices I. Patres asserunt, Poenitentiam peccata purgare, æterna supplicia expungere &c. Ergo juxta Patres satisfactio concurrit non tantum ad remissionem poenæ temporalis, sed etiam æternæ, imo etiam ad delendum reatum culpæ. II. Tridentinum Sess. XIV. Cap. VIII. jubet, ut Sacerdotes satisfactionem poenitentibus injungant. Ergo satisfactio est de natura Sacramenti. III. Sacramentum Poenitentiæ non tantum est judicium reconcilians ex institutione Christi, sed etiam judicium vindicans. Ergo satisfactio non est tantum pars ad integritatem spectans sed omnino necessaria. IV. Votum satisfaciendi Deo est de natura Sacramenti. Ergo etiam ipsa satisfactio. Resp. ad I. Patres loqui de poenitentia, quæ ante absolutionem peragebatur & quæ etiam dispositio erat ad justificationem, tum ratione bonorum operum, tum ratione contritionis quam includebat. At vero nos loquimur de ea poenitentia, quæ a Sacerdote injungitur, & post datam absolutionem impletur, quæque rationem habet satisfactionis tantum. Ad II. C. A. N. C. Satisfactio jussu Tridentini Poenitentibus injungenda est, quia Sacramentum sine

illa

illa integrum non foret: Minister autem tenetur quantum potest procurare integritatem Sacramenti. Ad III. Resp. Sacramentum Poenitentiæ primario est judicium reconcilians, secundario vero judicium vindicans: atque hinc satisfactio est tantum pars integritatis Sacramenti. Ad IV. C. A. N. C. Votum satisfaciendi Deo pertinet ad contritionem, quæ est pars absolute necessaria Sacramenti Poenitentiæ; includitur enim in proposito servandi omnia Legis præcepta, atque exhibendi Deo illam quam Deus sive per se adversos casus immittendo, sive per ministrum suum imposuerit. At vero satisfactio in re suscepta nullo modo ad contritionem spectat, quæ dari potest etiam intensissima in homine ad subeundos poenitentiæ labores inepto, ut patet in moribundis.

25. Quæres VII. Quænam sit forma Sacramenti Poenitentiæ? Resp. Verba illa, quæ Sacerdos profert: *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Prob. assertio Imo. Auctoritate Florent. in Decreto pro Armenis, & Trident. Sess. XIV. Cap. III. II. Ex usu Ecclesiæ. III. Ratione; quia hæc verba aptissime exprimunt effectum Sacramenti Poenitentiæ, id est, remissionem peccatorum, quæ sunt quasi vincula quibus animæ constringuntur. Cæterum verba necessitate Sacramenti omnino adhibenda, duo tantum communius censentur, nempe ista, *Te absolvo*, quibus effectus Sacramenti quantum satis est exprimitur; reliqua vero necessitate præcepti Ecclesiastici adjiciuntur, ita ut absque gravi peccato omitti nequeant, Ecclesia id justis de causis vetante, quæ reliqua verba consentanee omnino vult addi; vox enim *ego* auctoritatem quamdam indicat judicis sententiam ferentis. *A peccatis tuis* clarius indicat effectum Sacramenti Poenitentiæ. *In nomine Patris &c.* significat, Dei virtute & authoritate ministri, poenitentem a peccatis absolvi. Quod si dicas: Invocatio expressa Sanctissimæ Trinitatis est in Baptismo necessaria necessitate Sacramenti. Ergo etiam in Sacramento Poenitentiæ. Resp. C A. N. C.

Forma Sacramenti Pœnitentiæ sunt verba Sacerdotis.

Ratio discriminis enim est Imo. Præceptum Christi, qui Apostolos jussit Baptismum administrare, trium personarum divinarum nomine invocato. Matth. Cap. XXVIII. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* At vero Apostolis Joan. Cap. XX. auctoritatem dedit remittendi peccata, quin præciperet trium personarum divinarum invocationem in hoc judicio faciendam. II. Quia solus Baptismus, non vero Poenitentia, est solemnis Professio Religionis Christianæ, cujus primarium Mysterium est adoranda Trinitas divinarum personarum.

Olim apud Latinos usurpabatur forma deprecativa.

26. Quæres VIII. An in Latina & Græca Ecclesia semper fuerit in usu forma indicativa, v. g. *Ego te absolvo*, vel forma deprecativa, v. g. *Deus te absolvat*, vel: *Ipse Domine remitte huic famulo tuo peccata?* Resp. In Latina Ecclesia primis XII. sæculis formam deprecativam ut plurimum in usu fuisse, postea vero indicativam solam invaluisse; in Græca autem Ecclesia illam etiamnum verbis deprecativis exprimi. Probatur prima pars assertionis Imo. Authoritate Patrum. S. Ambr. Lib. III. de Spiritu S. Cap. VIII. scribit: *Homines in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent. Neque enim in suo, sed in Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nomine peccata dimittunt. Isti rogant, Divinitas donat.* S. Leo M. Epist. LXXXII. alias XCI. ad Theodorum Forojuliensem: *Indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequit obtineri - - Multum utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali supplicatione solvatur.* Prob. II. ex Sacramentario S. Gregorii, Ordine Romano, atque antiquissimis Latinorum Ritualibus, in quibus Baptismi & Eucharistiæ forma absoluta & indicativa legitur, Poenitentiæ vero deprecatoria. Guilielmus Parisiensis, qui vixit circa A. 1230. Cap. XIX. de Sacramento Poenitentiæ scribit: *Non more Judicum forinsecorum pronuntiat Confessor, Absolvimus te, non condemnamus; sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem & remissionem, atque gratiam sanctificationis tribuat.* Neque dici potest,

verba

verba quibus Sacramentum Poenitentiæ perficitur, omissa fuisse a Veteribus ob disciplinam arcani. Quamvis enim hæc cautio necessaria fuerit primis sæculis, quibus Christiani inter Gentiles versabantur, locum tamen non habuit sæculo VI. & sequentibus; alias cur omisissent formam Sacramenti Poenitentiæ, reliquorum vero Sacramentorum formas in suis Euchologiis consignassent? Sæculo XIII. formæ deprecativæ passim adjuncta fuit indicativa: *Dominus noster Jesus Christus te absolvat: & ego authoritate ejusdem te absolvo &c.* Cujus causam Morinus conjicit fuisse, quod multis durum visum fuerit, ab extremo in extremum repente ferri; ideoque mediam sententiam amplexi sint, cujusdam scilicet formæ, quæ deprecatoria simul erat & indicativa.

Atque etiamnum apud Græcos.

27. Prob. etiam altera pars assertionis, ex Ritualibus libris & Euchologiis Græcorum tam antiquis quam recentioribus, in quibus non alia continetur absolutionis Sacramentalis forma quam deprecatoria, his communiter verbis concepta: *Ipse Domine remitte, dimitte, condona peccata hujus famuli tui; quia tua est potentia, tuum regnum &c.* Ipse Arcudius Lib. IV. de Concordia, Cap. III. ingenue fatetur, non aliam in omnibus Græcorum Euchologiis formam absolutionis deprehendi quam deprecatoriam. Equidem multi ex Græcis addere solent hæc verba: *Habeo te absolutum. Mea mediocritas habet te absolum.* Verum hæc consvetudo neque universalis est, neque antiqua.

Spectata institutione Christi, forma deprecativa non obest valori Sacramenti.

28. Quæres IX. An ad valorem Sacramenti perinde sit, spectata institutione Christi, si vel deprecativa vel indicativa sit forma absolutionis? Resp. Perinde est. Prob. assertio I^mo. Si forma deprecativa obstaret valori hujus Sacramenti, per XII. sæcula Sacramentum Poenitentiæ invalide fuisset administratum in Ecclesia Latina, quæ non alia forma quam deprecativa ut plurimum utebatur: atque invalide etiamnum administraretur in Ecclesia Græca, quæ ejurato schismate cum Romana Ecclesia conjuncta est. Atqui hoc sine errore dici nequit. Ergo, II. Græcis depre-

cativa forma utentibus nulla umquam lis mota fuit a Latinis idcirco sive in Lugdunensi II. sive in Florentina Synodo. Atqui non eſt verisimile, Latinos hunc Græcorum morem ignorasse, aut conatos non fuisse Græcos ad saniora pertrahere, siquidem Latini exiſtimassent, valorem Sacramenti forma deprecativa vitiari. III. Clemens VIII. in Inſtructione super Ritibus Græcorum, edita A. 1595. ait: *In caſu neceſſitatis Presbyteri Græci Catholici poßunt Latinos abſolvere. Utantur forma abſolutionis in Generali Concilio Florentino præſcripta; & poſtea, ſi voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujuſmodi abſolutionis dicere tantum conſueverunt.* Ergo cum Clemens VIII. non injunxerit Græcis Sacerdotibus, ut forma indicativa utantur quando Græcos fideles absolvunt, satis innuit, se formam deprecatoriam in absolvendis Græcis pro valida habere. Reponunt aliqui in ea inſtructione Clementis Sacerdotibus Græcis præcipi, ut indicativa forma utantur, non tantum quando Latinos, sed etiam cum Græcos absolvunt. At si hoc verum esset, nulla foret verisimilis ratio dicendi, quod Latini in Oriente exiſtentes, in casu tantum necessitatis possint a Presbyteris Græcis Catholicis absolvi; si enim illi ex præcepto Clementis VIII. indicativa forma semper uterentur, etiam dum Græcos absolvunt; nullatenus perspicio, cur non pro omni casu Latinos per interpretem confitentes, vel Græcæ linguæ peritos absolvere valeant.

29. Cæterum dixi in assertione I^mo. *Ad valorem* Sacramenti perinde esse, non verò ad licentiam; Sacerdos enim Latinus forma utens deprecativa, gravissime peccaret, quippe qui suæ Ecclesiæ disciplinam proterve contemneret. II. *Spectata inſtitutione Chriſti;* putant enim quam plurimi Theologi, Latinum Sacerdotem deprecativa forma adhibita invalide nunc absolvere, non quia Chriſtus indicativam formam inſtituit; sed quia Ecclesia, pro libertate sibi a Chriſto concessa determinandi plerasque Sacramentorum formas, ſtatuit nunc quando Sacramentum Poe-

nitentiæ

nitentiæ apud Latinos administratur, sententiam valide & juridice pronuntiari non posse a Sacerdote, nisi verbis utatur indicativis. At non desunt alii, qui probabili ratione ducti putant, ad valorem absolutionis etiam nostris temporibus perinde esse, utrum verbis indicativis aut deprecatoriis exprimatur: quemadmodum validum foret Baptisma, quod contra hodiernum usum Ecclesiæ Latinæ immersione daretur; & valida Eucharistia, quam in pane fermentato aliquis consecraret.

Quia etiam illa est actus judicii.

30. Dices. Forma Sacramentalis absolutionis ex institutione Christi debet esse actus judicii. Atqui forma deprecativa non est actus judicii. Ergo non est forma Sacramentalis absolutionis. P. min. Forma deprecativa non profertur per modum sententiæ. Ergo non est actus judicialis. Resp. C. M. N. m. Ad *prob.* N. A. Oratio quidem illa est actus supplicis Sacerdotis, quia divinam invocat virtutem tamquam causam principem, ut absolvat confessum & poenitentem; at simul etiam est actus judicii, quia orationem illam non pronuntiaret, nisi ipse judicaret absolvendum esse poenitentem, suamque apud Deum ratam fore & acceptam orationem: sicque judiciariam exercet Sacerdos potestatem, qui non proprio, sed Superioris nomine agit, tamquam illius instrumentum.

Sacramentum Pœnitentiæ itarari potest.

31. Quæres X. An Sacramentum Poenit. ab uno eodemque homine sæpius possit suscipi, si in nova peccata post Baptismum labatur? Resp, Utique. Prob. I. Scripturarum auctoritate. Joan. Cap. XX. Christus Apostolis dedit facultatem remittendi peccata, nullis limitibus circumscriptam: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Lucæ Cap. VI. dicitur: *Dimittite, & dimittemini: Date, & dabitur vobis.* Atqui non semel tantum, nec septies, sed usque septuagies septies, id est, semper tenemur injurias nobis illatas remittere. Ergo etiam peccata nobis in Sacramento Poenit. remittuntur, non semel tantum, sed septuagies septies, id est, semper, si rite dispositi ad hoc Sacramentum accedamus. II. Auctoritate Trident.

quod

quod Sess. XIV. Can. I. ſtatuit: *Siquis dixerit, in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe vere & proprie Sacramentum, pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, a Chriſto Domino noſtro inſtitutum; anathema ſit.* III. Auctorit. Patrum, Tertulliani Lib. de Poenit. Cap. VII. S. Chrysost. Paränesi I. ad Theodorum. S. August. Serm. CCCLI. alias Hom. L. &c. IV. Ex pertetua consvetudine Ecclesiæ.

Etiam circa peccata in Confeſſione jam expoſita & remiſſa.

32. Quæres XI. An Sacramentum Poenit. iterari possit etiam circa peccata in Confessione jam exposita et remissa? Resp. Affirmando. Prob. I. ex communi Theologorum doctrina atque usu Fidelium piorum ac doctorum. II. Ratione Theologica. Peccata jam remissa remitti denuo possunt nova remissione priorem confirmante, per novæ gratiæ infusionem: sicut eadem causa sæpius in judicio examinari, ac juridice definiri potest. Ergo peccata jam remissa, de novo possunt clavibus subjici.

33. Dices I. Peccata per Baptismum remissa, non possunt iterum remitti per Baptismum iteratum. Ergo nec peccata, in Sacramento Poenit. semel remissa, iterum remitti queunt per absolutionem Sacerdotis. II. Nemo potest bis ab iisdem vinculis solvi, aut propter idem crimen bis in eodem tribunali judicari. Ergo neque iterato potest quis absolvi ab iisdem peccatis in tribunali Poenitentiæ. III. Forma absolutionis circa eadem peccata in Confessione jam exposita & remissa non potest vere proferri, quia poenitens non est amplius illis peccatis ligatus. IV. Sacerdos non habet jus circa peccata in Confessione jam remissa, utpote jam abolita. Ergo non potest ab illis absolvere. Resp. ad I. C. A. N. C. Christus instituit Baptismum per modum regenerationis spiritualis, quæ corporali respondet generationi. Ergo sicut semel tantum generamur corporaliter, ita semel tantum nos voluit spiritualiter generari. At vero Sacramentum Poenitentiæ instituit ad modum judicii, quod sæpius in eadem causa exerceri potest.

Ad

Ad II. C. A. N. C. Ideo propter idem crimen nemo bis in eodem tribunali judicatur, nec bis a corporeis vinculis solvitur, quia & secundum judicium inutile foret, & secunda vinculorum solutio nihil auferre potest, quod antea ablatum non fuerit. At vero, quando in Sacramento Poenitentiæ peccata jam remissa clavibus subjiciuntur, confertur nova gratia sanctificans, danturque uberiora gratiæ auxilia ad vitanda in posterum peccata, & nova sit remissio poenæ temporariæ residuæ, peccatis debitæ. Ad III. N. A. Quamvis poenitens non sit illis peccatis amplius ligatus, potest tamen de novo ab illis absolvi, non quidem absolutione prima, & remittente peccata jam remissa; sed absolutione secunda, quæ est nova confirmatio primæ condonationis factæ. Porro forma absolutionis habet hunc sensum: *Ego do tibi, quantum in me est, gratiam reconciliantem, seu peccata remittentem.* Vel: *Ego Sacramentum absolutionis tibi impendo;* sicque utroque sensu vera est forma, etiam respectu illius, qui peccata jam remissa iterum clavibus subjicit; tum quia ille recipit beneficium absolutionis, quæ est nova confirmatio primæ condonationis factæ: tum quia amplius cum Deo reconciliatur, & crescit in amicitia Dei, & poenæ temporariæ aliquid ipsi remittitur. Ad IV. N. C. Ad ferendam sententiam juridicam, prioris jam latæ confirmantem, sufficit quod judex habuerit jus circa rem, de qua ferenda est sententia, habeatque jurisdictionem in personam, quæ petit ut prior sententia magis ac magis confirmetur.

Pœnitentia ut virtus semper fuit necessaria ad salutem, necessitate medii & præcepti.

34. Quæres XII. An Poenitentia, ut virtus, sit semperque fuerit lapsis in mortale peccatum necessaria ad vitam æternam adipiscendam? Resp. Esse, semperque fuisse necessariam necessitate medii & præcepti. Prob. assertio I^mo. Auctoritate Script. Ezechielis Cap. XVIII. dicitur: *Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit judicium & justitiam: ipse animam suam vivificabit.* Lucæ Cap. XIII. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Act. Cap. III. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur*

tur peccata veſtra. Apocal. Cap. II. *Memor eſto unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: ſin autem; venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.* Ergo sine poenitentia impossibile est, lapsos salutem æternam consequi. Ergo Poenitentia est, fuitque semper lapsis in grave peccatum necessaria necessitate medii. II. Auctoritate Triden. quod Sess. XIV. Cap. II. ait: *Fuit quidem Pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaßent, quovis tempore ad gratiam & juſtitiam aßequendam neceßaria, illis etiam, qui Baptiſmi Sacramento ablui petiviſſent, ut perverſitate abjecta & emendata, tantam Dei offenſionem cum peccati odio & pio animi dolore deteſtarentur.* Et Cap. IV. *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceßarius.* III. Ratione Theologica. Impossibile est, hominem in creaturam defixum, & a Creatore aversum salvari; alioqui aliquid inquinatum intraret in regnum coelorum. Ergo sine poenitentia impossibile est hominem lapsum in grave peccatum salvari.

35. Dices I. Scriptura docet, peccata remitti posse sine poenitentia. Sic Matth. Cap. VI. dicitur: *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra.* Marci Cap. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Lucæ Cap. XI. *Date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis.* I. Petri Cap. IV. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* II. In Evangelio multi leguntur obtinuisse veniam peccatorum, ut v. g. Mulier adultera & Paralyticus, licet non dicatur, eos poenituisse peccatorum. III. Deus peccatum originis remittit infantibus sine prævia poenitentia. Ergo etiam sine illa potest adultis remittere peccata gravia. IV. Si Poenitentia esset necessaria necessitate medii & præcepti, daretur etiam naturale præceptum eliciendæ contritionis. Atqui hoc non datur. Ergo. P. min. Præceptum naturale non datur de eliciendo actu supernaturali. Atqui contritio necessaria ad salutem,

lutem, foret actus supernaturalis. Ergo. Resp. ad I. N. A. Quamvis Scriptura fidei, charitati, baptismo, ac piis operibus salutem tribuat, pœnitentiam tamen non excludit, sed illam præsumit. Qui enim dixit Marci Cap. XVI. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, dixit quoque Lucæ Cap. XIII. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis.* Baptismus itaque, fides, charitas, & reliqua pia opera, sunt media ad obtinendam salutem inadæquata; solus enim baptismus adultorum, nisi illum pœnitentia præcedat, salvare neminem potest; fides viva, & charitas sine pœnitentia locum non habent in peccatore; immo impossibile est, ut vere diligat Deum, quem vitæ male actæ non pœnituerit. Quomodo enim amat summum Bonum, qui non detestatur id, quo scit summum Bonum offendi, atque ad iracundiam provocari? Eleemosyna, & injuriarum condonatio, opera sunt satisfacientia, quibus peccata remittuntur indirecte, in quantum nimirum salutare pœnitentiæ donum impetrant. Ad II. Quamvis id in Evangelio diserte non asseratur, certissime tamen tenendum est, in illis motum pœnitentiæ, & serium animi dolorem cum detestatione prioris vitæ, ac melioris in posterum proposito, fuisse a Deo excitatum, priusquam a peccatis absolverentur. Ad III. C. A. N. C. Peccatum originis non fuit voluntate physice propria ab infantibus commissum; unde absque voluntate physica eorumdem remittitur: at vero adultis, quia peccarunt electione propria malum appetendo & perpetrando, pœnitentia necessaria est, ut Deo quodammodo restituant pœnitendo, quod delinquendo abstulerunt. Ad IV. C. M. N. min. Ad *prob.* D. M. Non datur præceptum naturale de actibus supernaturalibus, solius naturæ viribus adimplendum. C. M. Gratiæ divinæ ac supernaturalis auxilio observandum, N. M. Fatemur, de actibus supernaturalibus naturale præceptum non dari, quod solius naturæ viribus impleatur; quia natura sibi relicta ad ordinem supernaturalem non conscendit: sed contendimus, actus

supernaturalis naturale esse præceptum, juvante divina gratia implendum. Ex quo tamen inferri minime potest, naturali hoc præcepto hominem ad impossibile obligari; quamvis enim solius naturæ viribus id executioni mandari nequeat, possibilitatem tamen ejus implendi Deus dat, gratia sua cor hominis emolliendo, ac roborando.

Sacramentum Pœnitentiæ omnibus post Baptismum in grave peccatum lapsis.

36. Quæres XIII. An, & quanam necessitate necessarium sit Sacramentum Pœnitentiæ. Resp. Sacramentum Pœnit. omnibus post Baptismum in grave peccatum lapsis vel in re vel in voto necessarium est necessitate medii & præcepti. Dixi I^mo. *Omnibus in grave peccatum lapsis*; venialia enim non tenemur confiteri, eorumque remissionem aliis modis, etiam sine Sacramento Pœnit. & ejus voto, obtinere possumus. II. *Lapsis post Baptismum*; quia peccata ante Baptismum commissa, non subjiciuntur Ecclesiæ clavibus, sed in ipso Baptismo delentur; *Cum Ecclesia*, ut ait Trident. Sess. XIV. Cap. II. *in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis qui foris sunt judicare?* III. *Vel in re vel in voto*; si enim adultus post Baptismum in mortale peccatum lapsus, actum perfectæ contritionis eliciat, justificatur ante ipsam susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ; non tamen sine voto, sive proposito suscipiendi suo tempore hoc Sacramentum. Hoc autem votum virtute sua saltem & implicite includitur in actu contritionis perfectæ, in qua continetur propositum non peccandi, adeoque servandi etiam omnia præcepta, inter quæ est præceptum suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, omnibus in mortale peccatum lapsis impositum. Hinc Trident. Sess. XIV. Cap. IV. ait: *Etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

37. Prob.

37. Prob. asſertio I. Scripturarum auctorit. Christus Joan. Cap. XX. Apostolis & Ecclesiæ auctoritatem dedit remittendi & retinendi peccata. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Ergo peccata gravia baptizatorum remitti nequeunt sine absolutione Sacerdotis, vel in re vel in voto obtenta. P. C. Si venia peccatorum posset obtineri sine Sacramento Pœnitentiæ, vel in re vel in voto suscepto, Sacerdotes non posſent retinere peccata, seu non remittendo facere ut non sint remisſa in cœlo. Atqui Sacerdotes posſunt retinere peccata. Ergo. II. Auctoritate Patrum, Tertul. & Hieron. qui Pœnitentiam vocant secundam post naufragium tabulam. S. August. Serm. CCCXCII. alias Hom XLIX. inter L. S. Leonis M. Epist. LXXXII. alias XCI. ad Theodorum Forojuliensem, in qua ait: *Indulgentia Dei nisi ſupplicationibus Sacerdotum nequit obtineri.* III. Auctoritate Trident. quod Seſs. XIV. Cap. II. ita loquitur: *Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe Baptiſmus.* Sed Baptismus nondum regeneratis ita neceſsarius est, ut sine illo, aut ejus voto, peccatum originis, aliaque propria voluntate ante Baptismum commiſsa non remittantur. Ergo etiam Sacramentum Pœnitentiæ ita lapsis post Baptismum necessarium est, ut sine illo, aut ejus voto, non remittantur peccata gravia post Baptismum commiſsa. Ergo neceſsarium est ad salutem neceſsitate medii, atque etiam præcepti; quæ enim instituta sunt ut media neceſsaria, ea quoque sunt præcepta: cum sana ratio dictet aſsumendum eſse medium, sine quo finem ad quem tendere oportet, consequi non posſumus.

Neceſſarium eſt neceſſitate medii & præcepti, vel in re vel in voto.

38. Quæres XIV. An peccata levia remitti possint absque pœnitentia? Resp. Remitti non poſse absque pœnitentia vel explicita vel implicita. Prob. I. Auctoritate S. Aug. qui Epist. XCIII. alias XLVIII. ad Vincentium Rogatistam scribit: *Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocunque ſeu magno*

Peccata levia remitti nequeunt abſque pœnitentia ſaltem virtuali.

seu parvo peccato ad correctionem sine pœnitentia posse transire. Idem docet S. Thomas III. Parte, Quæst. LXXXVII. Artic. I. Et Artic. III. scribit, Sacramentalia, ut v. g. aspersionem aquæ benedictæ remittere peccata levia, inquantum inclinant animam ad motum pœnitentiæ. II. Ratione Theologica. Peccatum leve est inordinatus amor creaturæ. Ergo tamdiu remanet, quamdiu voluntas inordinate adheret creaturæ: atqui inordinatus ille amor non tollitur, nisi displiceat. Ergo ad remissionem peccati levis requiritur pœnitentia, seu retractatio saltem implicita. Cæterum quamvis pœnitentia necessaria sit ad delenda levia, necessarium tamen non est ipsum Pœnitentiæ Sacramentum; eoquod etiam sine illo, sed aliis adhibitis mediis, pio cordis motu, oratione, aut aliis pietatis operibus, facile remitti queant. Neque etiam exigitur, ut pœnitentia hæc ad remissionem levium necessaria, perfecta sit contritio; sufficit enim attritio ex motivo supernaturali elicita, quia levia debent per pœnitentiam facilius remitti quam mortalia, cum sint illis leviora. Præterea rationi omnino consentaneum videtur, ut amicus Dei facilius veniam levis culpæ, quam inimicus Dei gravioris culpæ remissionem obtineat.

Argumenta contraria refutantur.

Protestantes frustra nobis objiciunt infirmitatem argumenti ex Scripturis petiti

39. Obj. I. contra I. Conclusionem, Infirmitas probationis ex Script. petitæ. Verba illa Joan. Cap. XX. *Quorum remiseritis peccata &c.* significant tantum datam fuisse Apostolis a Christo potestatem exhortandi ad pœnitentiam, prædicandi Evangelium, & fidem excitandi quæ sola hominem justificat. Ergo non denotant verum Sacramentum, quo peccata remittuntur. P. A. Apostoli illam potestatem a Christo acceperunt, quam postea exercuerunt. Atqui non aliam potestatem exercuerunt, quam prædicandi & ad pœnitentiam exhortandi, ut patet ex Act. Cap. II. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine*

in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum. Et Cap. XXVI. *His qui sunt Damasci primum, & Jerosolymis, & in omnem regionem Judææ, & Gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.* Resp. N. A. Christus Apostolis dedit potestatem conjunctam cum auctoritate judicandi, quæ sine forma exteriori inter homines exerceri nequit. Atqui talis potestas judiciaria non est facultas prædicandi Evangelium, & hortandi ad pœnitentiam; sed potestas vere remittendi peccata per modum judicii. Ergo Christus illam quoque concesit Apostolis. Ad *prob.* C. M. D. min. Apostoli non aliam potestatem exercuerunt erga baptizandos, de quibus loquuntur citata Actuum loca, C. min. Erga baptizatos, N. min. Erga baptizandos, qui Sacramenti Pœnitentiæ nondum capaces erant, Apostoli potestatem suam alio modo exercere non poterant, quam prædicando Evangelium, hortando ad pœnitentiam admisorum crimimum, & Baptismum conferendo.

40. Dices I. Patres verba illa Joan. Cap. XX. interpretantur de Evangelii prædicatione, ut v. g. S. Cyril. Alexandrinus Lib. XII. in Joan. & S. Hieron. Comment. in Cap. XLIV. Jsajæ: *Solvunt eos Apostoli sermone Dei, & testimoniis Scripturarum, & exhortatione virtutum.* S. August. & Theophilactus ea verba interpretantur etiam de correctione fraterna, cujus faciendæ auctoritas non Sacerdotibus tantum, sed ipsis etiam Laicis convenit. Ergo ex illo loco non evincitur Sacramentum Pœnitentiæ. Resp. D. A. Patres verba illa interpretantur de Evangelii prædicatione, vel etiam de correctione fraterna, in sensu litterali & proprio, ita ut negent Apostolis concesam fuisse potestatem clavium, & judiciariam, N. A. Patres exponunt illa verba in sensu minus proprio ac mystico, ita ut potestatem clavium nullo modo excludant, C. A. N. C. Certum est, Hieronymum, Augustinum, Cyrillum Alexandrinum, aliosque Patres, Sacramentum Pœnitentiæ propugnasse, ut

ex

ex clarisimis eorum testimoniis liquet, quæ in probatione dogmaticæ hujus Conclusionis adduximus. Et profecto notum erat Patribus, Diaconis in sua Ordinatione dici ab Episcopo: *Oportet Diaconum prædicare;* neque tamen idcirco ullus eorum scribere est ausus, Diaconos propter ejusmodi ministerium accepisse claves regni cœlorum.

41. Dices II. Christus, quando peccata remisit, nullam exercuit judiciariam potestatem, quia nullum ritum externum adhibuit. Ergo neque Apostolis dedit judiciariam potestatem. P. C. Joan. Cap. XX. ait ipse Christus: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Ergo si Christus potestatem judiciariam non exercuit, multo minus eam exercuerunt Apostoli. Resp. N. A. Quamvis Christus nullum adhibuerit ritum externum, vere tamen exercuit potestatem judiciariam. Cum enim in Christo omnes fuerint thesauri sapientiæ Dei corda & renes scrutantis, non nisi causa optime cognita pœnitentibus peccata remisit. Ad *prob.* Resp. Per vocem *sicut* significari datam quidem & communicatam fuisse Apostolis potestatem vere remittendi peccata, non eodem tamen, sed diverso modo exercendem; nempe per ritum externum ab ipso Christo Domino institutum. Nimirum Christo competebat modus remittendi peccata longe excellentior, atque ab omni ritu externo independens: at vero Apostolis, eorumque successoribus, modus tanquam ministris Christi conveniens, qui sensibilem cognitionem causæ, sententiamque sensibili modo latam requirit.

42. Dices III. In Act. Apostolorum ne minimum quidem deprehenditur vestigium potestatis hujus judiciariæ ab Apostolis exercitæ. Ergo dicendum est, potestatem hanc non fuisse Apostolis concessam a Christo. Resp. I. N. A. Potestatem clavium non obscure indicare videntur verba illa B. Petri ad Simonem Magum Act. Cap. VIII. *Pœnitentiam age ab hac nequitia, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Resp. II. O. A. N. C. In Act. Apostolorum non omnia, quæ ab Apostolis facta sunt, fuerunt

fuerunt consignata; sed ea tantum quæ ab iisdem gesta sunt, quando Christum Judæis & Gentibus annuntiabant. Præterea insignis illo tempore Fidelium probitas raro admodum indigebat hoc remedio. Ergo silentium Actuum Apostolicorum præjudicare non potest Catholicæ sententiæ; cum verba Christi Domini Joan. Cap. XX. clare ac perspicue hanc potestatem Apostolis traditam fuisse ostendant.

43. Dices IV. Apostoli eam solam pœnitentiam prædicarunt, quam prænuntiarant Prophetæ. Sed Prophetæ non prænuntiarant pœnitentiam quæ esset Sacramentum. Ergo. Resp. D. M. Apostoli eam solam pœnitentiam prædicarunt Judæis & Gentibus, C. M. Christianis, subdist. Quam prænuntiarant Prophetæ clare & explicite, N. m. Quam Prophetæ prænuntiarant obscure saltem & implicite, C. M. Apostoli Judæis & Gentibus prædicarunt pœnitentiam ut virtus est; Christianis autem etiam ut Sacramentum est. Prophetæ Sacramenta omnia novæ Legis, adeoque etiam Pœnitentiam Sacramentalem saltem implicite prædixerunt, prænuntiando Christum Redemptorem, novæ Legis Auctorem, & Ecclesiæ institutorem.

44. Dices V. Si ex illis Christi verbis Joan. Cap. XX. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, colligitur potestatem solvendi a peccatis esse verum novæ Legis Sacramentum; sequeretur etiam ex posterioribus verbis, *Et quorum retinueritis retenta sunt*, colligi, potestatem ligandi esse verum Sacramentum. Atqui hoc dici nequit. Ergo. Resp. N. M. Potestas solvendi a peccatis dicit etiam potestatem conferendi gratiam, quod ad rationem Sacramenti novæ Legis requiritur: at vero potestas retinendi peccata, quamvis & ipsa sit Sacramentalis, quia ordinatur ad veniam & Sacramentum; neque enim alia de causa peccator ligatur, nisi ut deprehensa scelerum suorum magnitudine, vitam in melius mutet, sicque disponatur ad pœnitentiam: nullo tamen pacto est Sacramentum, quia per se gratiam non confert.

45. Obj.

Auctoritatem Patrum.

45. Obj. II. Auctoritas Patrum. S. Pacianus Serm. ad Competentes ait: *Igitur dilectiſſimi, ſemel abluimur, ſemel liberamur, - - - ſemel felices ſunt, quorum remiſſa ſunt peccata. Tenete fortiter quod accepiſtis, ſervate feliciter, amplius peccare nolite: puros vos & immaculatos in diem Domini reſervate.* Ergo S. Pacianus affirmat, peccantibus post Baptisma nullum supereſse remedium, ideoque nullum agnovit Pœnitentiæ Sacramentum. II. S. Augustin. Serm. LXVII. de verbis Domini, & S. Gregor. M. Hom. XXVI. in Evangelia, exemplo Lazari prius a Christo suscitati quam a discipulis solveretur, probant peccatores prius ad vitam gratiæ revocari quam a Sacerdote absolvantur. Resp. ad I. C. A. N. C. S. Pacianus loco citato Baptismi virtutem & excellentiam deprædicat quidem, hortaturque competentes ad perseverandum in Baptismali innocentia: at vero Pœnitentiam verum eſse Sacramentum nullibi negat; præsertim cum alias conſtet, Novatianos, qui volebant quædam peccata eſse irremiſsibilia, a nemine solidius refutatos fuiſse quam a S. Paciano: Ad II. N. C. Patres illi nil aliud volunt, quam contritionem imperfectam eſse dispositionem neceſsariam ad gratiam sanctificantem consequendam per Sacerdotis absolutionem. Nimirum loquuntur de resurrectione & vita spiritali inchoata, quæ consiſtit in actibus fidei, spei, & charitatis imperfectæ, non vero illis sermo est de resurrectione & vita spiritali perfecta; sive de justificatione peccatoris.

Ac rationem.

46. Obj. III. Ratio. Solus Deus poteſtatem habet remittendi peccata. Ergo Poenitentia non eſt Sacramentum, quod ab hominibus adminiſtratur. II. Si Pœnitentia eſset Sacramentum, conſtaret etiam elemento, juxta illud S. Augustini Tract. LXXX. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Atqui in ritu pœnitentiæ nullum datur elementum. Ergo. III. In quolibet Sacramento tria hæc diſtingui poſsunt ac debent, nempe Sacramentum tantum, res Sacramenti, & Sacramentum simul & res Sacramenti.

Atqui

Atqui in Pœnitentia tria hæc distingui non posſunt. Ergo. Resp. ad I. Solus Deus potestatem habet propriam, supremam, independentem remittendi peccata; secundariam vero, ac subordinatam conceſsit Chriſtus Apoſtolis, eorumque succeſsoribus. Ad II. Resp. Si per elementum intelligatur vera materia sensibilis, falsam eſse majorem propositionem generatim sumptam; ad Sacramentum enim novæ Legis sufficit, si verba cadant in aliquod signum sensibile, cujus Sacramentalis significatio magis determinetur per verba, sive dein illud signum sensibile sit elementum, sive res externa a ministro adhibita, sive non. Verba illa Augustini intelligenda sunt de Baptismo solum; quamvis a multis in latiori sensu sumpta, ad alia etiam Sacramenta extendantur, intelligendo per elementum quodlibet signum per verba magis determinatum. Ad III. Resp. N. min. Confeſsio & absolutio dici posſunt Sacramentum tantum; hæ enim cum sensibiles sint, gratiam significant & producunt: res Sacramenti eſt gratia, seu remiſsio peccatorum, quæ significatur, & non significat: Contritio eſt Sacramentum simul, quatenus sit sensibilis per Confeſsionem, & aliquo sensu eſt res Sacramenti, quatenus ex se non cadit sub sensum, sed per Confeſsionem exprimitur. Præterea quamvis Theologi tria hæc in Sacramentis diſtinguere soleant, Ecclesia tamen circa quæstionem hanc nihil hactenus pronuntiavit: neque Sacramenti hujus fides ab his subtilioribus scholæ quæſtionibus pendet.

Falso asſerunt, in Scripturis & Patribus Pœnitentiam non diſtingui a Baptismo.

47. Obj. IV. contra II. Conclusionem, Scripturarum & Patrum auctoritas. Marci Cap. XVI. ait Christus: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Ergo non datur Sacramentum Pœnitentiæ a Baptismo distinctum, secus falsa foret aſsertio Christi. II. Lucæ Cap. III. Baptismus vocatur baptismus pœnitentiæ. III. Patres aliqui, quos inter S. Fulgentius Lib. de Fide ad Petrum, Cap. XXX. Baptismum appellant Sacramentum fidei & pœnitentiæ. IV. S. August. Epist. CLXXXV. alias L. ad Bonifacium

scribit: *Quidquid ab eis, qui post acceptum Baptismum hic vivunt, infirmitate humana contrahitur quarumcunque culparum, propter ipsum Lavacrum dimittitur.* Similia habet Lib. I. de Nuptiis & Concupiscentia, Cap. XXXIII. & Lib. de peccato originis, Cap. XXXIX. Resp. ad I. C. A. N. C. Verba illa, juxta unanimem Patrum & Ecclesiæ doctrinam, cum hac conditione intelligenda sunt, si gratiam per Baptismum acceptam peccando non amiserit, vel hanc per Pœnitentiæ Sacramentum, in re vel saltem in voto susceptum, recuperarit. Ad. II. Resp. Solum Baptismum Joannis in Scripturis vocari baptismum pœnitentiæ; quia per illum non remittebantur peccata ex opere operato; sed tantum ex opere operantis, mediante scilicet pœnitentia perfecta, cujus erat signum, & ad quam excitabat auxilio gratiæ interioris. At vero Baptismus Christi in Scripturis appellatur lavacrum regenerationis & renovationis, renovans nimirum ac regenerans dispositos per pœnitentiam. Ad III. Resp. Baptismum a Patribus atque a S. Fulgentio vocari Sacramentum Pœnitentiæ, non respectu lapsorum post Baptismum; sed respectu infidelium adultorum, qui ad Baptismum non admittuntur, nisi præmissa de peccatis pœnitentia, sive admissorum criminum detestatione ac displicentia, quæ est dispositio necessaria ad justificationem in Baptismo obtinendam. Ad IV. Resp. Juxta Augustinum peccata dimitti propter Baptismum, non tamquam causam proximam, sed velut causam remotam & radicem vitæ spiritalis. Quemadmodum enim in ordine naturali homo nec crescere, nec roborari, nec a morbo potest convalescere, nisi natus antea fuerit: ita spiritali regenerationi seu Baptismo adscribi debet, tamquam primæ radici, quod Christianus per Sacramentum Confirmationis in justitia perficiatur, per Eucharistiam spiritaliter vegetetur, & per Pœnitentiam sanetur, aut etiam mortuus suscitetur. Atque hanc esse genuinam Augustini mentem ipse S. Doctor satis aperte innuit Epist. XCVIII. alias XXIII. ad Bonifacium, ubi ait,

peccata

peccata post Baptismum commiſsa non regeneratione auferri, sed alia curatione sanari.

48. Obj. V. Ratio. Baptismus per peccatum numquam deletur. Ergo tota vita utilis eſse potest, si in memoriam revocetur. Resp. D. A. Baptismus numquam deletur quoad omnes suos effectus, C. A. Quoad aliquos, N. A. & Consec. Tria in Baptismo distingui poſsunt, nempe ritus externus, gratia sanctificans, & character Sacramenti. Ritus externus, qui in ablutione & prolatione verborum consistit, est actio transiens, nec nisi in mente & cogitatione hominis baptizati manere potest: quod non sufficit, ut Baptismus manere dicatur in sensu vero ac proprio; secus etiam Eucharistiæ manducatio semel peracta, semper maneret, adeoque frustra repeteretur. Gratia regenerationis per quodlibet peccatum mortale amittitur, nec nisi per Sacramentum Pœnitentiæ in re vel in voto recuperatur. Character Sacramenti in Baptismo semel impreſsus, numquam amplius deleri potest. Sed neque Protestantes characterem admittunt, neque signum est sensibile atque externum, ut verbo adjunctum proprie Sacramentum constituat. Quare licet Baptismus in suo quodam effectu semper maneat, non tamen vim habet, ut per modum signi sensibilis promiſsionem confirmet, atque illam, ut Protestantes ajunt, obsignare poſsit.

Neque ratio Theologica eis suffragatur.

CONTROVERSIA II.

AN CHRISTUS ECCLESIÆ AUCTORITATEM DEDERIT IN SACRAMENTO POENITENTIÆ VERE AC PROPRIE REMITTENDI DISPOSITIS OMNIA PECCATA, ITA UT NULLUM SIT IN HAC VITA CRIMEN, QUOD REMITTI NON POSSIT?

CONTRA MONTANISTAS, NOVATIANOS, PROTESTANTES.

49. Sæculo II. Montanus in Phrygia Asiæ minoris provincia natus, clavium potestatem omnium primus imminuit, certis criminibus aditum omnem veniæ ac

Error Montani.

reconciliationis præcludens. Peccata is in duas classes partiebatur: alia, sive quod natura levia forent, sive quod adversus hominem perpetrata, posse ab Ecclesia condonari sentiebat: alia vero tum propter innatam gravitatem, tum quod contra Deum commissa forent, remitti non posse contendebat. Quamquam vero enormia illa crimina, v. g. idololatria, homicidium, blasphemia, & mœchia nullam ab Ecclesia veniam forent consecutura; pœnitentiæ actionem tamen coram Ecclesia non inutilem esse dicebat, immo potiùs necessariam ad veniam obtinendam, non quidem ab Ecclesia, sed a Deo. Priscillæ ac Maximillæ fanaticarum mulierum somniis deceptus, in absurdissimam hanc hæresin prolapsus est Tertullianus Presbyter, severioris vir ingenii, doctrina sua, relatisque de Judæis, Gentilibus, Apelle, Marcione, Praxea, Hermogene victoriis alias clarissimus.

Novatianorum.

50. Sæculo III. Novatianus Presbyter Romanus, ob electionem Cornelii in Summum Pontificem invidiæ stimulis agitatus, ut novo Pontifici invidiam conflaret, quia is in idololatriam lapsos salubri pœnitentia expiatos recipiebat, juvante Novato Carthaginensi Presbytero, turbulenti ingenii & projectæ audaciæ homine, Montani errorem ex parte adoptavit, docens peccatum idololatriæ a solo Deo remitti posse; mœchos vero & adulteros initio ad pacem admisit, ut patet ex S. Cypriano Epist. LII. ad Antonianum, ubi ex praxi ipsa & agendi ratione Novatianorum erga mœchos & adulteros, quos ad pacem admittebant, ostendit debere eos pari conditione idololatras excipere, ut nempe post pœnitentiam veniam obtineant. At vero paulo post, confirmata jam hæresi sua, Novatianus feralem suam sententiam ad cæteros etiam peccatores extendit, asseruitque, non idololatriæ modo, sed cæteris quoque criminibus post Baptismum commissis veniam ab Ecclesia tribui non posse. Testantur id innumeri fere Scriptores, Eusebius Lib. VII. Hist. Eccles. Cap. VII. Socrates Lib. IV. Hist. Eccl. Cap. XXIII. & Lib. VII. Cap. XXV. S. Epiphan.

phan. Hær. LIX. S. Ambr. Lib. I. de Pœnit. Cap. I. Theodoretus Lib. III. Hæretic. Fabularum, Cap. V. S. Pacianus Epiſt. III. ad Sympronianum. S. August. Lib. de Agone Chriſtiano, Cap. XXXI. Non nulli tamen Novatianorum sæculo IV. magiſtri sui dogma paulo emolliendum ac temperandum sibi eſse censuerunt, facto graviora inter & leviora peccata discrimine, & poteſtatem Ecclesiæ concedendo leviora dimittendi. Patet id ex S. Ambrosio, qui Lib. I. de Pœnit. Cap. II. scribit: *Sed ajunt* (Novatiani) *ſe exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem author veſtri erroris Novatus, qui nemini pœnitentiam dandam putavit. - - - In eo igitur patrem veſtrum propria damnatis ſententia, qui diſtinctionem peccatorum facitis, quæ ſolvenda nobis putetis, & quæ ſine remedio eſſe arbitremini.*

51. Proteſtantes, cum Pœnitentiam pro vero novæ Legis Sacramento non agnoscant, doceantque confeſsionem peccatorum neceſsariam non eſse, nec absolutionem Sacerdotis actum eſse judicii, qui coram Deo animam a peccatis mundet; poteſtatem ligandi & solvendi reponunt in nuda & concionali declaratione peccata eſse remiſsa a Deo, quin ea a Sacerdote vere ac juridice dimittantur. Multi equidem e veteribus Scholasticis, quos inter Petrus Lombardus Lib. IV. Sententiarum, Diſt. XVIII. S. Bonaventura, Alexander de Ales, Joannes Major, & Gabriel Biel, rati contritionem ex charitate perfecta neceſsario prærequiri in pœnitente, ut a Sacerdote valide absolvi queat, docuerunt Sacerdotis absolutionem declarativam dumtaxat eſse peccati a Deo jam dimiſsi. At veterum hæc Theologorum opinio, quamvis oppido falsa sit, atque a Catholicis nunc deseratur, multum sane a Protestantium erroribus discrepat. Præterquam enim quod Veteres illi unanimi consensu docuerint, Pœnitentiam verum eſse & proprie dictum Sacramentum, & Confeſsionem Sacramentalem plane neceſsariam eſse, tamquam certum & exploratum ſtatuebant, Imo. Sacerdotes in tribunali Pœniten-

Proteſtantium, ac veterum quorumdam Scholaſticorum.

tiæ

tiæ non esse solum præcones divinæ clementiæ, sed Judices agere, & juridice declarare peccata esse remissa. II. Per Contritionem, quantumcunque perfectam, peccata non deleri, nisi in ordine ad claves Ecclesiæ; quia in contritione includitur votum Sacramenti, cum obligatione peccata clavibus Ecclesiæ subjiciendi. III. Absolutionem Sacerdotis utilem esse, tum ad gratiæ sanctificantis augmentum, tum ad remissionem pœnæ temporariæ, peccatis in confessione expositis debitæ: quæ omnia Protestantes inficiantur. Atque hæc est ratio, ob quam communiter negant Theologi cum Andrea Vega, Dominico Soto, Salmerone, ac Pallavicino, sententiam hanc a Tridentino Sess. XIV. Can. IX. proscriptam fuisse; quamvis non desint nobiles etiam Theologi, qui cum Vasquio, Suario, Estio &c. damnationis notam illi inurunt.

Per claves Ecclesiæ omnia peccata remitti ostenditur ex Scripturis.

52. Conclusio I. Christus Ecclesiæ suæ concessit auctoritatem remittendi dispositis in Sacramento Pœnitentiæ omnia prorsus peccata, quamtumcunque gravia, in hac vita commissa. Prob. Conclusio hæc dogmatica I. Scripturarum auctoritate. Christus, nullo facto discrimine peccatorum levium & graviorum, Matth. Cap. XVI. plenam ligandi & solvendi a peccatis potestatem B. Petro promisit: *Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Item reliquis Apostolis Matth. Cap. XVIII. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Hancque ipsam auctoritatem, quam, promiserat actu Apostolis contulit Joan. Cap. XX. *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ergo omnia peccata fidelium, quantumcunque gravia sint, subjiciuntur clavibus Ecclesiæ, atque ab ea remitti possunt auctoritate sibi a Christo collata.

Exemplo Apostolorum.

53. Prob. II. Apostolorum exemplo, qui auctoritate hac a Christo concessa usi sunt, gravissima crimina remittendo. S. Joannes Evangelista perditissimum

num juvenem, qui post Baptismum latronum ducem se constituerat, ad pœnitentiam reduxit, ac pœnitentiæ lacrymis purgatum communioni restituit, ut narrant Eusebius Hist. Eccles. Lib. III. Cap. XVII. & S. Chrysost. Lib. I. ad Theodorum, Cap. XI. Apostolus I. ad Cor. Cap. V. Corinthium quemdam; inaudita vel inter Gentes fornicatione pollutum, quippe qui uxorem patris sui duxerat, Satanæ tradidit in interitum carnis: eumdemque dura pœnitentia perfunctum II. ad Cor. Cap. II. Ecclesiæ restituit, ac veniam delicti in persona Christi indulsit: *Nam & ego quod donavi, siquid donavi, propter vos in persona Christi.* Tertullianus in Montani hæresin jam prolapsus, vim exempli hujus declinare non potuit, nisi negando, reclamante quamvis ipsa sacri textus evidentia, unum eumdemque fuisse hominem, quem Apostolus I. ad Cor. Cap. V. Satanæ tradiderat in carnis interitum, & cui II. ad Cor. Cap. II. veniam sceleris indulsit.

54. Prob. III. Auctoritate Patrum. S. Cypr. Epist. LIV. ad Cornelium scribit: *Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas & divina clementia, Ecclesiam pulsantibus claudi, & dolentibus ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de sæculo recedentes sine communicatione & pace ad Dominum dimitterentur; quando permiserit ipse qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cœlis ligata essent; solvi autem possent illic, quæ hic prius in Ecclesia solverentur.* S. Pacianus Epist. I. ad Sympronianum: *Quid illa tot similitudinum Dominicarum argumenta respondent? Quod drachmam invenit mulier, & gratulatur inventam; quod pastor ovem reportat erraticam; quod filio revertenti post prodacta omnia bona, & cum meretricibus & fornicariis epotata, pater blandus occurrit, & invidum fratrem offensa ratione castigat? Filius, inquiens, meus hic mortuus fuerat, & revixit; perierat, & inventus est. Quid ille in via vulneratus, a Levita & Sacerdote præteritus? Nonne curatur? Revolve quæ Spiritus dicat Ecclesiis. Ephesios desertæ* *Auctoritatem Patrum.*

ſertæ dilectionis accuſat; ſtuprum Tiathyrenis imputat; Sardos in opere ceſſantes, Pergamenos docentes diverſa reprehendit, Laodicenorum divitias inurit; & tamen omnes ad pœnitentiam ſatisfactionis invitat. S. Hilarius Can. XVIII. in Math. *Neque fas eſt nos ex præſcripto legis dandæ veniæ numero concludi; cum per Evangelii gratiam ſine modo nobis a Deo fuerit indulta.* S. Ambr. Lib. I. de Pœnit. Cap. VI. ita Christum affatur: *Dicis Petro excuſanti ne ei pedes lavares, Niſi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum. Quod ergo iſti* (Novatiani) *poſſunt conſortium tecum habere, qui claves regni cœlorum non ſuſpiciunt, negantes quod dimittere peccata debeant? Quod quidem recte de ſe fatentur; non habent enim Petri hæreditatem, qui Petri fidem non habent, quam impia diviſione diſcerpunt. Sed hoc improbe, quod etiam in Eccleſia donari peccata negant poſſe, cum Petro dictum ſit: Tibi dabo claves regni cœlorum.* S. Hieron. Epist. ad Oceanum: *Fruſtra mortuus eſt Chriſtus, ſi aliquos vivificare non poteſt: mentitur Joannes Baptiſta, & digito Chriſtum & voce demonſtrans, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, ſi ſunt adhuc in ſæculo, quorum Chriſtus peccata non tulerit.* S. Chrysost. Paræneſi I. ad Theodorum: *Talis eſt erga homines pietas Dei: numquam ſpernit pœnitentiam, ſi ei ſincere & ſimpliciter offeratur, etiamſi ad ſummum quis perveniat malorum, & inde tamen velit reverti ad virtutis viam: ſuſcipit libenter, & amplectitur, & facit omnia, quatenus ad priorem revocet ſtatum.* S. August. Serm. CCCLI. alias Hom. L. *Hic fortaſſe dicis, Sed ego jam baptizatus ſum in Chriſto, a quo omnia mihi peccata præterita dimiſſa ſunt; vilis factus ſum nimis iterans vias meas, & canis horribilis oculis Dei, converſus ad vomitum ſuum. Quo ibo a Spiritu ejus, & a facie ejus quo fugiam? Quo, frater, niſi ad ejus miſericordiam pœnitendo, cujus poteſtatem peccando contempſeras? Nemo enim recte fugit ab illo, niſi ad illum, ab ejus ſeveritate ad ejus bonitatem. - - - Quidquid enim feceris, quæcunque peccaveris; adhuc in vita es, unde te Deus omnino, ſi ſanare nollet, auferret. Cur*

ergo

ergo ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Qui enim clamando non tibi persuasit ut non recederes, parcendo clamat ut redeas. Et Lib. de Agone Christiano, Cap. XXXI. Novatianos his verbis redarguit: *Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri dum in Petro Petram non intelligunt, & nolunt credere datas Ecclesiæ claves regni cœlorum, ipsi eas de manibus amiserunt.*

55. Prob. IV. Auctoritate Conciliorum. Quamprimum enim Montanus in minori Asia errores suos vulgavit, eos illius regionis Episcopi continuo tamquam hæreticos profligarunt, & Zephyrinus Romanus Pontifex Edictum contra Montanistas promulgavit, quo jussit, ut mœchis pœnitentia functis venia concederetur. Novatiani Romæ in Concilio LX. Episcoporum A. 255. eodemque pene tempore in Synodo Antiochena sub Demetrio, & Carthaginensi Episcoporum XLII. damnati, & Ecclesiæ communione privati sunt; hocque judicium sæculo IV. & V. imo & posterioribus etiam sæpius confirmatum est. In Lateranensi IV. Cap. I. dicitur: *Si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari.* Et in Trident. Sess. XIV. Can. I. *Siquis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere & proprie Sacramentum, pro fidelibus quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.* *Ac Conciliorum.*

56. Prob. V. Ex constanti ac perpetua Ecclesiæ universæ consuetudine, quæ pœnitentes gravissimorum criminum reos semper ad pacem & veniam admisit, ut satis ostendunt Decreta Conciliorum, Patrum statuta, & Librorum Pœnitentialium sanctiones, quibus certus pœnitentiæ agendæ modus, ratio, mensura, & tempus definitur, pro diversa peccatorum specie & gravitate. *Ex constanti Ecclesiæ praxi.*

57. Prob. VI. Paritate. Minister Baptismi nullam Deo injuriam infert, quod Sacramentum hoc adminis- *Ac paritate.*

ſtrando peccata omnia vere dimittat. Ergo idem pariter dicendum eſt de Sacerdote miniſtro Pœnitentiæ, quia utrobique eadem eſt auctoritas a Deo accepta. Atque hoc argumento ad hominem sæpius usi sunt Patres adversus Novatianos. S. Pacianus Epist. III. ad Sympronianum ait: *Sive baptizamus, ſive ad pœnitentiam cogimus, ſeu veniam petentibus relaxamus, Chriſto id auctore tractamus.* S. Ambr. Lib. I. de Pœnit. Cap. VIII. *Cur baptizatis, ſi per hominem peccata remitti non licet? In Baptiſmo enim utique remiſſio peccatorum omnium eſt. Quid intereſt, utrum per Pœnitentiam, an per Lavacrum hoc jus ſibi datum Sacerdotes vindicent? Unum in utroque myſterium eſt.*

In Sacramento Pœnitentiæ peccata vere ac proprie remitti evincitur ex Scripturis.

58. Conclusio II. Ecclesia a Chriſto poteſtatem accepit, non tantum dispositis in Sacramento Pœnitentiæ declarandi peccata eſse remiſsa, sed etiam vere ac proprie illa remittendi. Prob. I. Auctoritate Script. Joan. Cap. XX. Chriſtus ait ad Apoſtolos: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. - - - Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* At Chriſtus non declarabat tantum peccata eſse remiſsa, sed vere ac proprie condonabat ac remittebat. Et sane hæc vox *peccata remittere*, ex sua propria significatione, non denotat declarationem peccati remiſsi, sed veram peccati remiſsionem, ut patet ex Cap. V. S. Lucæ, ubi Chriſtus Scribis & Phariſæis indignantibus, non quod Paralytico declaraſset dimiſsa ei eſse peccata, sicut olim Nathan declaraverat Davidi; sed quod poteſtatem sibi arrogaret ea vere remittendi, ut sacer textus manifeſte indicat: *Et cœperunt cogitare Scribæ & Phariſæi, dicentes: Quis eſt hic, qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* illico respondit: *Ut autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, (ait Paralytico) Tibi dico, ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Sicque edito miraculo significationem harum vocum confirmavit. Ergo Sacerdotes vere ac proprie remittunt pœnitentibus

tibus peccata. *Confirm.* I. Ligare non idem dicit, quod offendere ligatum. Ergo etiam solvere non idem dicit ac solutum a vinculis pronuntiare. *Confirm.* II. Quotiescunque in Scripturis dicitur, per Baptismum remitti peccata, semper significatur vera remissio peccatorum, non vero declaratio factæ remissionis. Ergo etiam iisdem verbis idem significatur, quando Joan. Cap. XX. tradita fuit Apostolis potestas remittendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ.

59. Prob. II. Auctoritate Patrum. S. Hilarius Can. XVI. in Matth. ait: *O Beatus cœli janitor! cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in cœlo; ut quæ in terris aut ligata sint aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant & in cœlo.* S. Ambr. Lib. II. de Pœnit. Cap. II. *Impossibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti;* (vere nimirum & proprie, non tantum declarando, quod in veteri etiam Testamento a Sacerdotibus & Prophetis fiebat,) *concessit hoc Christus Apostolis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est.* S. Chrysost. Lib. III. de Sacerdotio, Cap. VI. *Corporis lepram purgare, seu verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Judæorum Sacerdotibus solis licebat. At vero nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.* Et Hom. V. de verbis Jsajæ: *A terra judicandi principalem auctoritatem sumit cœlum. Nam judex sedet in terra, Dominus sequitur servum.* S. Hieron. Epist. I. ad Heliodorum scribit: *Qui claves regni cœlorum habentes, quodammodo ante judicii diem judicant.* S. Cyril. Alexandrin. Lib. XII. Commentar. in Joan. *Duobus modis Dei Spiritu afflati homines peccata remittunt ac retinent; vel cum dignos admittunt ad Baptismum, & indignos excludunt; vel cum filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, ac pœnitentibus ignoscunt.* S. Bernardus Serm. I. in Natali Apostolor. Petri & Pauli: *Sententia Petri præcedit sententiam cœli.* Atqui si Sacerdos declararet solummodo *Patribus.*

do peccata esse remissa, sententia cœli præcederet sententiam Petri.

Conciliis. 60. Prob. III. Auctoritate Conciliorum. Trident. Sess. XIV. Cap. VI. ait: *Quamvis autem absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata; sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut a judice sententia pronuntiatur.* Et Can. IX. *Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi, remissa esse peccata confitenti; - - - anathema sit.* Posset etiam hæc Conclusio confirmari auctoritate eorum Conciliorum, quæ contra Montanistas & Novatianos habita fuerunt. Præcipua enim quæstio erat, an Ecclesia potestatem a Christo acceperit, non declarandi tantum, sed vere ac proprie remittendi quælibet peccata, etiam graviora; cum verisimile non sit, hæreticos illos eam potestatem Sacerdotibus nostris denegare voluisse, quam in veteri testamento a Nathan Propheta exercitam fuisse optime noverant, quando Davidi annuntiavit, homicidium & adulterium fuisse illi a Deo remissa.

Ac ratione Theologica. 61. Prob. IV. Ratione Theologica. I^ma est. Si Sacerdos absolvendo peccata vere non remitteret, sed dumtaxat declararet illa esse remissa, tunc Sacramentum Pœnitentiæ neque efficeret ex opere operato gratiam sanctificantem, quæ pœnitentem cum Deo reconciliat, sed eam præsumeret: neque vi sua remitteret æternam pœnam, cujus remissio non sejungitur a remissione culpæ. Atqui juxta Patres, Concilia, & Theologos, hi duo sunt primarii effectus Sacramenti Pœnitentiæ. Ergo. II. Clavium officium est, januam vere aperire, non vero apertam ostendere. Ergo cum Christus Ecclesiæ suæ dederit potestatem clavium, hoc ipso dedit illi potestatem fores cœlorum fidelibus aperiendi, vere illos solvendo a peccatis. III. Declaratio hæc remissionis peccatorum esset inutilis. Non enim fieri potest Deo, qui omnia novit: non Ecclesiæ, quia negotium hoc ad forum exterius

non

non pertinet: non Sacerdoti seu ministro, quia declaratio illa non ministrum, sed pœnitentem respicit, atque ad eum dirigitur: non ipsi denique pœnitenti, quia ille longe certius judicium formare potest de propria dispositione ac contritione, quam Sacerdos ex solis signis exterioribus pœnitentis; adeoque declaratio hæc a Sacerdote pœnitenti facta, supervacanea foret & inutilis.

Argumenta contraria refutantur.

Catholico dogmati frustra opponitur auctoritas Scripturarum veteris.

62. Objicitur I. contra Imam Concl. Scripturarum veteris instrumenti auctoritas. I. Regum Cap. II. dicitur: *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Ergo peccata graviora non remittuntur. II. Proverb. Cap. I. *Quia vocavi, & renuistis. - - - Tunc invocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non invenient me.* Et Psal. XVII. *Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos.* III. Deuteron. Cap. XXXII. Jsraëlitarum peccatum dicitur *venenum aspidum insanabile.* Et Jeremiæ Cap. XXX. *Insanabilis fractura tua.* IV. II. Machab. Cap. IX. *Orabat hic sceleſtus* (Antiochus Rex) *Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Resp. ad I. N. C. Ut enim S. Ambr. observat Lib. I. de Pœnit. Cap. IX. non dicitur, nullus orabit pro eo, sed, *Quis orabit pro eo?* Jd est, non quilibet orabit pro eo, sed singularis Dei amicus; quo enim major est culpa, eo majora & potentiora quærenda sunt suffragia. Resp. II. Heli Summus Sacerdos Judæorum loco cit. filios suos Ophni & Phinees increpat, qui ingluvie sua, rapacitate, atque incontinentia retrahebant homines a Sacrificio Domini; aitque, si polluto Tabernaculo cessent Sacrificia, hominesque ab illis retrahantur, nullum supereſse sensibile remedium, quo placari possit divina justitia. Atque hic videtur esse litteralis hujus loci sensus. Ad II. Resp. Verba Sapientiæ in Proverbiis accipienda esse de illis, qui inutilem

lem

lem post hanc vitam pœnitentiam agunt; aut etiam de iis, qui in hac vita Deum ex toto corde non quærunt. Psalmista ait illos non exaudiendos, qui absque sincera cordis conversione clamant ad Dominum, vel eo tantum consilio, ut a molestiis quibusdam temporariis liberentur; de sincera enim Dei invocatione Joelis Cap. II. dicitur: *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Ad III. Resp. Israëlitarum peccatum dici venenum insanabile, ac fracturam insanabilem, ex hypothesi quod pœnitentiam repudient, quæ unicum est medium ad obtinendam peccatorum remissionem. Ad. IV. Resp. Antiochum peccatorum remissionem non obtinuisse ob defectum contritionis veræ, supernaturalis, ac perfectæ; quia ex solo desiderio sanitatis recuperandæ de peccatis suis dolebat. Cæterum observo, si hæc Scripturarum loca Novatianis faverent, sequeretur neque in ipso Baptismo omnia peccata posse remitti.

Ac novi Testamenti.

63. Obj. II. Scriptura novi Testamenti. Matth. Cap. XII. ait Christus: *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Ergo blasphemia in Spiritum Sanctum remitti nequit. II. I. Joan. Cap. V. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petet, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.* Ergo omne peccatum mortale remitti non potest. III. Ad Hebr. Cap. VI. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, - - & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimet ipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Ergo post Baptismum nullum supereſt lapsis remedium. IV. Ad Hebr. Cap. X. *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.* V. Ad Hebr. Cap. XII. *Non invenit* (Esau) *pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset*

fisset eam. VI. Actuum Cap. VIII. B. Petrus Simonem Magum baptizatum ita alloquitur: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua: & roga Deum, si forte remittatur tibi hœc cogitatio cordis tui.* Ergo saltem incertum est, an remittantur peccata gravia. Resp. ad I. N. C. Verba illa: *Non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*, non significant blasphemiam in Spiritum Sanctum numquam omnino remitti, etiamsi sincera agatur pœnitentia; sed denotant raro admodum ita peccantibus gratiam congruam dari, qua adjuti serio peccatum suum detestentur, ejusque remissionem sic obtineant. Hujus rei ratio gemina assignari potest. I^ma est, quia blasphemans in Spiritum Sanctum viam sibi præcludit ad veritatem & ad gratiam Dei, quam directe repudiat. II. Quia peccatum hoc nullam admittit excusationem, sicuti cætera quæ ex ignorantia aliqua vel infirmitate proficiscuntur. Cæterum per blasphemiam in Spiritum Sanctum non intelligitur quodlibet peccatum grave, sed malitiosa impugnatio cognitæ & manifestæ veritatis, ac detestabilis illa calumnia, qua contra propriam mentem miracula divina dæmoni adscribuntur, invidia & malitia stimulantibus. Hujus blasphemiæ rei erant Judæi, qui quantumlibet evidentia miraculorum Christi perstricti, de Christo tamen dicebant Matth. Cap. XII. *Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Ita S. Pacianus Epist. III. ad Sympronianum. S. Athan. Orat. II. contra Arianos. S. Basilius in Quæst. compendio explicatis, Quæst. CCLXXIII. S. Hilarius Can. V. & XII. in Matth. S. Ambr. Lib. I. de Spiritu Sancto, Cap. III. S. Hier. Comment. in Cap. XII. Matth. Cæterum blasphemia illa singulari quadam ratione dicitur peccatum in Spiritum Sanctum, quia operatio miraculorum & animorum illustratio per quamdam appropriationem Spiritui Sancto tribuuntur. Ad II. Resp. N. C. Per peccatum ad mortem vel intelligitur illud, in quo quis cum impœnitentia moritur, quod certe post hanc vitam non remittitur, cum in inferno nulla sit

redemptio;

redemptio: vel intelligitur graviſsimum aliquod peccatum, quod raro & difficulter remitti solet. Ita S. Hier. Lib. II. contra Jovinianum: *Cernis, quod ſi pro peccatis minoribus deprecemur, impetremus veniam; ſi pro majoribus, difficilis impetratio ſit.* Sensus itaque citati loci hic est: Si peccatum est ad mortem, id est, graviſsimum ex genere illorum, quæ ordinarie non remittuntur, sed æterna morte puniuntur; non prohibeo quidem orare, sed non audeo polliceri vos facile impetraturos: ideo non dico ut roget quis, nimirum cum illa certa fiducia impetrandi; sæpe enim Deus in tali negotio preces Sanctorum non audit. Ad III. Resp. N. C. Apostolus loco cit. non loquitur de regeneratione minus perfecta, quæ sit in Sacramento Pœnitentiæ, remanente obligatione satisfaciendi & reatu aliquo pœnæ temporariæ; sed de perfecta renovatione quæ sit in Baptismo, quacum conjuncta est perfecta remiſsio peccatorum quoad omnem pœnam & culpam. Ad Hebraeos itaque ſcribens, ut occurreret falsæ illorum opinioni, Baptisma Christi, sicut legale, sæpius iterari poſse; ait impoſsibile eſse, ut semel illuminati seu baptizati iterum baptizentur, & gratiam regenerationis & renovationis, quam per Baptismum ac pœnitentiam ante baptismum aſsecuti fuerant, iterum recuperent per pœnitentiam quæ Baptismum subsequitur. Tum statim impoſsibilitatis hujus rationem subjungit. Cum enim Baptismus sit figura & repræsentatio mortis Christi, qui iterum baptizantur hoc ipso significant, Crucem a Christo susceptam, & priore unicoque Baptismo adumbratam non sufficere; sed opus eſse ut Christus iterum crucifigatur, quo secundum Baptismum instituat: unde iterantes Baptisma, Christum in se ipsis figurate crucifigunt, ejusque mortis efficacitatem vilipendunt. Ita S. Athan. Epist. IV. ad Serapionem. S. Ambr. Lib. II. de Pœnit. Cap. II. S. Epiph. Hær. LIX. S. Chrys. Hom. IX. in Epist. ad Hebr. S. Aug. in Exposit. inchoata Epist. ad Rom. S. Damasc. Lib. IV. de Fide Orthod. Cap. X.

Quare

Quare distinguenda est Apostoli propositio. Impossibile est renovari ad pœnitentiam, id est, eos recuperare Baptismatis gratiam, quatenus est gratia regenerationis & renovationis, C. A. Impossibile est obtinere veniam peccatorum per pœnitentiam, & justificari per gratiam sanationis & reconciliationis, N. A. Ad IV. Resp. Apostolum loqui de peccato apostasiæ, ut satis indicant præcedentia verba, *Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam:* atque ex hypothesi, quod ad Christum redire nolint. Sensus itaque est, deficientibus a fide Christi nullam superesse hostiam, qua peccata expientur in tali statu, cum abnegaverint Christum qui sola est hostia peccata expians. Ad V. Resp. pœnitentiam illam non referendam esse ad Esau, sed ad Isaac ejus patrem; ita ut sensus sit, non potuisse Esau fusis etiam lacrymis a parente suo Isaac impetrare, ut benedictionem Jacobo datam revocaret. Ad VI. Resp. N. C. Vox *forte* significat hic Simonis libertatem, & obtinendæ veniæ difficultatem, aut etiam incertitudinem; non quidem ex parte Dei, ac si incertum foret, an Deus pœnitenti veniam sit daturus; sed ex parte hominis, de quo merito dubitabat Petrus, an sit umquam de hoc peccato pœnitentiam acturus.

64. Obj. III. Auctoritas Patrum. Origenes & Theognostus, ut refert S. Athan. Epist. IV. ad Serapionem, docuerunt, quodlibet peccatum mortale post Baptismum, esse blasphemiam in Spiritum Sanctum, & remitti non posse. II. S. Athanasius l. c. blasphemiam in Spiritum Sanctum vocat *inveniabilem, indeprecabilem, irremissibilem.* III. Firmilianus Epist. inter Cyprianicas LXXV. loquens de lapsis, quibus pœnitentia fuerat imposita, scribit: *Non quasi a nobis remissionem peccatorum consequantur, sed ut per nos ad intelligentiam delictorum suorum convertantur, & Domino plenius satisfacere cogantur.* IV. S. Pacianus Epist. III. ad Sympronianum de blasphemia in Spiritum Sanctum scribit: *Hoc est ergo, quod non dimittetur; reliqua* *Auctoritas Patrum.*

bonis pœnitentibus, frater Symproniane, donantur. V. S. Ambr. Lib. II. de Pœnit. Cap. IV. Novatianis contendentibus omne peccatum remitti non poſse, solam excipit blasphemiam in Spiritum Sanctum, de qua dictum est a Domino: *Non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Et Lib. I. de Spiritu Sancto, Cap. III. scribit: *Siquis vero Sancti Spiritus dignitatem, majeſtatem, & poteſtatem abneget, non poteſt ibi exoratio eſſe veniæ, ubi ſacrilegii plenitudo eſt; quia qui Spiritum negavit, Deum Patrem negavit, & Filium.* VI. S. Hier. Epist. CXLIX. ad Marcellam scribit: *Manifeſtum eſt, peccatum in Spiritum Sanctum ideo non poſſe dimitti, quod habeat blaſphemiam; ut cum videas in virtutibus Deum, Beelzebub calumnieris in factis. Doceat igitur* (Novatianus) *aliquem negatorem* (Christi in tormentis) *Beelzebub vocaſſe Chriſtum, & ultro referam gradum, negatorem non poſſe veniam conſequi poſt ruinam.*

65. Resp. ad I. Quamvis Origenes & Theognostus in ea iſsent fuopinione, omnia peccata gravia Baptizatorum eſse blasphemiam in Spiritum Sanctum, quod tamen pro certo affirmari nequit, cum obscura eorum verba benigniorem interpretationem patiantur; nihilominus peccata baptizatorum non docuerunt remitti non poſse absolute, sed si referantur dumtaxat ad peccata Gentilium; quia illi aliquam poſsunt peccatis suis excusationem obtendere, quam obtendere nequeunt baptizati: ideoque horum peccata difficilius remittuntur. Et sane Origenes Lib. III. contra Celsum, doctrinam Catholicam diserte propugnat; eidem enim exprobranti, quod Ecclesia homines variis sceleribus post Baptismum inquinatos recipiat, sic respondet: *Rurſum reſipiſcentes, haud ſecus quam redivivos recipiunt tandem, poſt longiorem melioris mentis approbationem, quam cum primum ad religionem diſcendam admitterentur, ea tamen conditione, ut quoniam lapſi ſunt, in poſterum excludantur ab omnibus dignitatibus & Magiſtratibus Eccleſiaſticis.* Ad II. Resp. S. Athan. blasphemiam illam dicit non poſse remitti tunc tantum, quando conjuncta est cum finali impœ-

nitentia,

nitentia, ut patet ex ejusdem Tractatu de communi Natura Patris, Filii, & Spiritus Sancti, Num. XLIX. *Quin & hoc observandum est, non dixisse Christum, blasphemanti & pœnitentiam agenti remissionem dandam non esse; sed blasphemanti, & in blasphemia perseveranti. Quandoquidem nullum est peccatum irremissibile apud Deum illis, qui verè, & ex animo, & ut par est, pœnitentiam agunt.* Cæterum singularem hujus blasphemiæ præ aliis peccatis gravitatem indicavit, & proprium ejus characterem in eo reposuit S. Athanasius, quod difficilius remittatur, quia difficilius de illa pœnitentia agitur. Ad III. Resp. Firmilianum, aliosque Patres per hæc & similia verba indicare tantum voluisse, Episcopos & Sacerdotes non propria, sed Christi auctoritate peccata dimittere, a quo certis regulis & legibus adstricti sunt. Quod vero Firmilianus agnoverit potestatem remittendi peccata Ecclesiæ fuisse a Christo communicatam, patet ex eadem Epistola, in qua ait: *Potestas ergo peccatorum remittendorum Apostolis data est, & Ecclesiis, quas illi à Christo missi constituerunt, & Episcopis qui eis ordinatione vicaria successerunt.* Ad IV. Resp. S. Pacianum refellere ibi errorem Novatianorum, dicentium omne baptizatorum peccatum esse blasphemiam in Spiritum Sanctum. Ostendit itaque S. Doctor, eam esse peculiare quoddam peccatum, ex obstinata malitia & voluntaria cæcitate procedens; quod non ait absolute remitti non posse, sed tantum ea facilitate non remitti, qua cætera peccata, quæ errore, aut metu, aut carnis infirmitate committuntur; scribit enim citata Epistola: *Cum enim Christus dixit, quæcunque solveritis, erunt soluta, nihil excepit, non magna, non modica peccata.* Ad V. Resp. S. Ambrosium usum fuisse argumento ad hominem. Cum enim Novatiani contenderent, omne generatim peccatum, post Baptisma commissum, ab Ecclesia relaxari non posse, ostendit, non quodlibet baptizatorum peccatum esse blasphemiam in Spiritum Sanctum. Hinc dato etiam, at non concesso, blasphemiam hanc remitti non posse, negat Novatianos legitime infer-

re, nullum peccatum ab Ecclesia posse remitti. Lib. I. de Spiritu Sancto Cap. III. S. Ambrosius non loquitur absolute, sed referendo tantum ad alia peccata, quæ facilius remittuntur. Ad VI. Hieronymus rogatus a Marcella, totus in eo est, ut ostendat idololatriam & abnegationem Christi non esse blasphemiam in Spiritum Sanctum; ideoque quamvis hæc remitti non posset, pessime omnino Novatianos inferre, iis qui acerbitate tormentorum victi a Christo defecerunt, veniam non esse dandam ab Ecclesia. Cæterum an blasphemia in Spiritum Sanctum omnino remitti non posset, S. Doctor loco cit. non examinat, quia plura scribere per temporis angustias non licebat, ut ipse ait in fine illius Epistolæ: *Fuerat quidem prolixius differendum; sed quoniam amicis, qui ad nostrum hospitiolum convenerunt, præsentiam nostram negare non possumus; & tibi non statim respondere visum est arrogantis: latam disputationem brevi sermone comprehendimus.*

Ecclesiæ praxis circa damnatos ad mortem.

66. Obj. IV. Ecclesiæ consvetudo circa damnatos ad mortem. Ecclesia criminum reis ad mortem damnatis denegavit Sacramentum Pœnitentiæ. Ergo judicavit gravia crimina remitti non posse. Resp. I. N. C. Si enim vera forent, quæ in antecedente dicuntur, id factum non fuisset, quia Ecclesia judicavit gravia crimina remitti non posse; sed in vindictam delictorum, & ad cæteros ab enormibus illis criminibus absterrendos. Resp. II. N. A. Hanc non fuisse Ecclesiæ consvetudinem, sed sæcularium quorumdam Principum excessum facili negotio probari potest. Ut enim nihil dicamus de Nicænæ Synodi, Cœlestini, ac Leonis I. Decretis, quæ paulo inferius exhibebimus, Vormatiense Concilium A. 868. agens de iis, qui in patibulis suspenduntur, ita disserit Can. LXXX. *Si omnibus, de peccatis suis puram confessionem agentibus & digne pœnitentibus, Communio in fine secundum Canonicum jussum danda est, cur non etiam iis, qui pro suis peccatis pœnam extremam persolvunt? Scriptum est enim: Non vindicat Deus bis in id ipsum.*

ipsum. Nam Dominus ait: In quocunque die conversus fuerit peccator, peccata ejus non reputabuntur ei. Vormatiensi concinit Triburiense eodem sæculo IX. celebratum Cap. XXXI. Consuetudinem hanc barbaram ac truculentam damnatos ad mortem a Sacramento Pœnitentiæ arcendi improbarunt in Anglia Lambetense Concilium A. 1261. & Londinense A. 1268; quin etiam Reges ipsi Ethelredus & Eduardus sanctissimas ediderunt leges in gratiam damnatorum confiteri volentium, quas confirmavit Canutus Rex, additis pœnis in Judices qui eas violarent. In Galliis Clemens V. Pontifex Romanus in Concilio Viennensi Constitutionem edidit ad hujusmodi abusum abolendum, quæ habetur Lib. V. Clementin. Tit. IX. Cap. I. eamque Edicto suo observari mandavit Carolus VI. Galliarum Rex A. 1396. Quin S. Pius V. Eucharistiam etiam ultimum supplicium subituris præberi jussit, ut habetur ex ejus Epistola A. 1568. ad Rossanensem Archiepiscopum, suum in Hispaniis Legatum, data.

Circa reos gravissimorum criminum.

67. Obj. V. Ecclesiæ consuetudo circa reos gravissimorum criminum, homicidii, idololatriæ, & mœchiæ. Ecclesia priscis temporibus a reconciliatione exclusos voluit idololatras, mœchos, & homicidas. Ergo. P. A. Tertul. Lib. de Pudicitia, Cap. V. Zephyrini Papæ Decretum reprehendit, quod ille paulo ante Romæ ediderat: *Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.* Ergo, ante Zephyrinum, mœchis & adulteris perinde ac idololatris & homicidis venia fuit denegata; a Zephyrino autem data est illis venia, retenta erga idololatras & homicidas priori severitate. II. S. Cypr. Epist. LII. ad Antonianum scribit: *Apud Antecessores nostros quidam de Episcopis istic in provincia nostra dandam mœchis pacem non putaverunt; & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clausérunt.* III. Idem S. Doctor Epist. XIV. statuit, ut qui libellum a Martyribus acceperunt, si premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologesi facta, & manu in pœnitentiam imposita,

cum

cum pace ad Dominum remittantur, idque in gratiam Martyrum; cæteros vero, qui libellos a Martyribus non obtinuerant, expectare jussit, donec pax Ecclesiæ foret reddita. Ergo lapsis in idololatriam pax non dabatur ab Ecclesia; alias novo illo Decreto S. Cyprianus nullum exhibuisset favorem lapsis illis, qui libellos seu litteras commendatitias a Martyribus acceperant. IV. Eliberitanum initio sæculi IV. Can. I. ait: *Placuit inter eos, qui post fidem Baptismi salutaris, adulta ætate, ad templum idololatraturus accesserit, & fecerit, quod est crimen principale: quia est summum scelus, placuit, nec in fine eum communionem accipere.*

68. Resp. N. A. Ecclesiam, tamquam piam matrem, omnibus vere pœnitentibus quorumcunque scelerum veniam indulsisse, ostenditur I. Apostoli exemplo, qui incestuosum hominem, mœcho utique deteriorem post pœnitentiam minime diuturnam absolvi præcepit. II. Auctoritate Conciliorum. Nicænum I. Can. XIII. nullo facto peccatorum discrimine, ait: *De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur; ita ut siquis egreditur e corpore, ultimo & maxime necessario viatico minime privetur.* Ergo omnes pœnitentes jussit ante Eucharistiæ perceptionem absolvi. Trident. Sess. XIV. Cap. VII. perpetuam hanc fuisse Ecclesiæ praxin testatur: *Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.* III. Auctoritate Patrum & Pontificum. S. Cypr. Epist. LII. ad Antonianum scribit: *Miror autem quosdam sic obstinatos esse, ut dandam non putent lapsis pœnitentiam, aut pœnitentibus existiment veniam denegandam, cum scriptum sit: Memento unde excideris, & age pœnitentiam, & fac priora opera. Quod utique ei dicitur, quem constat cecidisse, & quem Dominus hortatur per opera rursus exsurgere. - - Neminem putamus a fructu satisfactionis &*

spe

spe pacis arcendum; cum sciamus juxta Scripturarum divinarum fidem, auctore & hortatore ipso Deo, & ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, & veniam atque indulgentiam pœnitentibus non denegari. S. Cœlestinus I. Epist. II. ad Episcopos provinciarum Viennensis & Narbonensis: *Agnovimus enim pœnitentiam morientibus denegari; nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet: quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem, pondere, quo se expediri desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere?*

69. Ad Imum itaque Resp. C. A. N. C. Ecclesiam Romanam, jam ante Zephyrini tempora, mœchis perinde ac idololatris & homicidis pœnitentibus veniam indulsisse, manifeste colligitur ex Cap. IV. Libri de Pœnit. quem Tertul. conscripsit, antequam ad Montanum deficeret; asserit enim ibi, *Omnibus delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, Deum veniam per pœnitentiam spopondisse.* Et Cap. VIII. idololatras & mœchos ad pœnitentiam agendam, ac veniam sperandam invitat. *Offendisti*, inquit, *sed reconciliari adhuc potes. Habes, cui satisfacias. - - Id si dubitas, evolve quæ Spiritus Ecclesiis dicat.* Zephyrinus itaque nihil novi edixit; sed quod ab antiquo semper fuerat in sua Ecclesia observatum, renovavit, sola de mœchis & fornicatoribus mentione facta; quia de illis tantum consultus fuerat, non de aliis, occasione scilicet illorum Episcoporum Africæ, qui, ut refert S. Cypr. Epist. LII. ad Antonianum, *mœchis in totum pœnitentiæ locum clauserunt.* Ad II. Resp. consvetudinem illam aliquorum Africæ Episcoporum merito improbatam fuisse a S. Zephyrino, atque ab ipso S. Cypriano Epist. LII. ad Antonianum, cujus verba superius exhibuimus, & Epist. LIV. ad Cornelium:

lium: *Quod ſi de Collegis aliquis extiterit, qui urgente certamine pacem fratribus & ſororibus non putat dandam, reddet ille rationem in die judicii Domino vel importunæ cenſuræ, vel inhumanæ duritiæ ſuæ.* Ad III. C. A. N. C. Decreto hoc ſtatuit Cyprianus in gratiam Martyrum, ut lapsis, qui libellos a Martyribus obtinuerant, urgente vitæ periculo, præter absolutionem Sacramentalem, Euchariſtica etiam communio & perfecta reconciliatio cum Ecclesia concederetur: at vero lapsis, qui nullos a Martyribus libellos obtinuerant, & Canonicam pœnitentiam nondum expleverant, sola etiam in mortis articulo daretur Sacramentalis absolutio, denegata illis Euchariſtica communione, & perfecta illa reconciliatione cum Ecclesia. Ad IV. Resp. Canone illo non denegari lapsis Sacramentalem absolutionem, sed Euchariſticam tantum Communionem, vel Canonicam cum Ecclesia reconciliationem. Patet id ex aliis ejusdem Eliberitani Canonibus, ubi vox hæc *Communio* aperte poſteriorem hunc sensum habet. Sic Can. III. dicitur: *Si poſt pœnitentiam fuerint mœchati, placuit, ulterius his non eſſe dandam communionem; ne luſiſſe de Dominica communione videantur.* Ubi Dominica Communio eſt participatio Euchariſtiæ. Can. XLVII. *Si quis fidelis habens uxorem, non ſemel, ſed ſæpe fuerit mœchatus; in fine mortis eſt conveniendus. Quod ſi promiſerit ſe ceſſaturum, detur ei communio. Si reſuſcitatus rurſus fuerit mœchatus, placuit ulterius non ludere eum de communione pacis*, vel ut alii legunt, *de communione panis.* Et Canone XXXII. Diaconis in casu neceſsitatis ſit poteſtas conferendi lapsis communionem: *Neceſſe eſt Presbyterum communionem præſtare debere; & Diaconum, ſi ei juſſerit Sacerdos.* Hæc autem communio certe non fuit Sacramentalis absolutio; sed vel Euchariſtia, vel cæremonialis & canonica reconciliatio cum Ecclesia.

Circa infirmos, in fine vitæ abſolutio.

70. Obj. VI. Ecclesiæ consvetudo circa infirmos in fine vitæ absolutionem petentes. Ecclesia, jam ab antiquiſsimis temporibus, gravium criminum reis qui

ad

ad extremam usque vitæ periodum pœnitentiam distulerunt, Sacramentalem absolutionem denegavit, quamvis eam in illo articulo constituti demisse peterent. Ergo. P. A. Nam Imo S. Cypr. Epist. LII. ad Antonianum scribit: *Idcirco, frater charissime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde & manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis & pacis, si in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum.* II. Arelatense I. A. 314. Can. XXXII. ait: *De his qui apostatant, & numquam se ad Ecclesiam repræsentant, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, & postea infirmitate arrepti petunt communionem; placuit eis non dandam communionem, nisi revaluerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.* III. S. Innocentius I. Epist. ad Exuperium Tolosanum ait: *Consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur.* Ex quibus verbis hoc argumentum instruitur. Communionis nomine ab Innocentio intelligitur absolutio Sacramentalis. Ergo ante tempora Innocentii denegata fuit illis infirmis absolutio Sacramentalis. P. A. S. Innocentius ait, communionem illam se nunc concedere, *ne Ecclesia asperitatem novatianorum sequi videretur.* Atqui Novatiani negebant tantum veniam gravium delictorum posse ab Ecclesia concedi. Ergo S. Innocentius ait se nunc concedere infirmis illis absolutionem Sacramentalem, quæ prius non concedebatur. *nem petentes.*

71. Resp. N. A. Multa sunt, quæ contrariam fuisse Ecclesiæ piæ Matris consvetudinem luculenter ostendunt. Ac Imo quidem Canones & Concilia. Carthaginense IV. A. 398. Cap. LXXVI. decernit: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit - - si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia. Si supervixerit, admoneatur a supradictis testibus petitioni suæ satisfactum; & subdatur*

ſtatutis pœnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probaverit. Et Cap. LXXVIII. *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint.* Id eſt, sine Canonica pœnitentia, quam dein subsequebatur manus impositio, seu plena reconciliatio cum Ecclesia. Arausicanum I. A. 441. Can. III. de pœnitentibus ait: *Si ſupervixerint, ſtent in ordine pœnitentium: & oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant.* Epaonense A. 517. Can. XXXVI. *Si cui forſitan diſcrimen mortis immineat, damnationis conſtituta tempora relaxentur. Quòd ſi ægrotum accepto viatico revaleſcere fortaſſe contingit, ſtatuti temporis ſpatia obſervare conveniet.* II. Patres & Pontifices. S. Cypr. Epiſt. LIV. ad Cornelium scribit: *Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas & divina clementia, Eccleſiam pulſantibus claudi, & dolentibus ac deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari, ut de ſæculo recedentes ſine communicatione & pace ad Dominum dimitterentur.* S. Greg. Nyssenus Epiſt. ad Letoium, Can. II. *In hora ſui exceſſus e vita Apoſtata pœnitens Sacramenti Communionis erit particeps. Sin autem contigerit, ut is præter ſpem vivat, in eodem rurſus vivet judicio myſticorum Sacramentorum ad vitæ exitum uſque expers.* S. Innocentius I. in eadem ad Exuperium Tolosanum Epistola, quam adversarii nobis objiciunt, scribit: *Quæſitum eſt, quid de his obſervare oporteat, qui poſt Baptismum omni tempore incontinentiæ & voluptatibus dediti, in extremo ſine vitæ ſuæ pœnitentiam ſimul & reconciliationem communionis expoſcunt. De his obſervatio prior durior, poſterior interveniente miſericordia, inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, ſed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non revocaret a lapſu, negata merito communio eſt; conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur: & duriorem remiſſionem fecit temporis*

ratio.

vatio. Sed posteaquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam terrore depulso communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam, quasi viaticum profecturis: & ne Novatiani hæretici negantis veniam, asperitatem & duritiam sequi videamur. Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio: ut homines hujusmodi, vel in supremis suis pœnitentes, miserante Salvatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur. S. Cœlestinus I. Epist. II. ad Episcopos provinciarum Viennensis & Narbonensis: *Salutem homini adimit, quisquis mortis tempore speratam pœnitentiam denegarit. Et desperat de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere, vel in momento posse non credidit. -- Cum ergo sit Dominus cordis inspector, quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti.* S. Leo M. Epist. XCI. ad Theodorum Forojuliensem: *His, qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio denegenda; quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras conversio. -- In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas gemitusque negligere, cum ipsam pœnitentiam ex Dei credamus inspiratione conceptam. -- Verum, ut dixi, etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si ea, etiam amisso vocis officio, per indicium integri sensus quærere comprobentur. Quod si aliqua ægritudine ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur.* III. Ratio. Incredibile omnino est, Ecclesiam pœnitentibus in ipso vitæ limine veniam atque Sacramentalem absolutionem denegasse. Quis enim non perhorrescat illius crudelitatem, qui prohiberet, ne quisquam auxiliarem manum illi porrigat, qui sua culpa in gurgitem prolapsus, & jam

fluctibus hauriendus, supplices manus tendit, ut discrimini eripiatur; præsertim si facillime, & absque liberatoris periculo eripi possit?

72. Ad Imum quod ab adversariis objicitur, Resp. S. Cyprianum loc. cit. per communicationem & pacem intelligere vel participationem Eucharistiæ, vel solemnem & Canonicam reconciliationem cum Ecclesia, qua privandos esse ejusmodi infirmos ex rigore disciplinæ decrevit. Hoc sensu communicationem & pacem, quamvis non semper, sæpius tamen acceptam fuisse a Cypriano, patet ex aliis locis. Sic Epist. LIV. ad Cornelium scribit: *Viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus.* Et Epist. XIII. ad Presbyteros & Diaconos Ecclesiæ Carthaginensis dat Diaconis potestatem pacem pœnitentibus concedendi, & manus in pœnitentiam imponendi. *Ut si Presbyter*, inquit, *repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint; ut manu eis in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt.* Quibus verbis certe S. Cyprianus non intelligit Sacramentalem absolutionem a Diaconis dandam, sed vel Canonicam & cæremonialem reconciliationem cum Ecclesia, vel etiam Eucharistiæ porrectionem. Ad II. eadem est responsio. Ad III. N. A. Ad *prob.* C. M. N. min. Novatiani non tantum Sacramentalem absolutionem denegabant lapsis, sed etiam Eucharistiam, & reconciliationem cum Ecclesia. Ne igitur vel tantillum videretur Ecclesia imitari Novatianorum crudelitatem, jussit Innocentius priorem disciplinæ severitatem mitigari, ac cuilibet pœnitentiam & veniam postulanti, urgente mortis periculo, non solum absolutionem Sacramentalem, quod prius etiam observabatur; verum etiam Eucharistiam dandam esse in posterum. Quod si dicas: Innocentius loquitur de illa communione, quæ a perpetuo

exitio

exitio vindicat: *Ut homines hujusmodi, vel in ſupremis ſuis pœnitentes, miſerante Salvatore noſtro, a perpetuo exitio vindicentur.* Atqui illa communio non eſt Euchariſtia, quæ neque per se neque per accidens confert primam gratiam; sed absolutio Sacramentalis. Ergo non loquitur de Euchariſtia, sed de absolutione Sacramentali. Resp. C. M. N. min. Euchariſtia, quamvis neque per se neque per accidens primam gratiam conferat; recte tamen dicitur homines a perpetuo exitio vindicare, ob ubertatem gratiæ, qua suscipientes præservantur a mortalibus, eorumque pravi habitus, & dispositiones ex peccatis præcedentibus relictæ purgantur.

Circa relapsos.

73. Obj. VII. Ecclesiæ consvetudo circa relapsos. Ecclesia eos, qui poſt adimpletam pœnitentiam in eadem aut graviora crimina relapsi erant, omni spe veniæ obtinendæ privabat, denegata illis absolutione Sacramentali. Ergo. P. A. Auctoritate Patrum. S. Ambr. Lib. II. de Pœnit. Cap. X. scribit: *Merito reprehenduntur, qui ſæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Chriſto. Nam ſi vere agerent pœnitentiam, iterandam poſtea non putarent: quia ſicut unum Baptiſma: ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur.* Origenes Hom. XV. in Cap. XXV. Levitici: *In gravioribus criminibus ſemel tantum pœnitentiæ locus conceditur.* S. Aug. Epist. CLIII. alias LIV. ad Macedonium: *Quamvis ergo caute ſalubriterque proviſum ſit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur, ne medicina vilis minus utilis eſſet ægrotis, quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minus contemptibilis fuerit: quis tamen audeat dicere Deo, Quare huic homini, qui poſt primam pœnitentiam rurſus ſe laqueis iniquitatis obſtringit, adhuc iterum parcis?* Ergo Ecclesia relapsis in graviſsima scelera pœnitentiam denegavit. Resp. N. A. Ad *prob.* C. A. D. C. Ergo Ecclesia illis denegavit pœnitentiam, id eſt, Sacramentum Pœnitentiæ, seu absolutionem Sacramentalem, N. A. Pœnitentiam publicam illis denegavit, quæ juxta consuetudinem illorum temporum semel tantum peragebatur, & de

qua

qua sola citati Patres loquuntur, C. Cons. Pœnitentia publica jam semel peracta, qui in crimina relabebantur pœnitentiæ publicæ juxta Canones obnoxia, non equidem iterato ad illam admittebantur; sed secreta pœnitentia castigati, ac toto vitæ suæ tempore a Sacra mensa exclusi, in fine saltem veniam & absolutionem Sacramentalem obtinebant, ut patet ex iis rationum momentis, quæ in responsione ad objectionem V. & VI. attulimus. Imo probabilius videtur, relapsis hisce vere contritis Sacramentalem absolutionem dilatam non fuisse usque ad articulum mortis; sed post longiorem vitæ emendationem rite confessis datam fuisse. Nulla enim habentur clara Antiquitatis monumenta, quibus probetur tantus rigor, ut demisse supplicantibus, longiori jam tempore emendatis, omniaque sincere promittentibus negatum fuerit Pœnitentiæ Sacramentum. Sane Contraria consvetudo haud obscure videtur colligi ex Epistola Siricii Papæ ad Himerium Tarraconensem. Interrogatus enim Pontifex, qua ratione agendum esset cum relapsis, Cap. V. ita respondit: *De his vero non incongrue Dilectio tua Apostolicam Sedem credidit consulendam, qui acta pœnitentia, tamquam canes ac sues ad vomitus pristinos & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus. Quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam suffugium non habent pœnitendi, id diximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur; sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interfint: a Dominicæ autem Mensæ convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, Viatici munere, cum ad Dominum cœperint proficisci; per Communionis gratiam volumus subveniri. Quam formam & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam*

nitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandam eſſe cenſemus. Ex quibus verbis legitime infertur, cum S. Siricius sacram tantum Communionem relapsis differendam eſse aſserat usque ad vitæ exitum, nulla omnino mentione facta de differenda usque eo absolutione Sacramentali; dilatam quidem fuiſse Eucharistiam usque ad tempus mortis, minime autem absolutionem Sacramentalem & secretam.

74. Dices. Si relapsis patuiſset in Ecclesia locus secretæ pœnitentiæ, mitius fuiſset cum illis actum, quam cum iis qui semel tantum hæc flagitia commisiſsent. Atqui hoc absonum omnino atque incredibile est. Ergo. P. M. Pœnitentia secreta levior erat ac mitior publica. Ergo cum relapsis mitius actum fuiſset. Resp. N. M. Ad *prob.* D. A. Pœnitentia secreta levior erat ac mitior publica; ita tamen ut diuturnitate sua multum superaret rigorem publicæ pœnitentiæ, C. Aliter, N. A. Ne quis hac in re deceptioni locus detur, tria probe observanda sunt. I. Pœnitentia publica magnum beneficium illis sæculis reputabatur; cum enim Patres fidelibus perpetuo inculcarent vim pœnitentiæ, id est, externarum corporis afflictationum ad obtinendam a Deo plenam remiſsionem peccatorum, culpæ videlicet & pœnæ: fideles magno pietatis sensu, acrique peccatorum dolore tacti, pœnitentiam publicam ultro sibi ab Episcopis exposcebant gratiæ loco. II. Præcipua ac maxima pars pœnitentiæ publicæ sita non erat in veste pulla aut cineracea, sed in segregatione pœnitentis a reliquis fidelibus. Non enim licebat pœnitentibus eodem in loco cum reliquis fidelibus in templo consistere, non offerre munus ad altare, numquam aut vix umquam Eucharistia refici. Verum hæc etiam condonabantur post aliquod tempus; & quidem eo maturius, quo majora pœnitentiæ & emendationis signa præbebant: id enim a Patribus & Synodis monebantur Episcopi, ut crimina sua deflentes, ac vere emendatos benigne haberent, nec tam sero illis pacem & communionem darent. III. Relapsi, quamvis

sancti-

sanctiſsime viverent, perpetuo usque ad finem vitæ, utpote cum Ecclesia nondum plene reconciliati, ab Eucharistica mensa arcebantur: quod sane graviſsimum erat homini vere ad Deum converso, præsertim cum hæc pœna speciem quamdam haberet perpetuæ excommunicationis. Unde durius cum relapsis actum fuiſse recta æſtimatione censeri debet. Vide quæ de consvetudine Ecclesiæ circa reos graviſsimorum criminum, damnatos ad mortem, infirmos in fine vitæ absolutionem petentes, ac relapsos diſserit Balthassar Francolinus in veteris Ecclesiæ severitate a calumniis vindicata, Lib. I. Disput. II. III. IV. & V.

In Sacramento Pœnitentiæ peccata declarari tantum remiſſa, neque Scripturæ aſſerunt.

75. Obj. VIII. contra II. Conclus. Infirmitas argumenti ex Scripturis petiti. Vox *dimittere* significat in Scripturis meram peccati remiſsi declarationem, ut patet ex Cap. VII. Lucæ, ubi Chriſtus v. 48. dixit Magdalenæ: *Remittuntur tibi peccata tua.* Quæ jam antea remiserat, ut patet ex præcedente versiculo 47. ubi de Magdalena cum Simone Phariſæo loquens ait: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* Ergo. *Conf.* Si Sacerdotes vere remitterent peccata, absolutio suo effectu numquam frustraretur, etiam quando indispositi peccata sua confitentur. Resp. D. A. Significat id aliquando, O. A. Semper, aut communius, N. A. & Cosec. Ut verborum significatio determinetur, opus est expendere circumstantias loci, subjectam materiam, & loquentis mentem atque consilium, nisi velis cum Arianis & Socianis pariter admittere, Christum improprie ac metaphorice Deum in Scripturis vocari, quia in illis Moyses & judices in sensu metaphorico Dii appellantur. Christus loco citato extra Sacramentum Pœnitentiæ remiserat jam Magdalenæ peccata, quia multum dilexerat, antequam de illa apud Simonem mentionem faceret; ideoque v. 47. Simoni declaravit, dimiſsum eſse piæ mulieri peccatum, & sequenti versiculo eamdem declarationem ipsi Magdalenæ confirmavit. At vero Joan. Cap. XX. Apostolis, eorumque

que succeſsoribus vicariam & ministerialem dedit Chriſtus poteſtatem clavium, humano modo in Sacramento Pœnitentiæ exercendam, aſserens se illos mittere, sicut ipse a Patre miſsus fuerat. Ergo eos veros Judices conſtituit, qui causa cognita sententiam ferrent, & peccata vere remitterent; non quidem tamquam causa primaria & independens, sed ut causa secundaria, & miniſterialis. Ad *conf.* N. M. Absolutio Sacramentalis imbibitam habet conditionem iſtam, si nimirum adsint in percipiente Sacramentum idoneæ dispositiones: quæ si desint, mirum non eſt, ipsam quoque absolutionem effectu vacuam eſse, non quidem per se, & ob defectum propriæ virtutis, sed per accidens, & defectu subjecti seu conditionis non purificatæ.

76. Obj. IX. Auctoritas Patrum. S. Cypr. Tract. de Lapsis ait: *Solus Dominus miſereri poteſt: veniam peccatis, quæ in ipſum commiſſa ſunt, ſolus poteſt ille largiri.* II. S. Ambr. Lib. III. de Spiritu Sancto, Cap. XVIII. *Per Spiritum Sanctum peccata donantur, Homines autem in remiſſionem peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis exercent.* III. S. Chrys. Hom. XV. in Cap. V. Matth. *Liberare a putredine peccatorum Chriſti profecto virtutis eſt; ut autem non ad illa iterum revertantur, Apoſtolorum curæ eſt ac laboris.* IV. S. Hier. Comment. in Cap. XVI. Matth. scribit: *Locum iſtum* (Tibi dabo claves regni cœlorum) *Epiſcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de Phariſæorum ſumunt ſupercilio, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur, cum apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leproſis; ubi jubentur, ut oſtendant ſe Sacerdotibus, & ſi lepram habuerint, tunc a Sacerdote immundi fiant: non quod Sacerdotes leproſos faciant & immundos; ſed quod habeant notitiam leproſi, & non leproſi, & poſſint diſcernere qui mundus quive immundus ſit. Quomodo ergo ibi leproſum Sacerdos mundum vel immundum facit, ſic & hic alligat vel ſolvit Epiſcopus &*

Neque Patres affirmant.

Presbyter, non eos qui insontes sunt vel noxii; sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus. Ergo juxta S. Hieronymum, Sacerdotes novæ Legis non aliud efficiunt erga peccatores, quam quod Levitici Sacerdotes erga leprosos, quos a lepra non mundabant, sed vel mundos vel immundos solummodo declarabant. V. S. Aug. Serm. LXVII. alias VIII. de Verbis Domini, loquens de peccatore, ait: *Quis eum suscitabit, nisi qui remoto lapide clamavit, dicens, Lazare, prodi foras? Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum erat foras prodere? Qui confitetur, foras prodit. Foras prodire non posset, nisi viveret: vivere non posset, nisi resuscitatus esset.* Simili modo loquitur S. Greg. M. Hom. XXVI. in Evang. *Tunc vera est absolutio præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur Judicis. Quod bene quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quæ videlicet demonstrat, quia prius mortuum Dominus vocavit & vivificavit, dicens, Lazare, veni foras; & postmodum is, qui vivens egressus fuerat, a discipulis est solutus. - - - Ecce illum discipuli jam viventem solvunt, quem Magister resuscitaverat mortuum.* Ergo juxta Augustinum & Gregorium, sicut Lazarum Christus ad vitam prius suscitavit, quem discipulis solvendum a vinculis tradiderit: ita absolutio Sacerdotis supponit pœnitentem a peccatis absolutum per contritionem; ideoque non vere dimittit peccata, sed declarat dimissa.

77. Resp. ad I. S. Cyprianum loco citato invehi in Sacerdotes potestate sua abutentes, qui intempestiva indulgentia, contra mandatum Christi, lapsis pacem restituebant, ut ipse S. Doctor ait, ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam. Ad II. Resp. Verba illa S. Ambrosii ad rem præsentem non facere; nam loco citato hoc unum evincere conatur S. Doctor, Spiritum Sanctum verum esse Deum, quia peccata dimittit tamquam causa prima & independens: quam potestatem mortalium nullus sibi arrogare potest. Ad

III. Resp.

III. Resp. S. Chrysoſtomum loqui de poteſtate quam habuerunt Apostoli eorumque succeſsores, extra Sacramentum Pœnitentiæ deterrendi homines a vitiis, & ad virtutem impellendi per prædicationem & laudabilem vitæ conversationem, non per Sacramentalem absolutionem. Ad IV. C. A. N. C. S. Hieronymus ex eo tantum capite comparationem illam adducit, ut probet, Sacerdotes non debere quemquam solvere vel ligare, nisi prius cognita peccatorum varietate, lepræ spiritualis materia & conditione. Responderi etiam poteſt II^do. Quemadmodum in veteri Lege Sacerdotes non naturalem, sed tantum legalem immunditiam pro potestate sibi a Deo collata auferebant sacrificiis, aliisque cæremoniis legalibus, & leprosum sic probatum non declarabant tantum, sed revera efficiebant mundum: ita Sacerdotes in nova Lege non tollunt quidem immunditiam peccati actualem, id est, cæcitatem mentis & duritiem cordis, (solius enim Dei est auferre cor lapideum, & dare carneum) auferunt tamen vere immunditiam peccati habitualem, quæ est ipsa macula peccati, & privatio gratiæ sanctificantis. Ad V. Resp. C. A. N. C. Exemplum Lazari eo unice tendit, ut ostendat prævias quasdam in pœnitente neceſsarias eſse dispositiones vitæ, seu fidei & charitatis inchoationes, quibus moveatur ad odium peccati ac melioris vitæ propositum, quasque solus Deus intus in corde pœnitentis operatur. Igitur juxta Augustinum & Gregorium, sicut Apostoli frustra cadaver Lazari solvissent, nisi prius Christus magna voce clamaſset, Lazare veni foras, & simul spiritum vitæ restituiſset, quod non erat virtutis Apostolicæ, sed divinæ omnipotentiæ: ita temere & in caſsum manus Sacerdotis solvere præsumeret peccatores, nisi illi prius efficienter audiviſsent Deum interius clamantem: *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Non aliam fuiſse Augustini mentem, patet ex Enarratione II. in Psal. CI. ubi postquam Lazari exemplum attuliſset, illico subjungit: *Fit hoc in corde pœnitentis: cum audis*

hominem pœnitere peccatorum ſuorum, jam revixit: cum audis hominem confitendo proferre conſcientiam, jam de ſepulcro eductus eſt, ſed nondum ſolutus eſt. Quando ſolvitur? A quibus ſolvitur? Quæ ſolveritis, inquit, in terra, erunt ſoluta & in cœlo. Merito per Eccleſiam dari ſolutio peccatorum poteſt; ſuſcitari autem ipſe mortuus non niſi intus clamante Domino poteſt: hæc enim Deus interius agit.

CONTROVERSIA III.

AN CONTRITIO PERFECTA NON TANTUM IN CASU NECESSITATIS, SED SEMPER PECCATOREM JUSTIFICET, ETIAM ANTEQUAM ACTU PERCIPIATUR SACRAMENTUM POENITENTIÆ?

CONTRA BAJUM ET JANSENIUM.

Contritio, quid ſit?

78. *Contritio* universim sumpta, prout abstrahit a perfecta vel imperfecta, est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, & voto præstandi omnia quæ requiruntur ad rite percipiendum Sacramentum Pœnitentiæ. Dicitur I. *Animi dolor*, id est, tristitia quædam animi orta ex offensa Dei, animum angens ac crucians: atque hinc sensibilis dolor, quamvis laudabilis sit & summopere optandus, non tamen est necessarius; quia non in voluntate sicut dolor animi, sed in sensu est positus, neque homo potest semper hunc dolorem sensibilem in se excitare: immo aliquando contingit, eo acerbiorem intus in corde esse dolorem, quo minus extra in lacrymas aliaque signa mœroris erumpit. II. *Ac detestatio de peccato commisso*, id est, odium peccati & anteactæ vitæ; per illam enim detestationem aliquid intelligitur a dolore distinctum: nam in Beatis v. g. est detestatio peccatorum, quamvis in illis, utpote æterna felicitate fruentibus, locum non habeat dolor. III. *Cum proposito non peccandi de cætero.* Cum enim sincera pœnitentia

neces-

necessario excludat omnem affectum ad peccatum, pertinet ad illam non solum præteritas culpas ut abolendas respicere, sed & prospicere futuras ac præcavere. *Pœnitentia*, ait S. Greg. M. Hom. XXXIV. in Evangelia, *est mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.* Cæterum propositum illud debet esse explicitum & formale; tum quia vera conversio tam necessario includit amorem justitiæ, id est, voluntatem servandi omnia præcepta, quam odium peccati commissi: tum quia Concilium Tridentinum propositum illud distinguit ab odio peccati. At nulla fuisset necessitas illud distinguendi, nisi voluisset propositum illud esse debere explicitum & formale; in odio quippe peccati implicite saltem ac virtualiter includitur propositum illius in posterum vitandi. IV. *Et voto præstandi omnia &c.* id est, confitendi & satisfaciendi, per quæ contritio, prout Legis Evangelicæ propria est, differt a contritione in veteri Lege præscripta, in qua hoc Sacramentum nondum erat institutum.

79. Proprietates Contritionis tam perfectæ quam imperfectæ, tam in Sacramento Pœnitentiæ quam extra illud, quatuor præcipue a Theologis recensentur. 1ma est, ut sit vera, sincera, & interior, non in sola mentis aut imaginationis superficie, non in verborum inani strepitu, vel fictis lacrymis; sed in intima voluntate ab omni peccati affectu aliena, quæ melius ac certius ostendi nequit, quam fuga peccati & exercitio bonorum operum. Quare qui cum ficta contritione, quamvis eam veram esse invincibiliter existimaret, ad Sacramentum Pœnitentiæ accederet, neque fructum, neque Sacramentum perciperet, deficiente utpote parte illius necessaria, vera nimirum & sincera contritione: sicut nullum foret Baptismi Sacramentum, quod quis in vino conferret, putans se in aqua baptizare. II. Ut sit supernaturalis, tum ratione auxilii seu gratiæ divinæ, sine qua impossibile est hominem de peccatis suis dolere, ut oportet; tum etiam ratione incitamenti, quia actio moralis

Proprietates Contritionis.

lis ex incitamento præsertim speciem suam desumit. Unde qui peccatorum dolore excruciatur propter pudorem, infamiam, aut pœnam temporalem inde secutam, dici nequit vere contritus, ut oportet; quemadmodum Antiochus exemplo suo ostendit, qui misericordiam a Domino consecutus non est, quia non propter offensam Dei, sed propter corporis infirmitatem quam patiebatur, de culpis præteritis dolebat. Porro illud hic probe notandum est, distingui debere incitamentum pœnitentiæ ab occasione, qua quis ad pœnitentiam excitatur; fieri enim non infrequenter solet, ut peccatores occasione morbi, infamiæ, aut cujuscunque demum calamitatis temporariæ, ad Deum confugiant, ac spiritum pœnitentiæ concipiant ex incitamento supernaturali. Patet id exemplo Ninivitarum, qui Jona ruinam urbis post dies XL. prænuntiante, verum ac supernaturalem dolorem de commissis peccatis elicuerunt. III. Ut sit, universalis, seque ad omnia peccata mortalia saltem confuse extendat, sub ratione omnibus communi, qualis v. g. est ratio offensæ divinæ, dilectionis Dei, æternorum suppliciorum &c. Cum enim in hac providentia unum peccatum grave per infusionem gratiæ sanctificantis non remittatur sine altero, nullum peccatum vi contritionis remitti potest, nisi illa virtualiter saltem, implicite & confuse se ad omnia peccata gravia extendat: ideoque Ezechielis Cap. XVIII. dicitur: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, - - vita vivet.* Id est, si doluerit de omnibus peccatis suis, & efficax habuerit propositum servandi omnia præcepta. IV. Ut sit summa, non quidem intensive, quia certus ac determinatus gradus intensionis assignari nequit, semperque dari potest contritio absolute intensior; sed tantum appretiative, ita ut peccator de peccatis suis longe magis doleat, quam de alio malo ac damno, atque illa detestetur super omnia mala detestabilia, sitque paratus omni bono carere, & omne malum perpeti in

quocun-

quocunque casu possibili secundum rei veritatem, quam peccato gravi conscientiam inquinare. Ad hoc autem simpliciter & absolute necessarium est adjutorium interioris gratiæ elevantis, corroborantis, & adjuvantis voluntatem peccatoris.

Quid sit Contritio perfecta & imperfecta?

80. Contritio paulo ante descripta dividitur in perfectam & imperfectam. *Perfecta* est illa, quæ elicitur ex incitamento proprio charitatis, hoc est, ex motivo divinæ bonitatis ac infinitæ perfectionis in se absolute consideratæ, sine ullo explicito ad proprium amantis commodum ordine ac respectu; vocaturque amor amicitiæ ac benevolentiæ charitati proprius, cujus objectum est bonitas Dei absoluta. Porro contritio perfecta dicta est simpliciter contritio a Theologis, quia perfecte convertit ac immutat peccatorem, illum a statu peccati & inimicitiæ Dei ad statum justitiæ & amicitiæ perducens, analogia ducta a corporibus duris, quæ cum perfecte conteruntur, in minutissimas partes dividuntur, sicque omnino immutantur. *Imperfecta* contritio dicitur illa, quæ elicitur ex incitamento spei, hoc est, ex incitamento nostræ beatitudinis in Deo consequendæ; vocaturque amor concupiscentiæ ad virtutem spei pertinens, cujus objectum est bonitas Dei ad nos relativa, sive Deus quatenus est nostrum bonum, nostra felicitas & finis ultimus. Atque hæc imperfecta contritio appellatur etiam a Theologis attritio; quia cor peccatoris non conterit, atque in minutissimum, ut ita dicam, pulverem non redigit; sed atterit tantum, in majores partes dividit, & imperfecte tantum illud immutat.

In quo differat contritio ab attritione?

81. Ex quo colliges, discrimen contritionis & attritionis non esse desumendum ex eo, quia contritio est ex incitamento dilectionis Dei super omnia, non vero attritio; per illud enim amor Dei imperfectus a perfecto non distinguitur, quod omni vero Dei amori convenit, sive is perfectus sive imperfectus sit. Atqui quod Deus super omnia diligatur, cuilibet vero Dei amori convenit, sive is perfectus si-

ve

ve imperfectus sit. Ergo. P. min. Omnis verus amor Dei includit veram voluntatem formalem vel virtualem servandi mandata Dei, & ipsi in omnibus placendi; alias non sine contumelia Creatoris, Deo aliquod bonum creatum præponeretur, atque amor Dei amplius non foret, sed potius creaturæ. Atqui vera illa voluntas servandi Dei mandata, illique in omnibus placendi, haberi non potest, nisi amor Dei sit super omnia appretiative. Ergo. Neque hoc discrimen statui potest in intensione gradus aut remissione, cum nullus certus ac determinatus gradus intensionis requiratur ad essentiam charitatis & contritionis perfectæ; sed in quocunque gradu quam tumvis remisso possit illa esse perfecta, ut paulo post pluribus ostendemus. Totum itaque discrimen contritionis & attritionis reponendum est in diversitate incitamenti, ob quod specie necessario differunt; quia actus speciem suam sumunt ab objecto formali, seu incitamento.

Catholicorum doctrina.

82. Catholici communissime semper senserunt, eam Contritionis perfectæ vim esse, ut peccatorem non in casu necessitatis tantum, sed semper cum Deo reconciliet, etiam antequam actu percipiatur Sacramentum Pœnitentiæ. Hinc Sfortia Card. Pallavicinus in Hist. Conc. Tridentini, Lib. XII. Cap. X. refert, Canonem a Concilii Patribus fuisse paratum, quo damnabatur quisquis negaret remitti peccata per contritionem, qua pœnitens, divina gratia per Christum cooperante, dolet de peccatis propter Deum, cum proposito confitendi & satisfaciendi: sed cum Balthasar Eredia, Calaritanus in Sardinia Archiepiscopus, admonuisset ita sentire Cajetanum & Hadrianum, abstinuisse Synodum ab ea re definienda. Post tempora Concilii Tridentini, Michael Bajus Doctor Lovaniensis, Estius, & Cornelius Jansenius Iprensis negarunt contritione perfecta justificari peccatorem extra usum Sacramenti, nisi in casu necessitatis aut martyrii. Recentiores quidam Galli ac Belgæ duplicem distinguunt charitatem qua Deus super omnia propter

Baji & Jansenii error.

propter se diligitur, unam scilicet intensam quam solam vocant perfectam, & alteram remissam quam imperfectam & inchoatam appellant. Perfectam dicunt semper justificare peccatorem, etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ; imperfectam vero justificare tantum in Sacramento, non vero extra illud, nisi tantum in casu necessitatis.

Per Contritionem perfectam hominem semper justificari etiam extra Sacramentum, ostenditur ex Scripturis.

83. Conclusio I. Perfecta Contritio non tantum in casu necessitatis, sed semper hominem Deo reconciliat, etiam antequam actu percipiatur Sacramentum Pœnitentiæ. Prob. I. Scripturarum auctoritate, quæ nulla facta necessitatis alicujus mentione, perfectæ contritioni vim tribuunt hominem justificandi. Ezechielis Cap. XVIII. ait Deus: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, - - vita vivet, & non morietur.* Et Cap. XXXIII. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* Proverb. Cap. VIII. *Ego diligentes me diligo.* II. Reg. Cap. XII. Quamprimum David pœnitentia ductus ait, *Peccavi Domino*, continuo subjecit Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Quod si dicas, promissionem illam veræ conversioni a Deo factam pertinere ad Legem Mosaicam tantum, non autem Evangelicam. Resp. id absque fundamento dici; Christus enim instituendo Sacramentum Pœnitentiæ non imminuit vim & efficacitatem contritionis, quam etiam in Lege veteri habebat ex opere operantis. Verum plura etiam suppetunt testimonia ex nova Lege deprompta. Lucæ Cap. VII. ait Christus: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Joan. Cap. XIV. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo: & ego diligam eum.* Joan. Cap. IV. v. 7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Et v. 6. *Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* I. Petri Cap. IV. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Ad Coloss. Cap. III. *Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.*

Patribus. 84. Prob. II. Auctoritate Patrum. S. Ambr. Epiſt. VII. ad Simplicianum scribit: *Libertas liberum facit hominibus, charitas amicum Deo.* S. Chrys. Hom. VII. in II^dam^ ad Timoth. *Sicut ignis ubi ſylvam occupaverit, omnia purgare conſuevit: ita & charitatis fervor quocunque inciderit, omnia perimit atque perrumpit: ubi charitas eſt, omnia ſublata ſunt mala.* S. Aug. Lib. XV. de Trinitate, Cap. XVIII. *Nullum eſt iſto Dei dono* (charitate) *excellentius. Solum eſt quod dividit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ.* Et Tract. V. in I. Epiſt. S. Joan. *Non diſcernuntur filii Dei a filiis diaboli, niſi charitate. Qui habent charitatem, nati ſunt ex Deo: qui non habent, non ſunt nati ex Deo. - - - Redeat unusquisque ad cor ſuum. Si ibi invenerit charitatem fraternam,* (qua proximus diligitur propter Deum super omnia propter se dilectum,) *ſecurus ſit, quia tranſiit a morte ad vitam. Jam in dextera eſt.* S. Leo M. Epiſt. XCI. ad Theodorum Forojuliensem: *Miſericordiæ Dei nec menſuras poßumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera converſio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: Cum converſus ingemueris, tunc ſalvus eris.* S. Petrus Chryſologus Serm. XCIV. *Abſolvi vis? Ama. Charitas cooperit multitudinem peccatorum. Negationis crimine quid pejus? Et tamen Petrus amore ſolo valuit hoc delere.* S. Fulgentius Lib. I. de Remiſsione peccat. Cap. XII. *Quia ingemuit David ex toto corde converſus, continuo ſalvus factus eſt; atque ita in eo completum eſt quod per Prophetam præcipitur: Si converſus fueris, & ingemueris, ſalvus eris.*

Auctoritate Pontificum. 85. Prob. III. Auctoritate Pontificum, S. Pii V. & Gregorii XIII. qui has Michaelis Baji propositiones damnarunt. XXXI. *Charitas perfecta & ſincera, quæ eſt ex corde puro & conſcientia bona & fide non ficta, tam in Catechumenis quam in pœnitentibus poteſt eße ſine remiſſione peccatorum.* XXXII. *Charitas illa quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.* XXXIII. *Catechumenus juſte, recte, & ſancte*

& ſancte vivit, & mandata Dei obſervat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmi lavacro demum percipitur. LXX. *Homo exiſtens in peccato mortali, poteſt habere veram charitatem; & charitas etiam perfecta, poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.* LXXI. *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut martyrii, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.*

86. Prob. IV. Auctoritate Concilii Tridentini. Nam Imo. Seſs. XIV. Cap. IV. ita loquitur S. Synodus: *Etſi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur &c.* Ergo Tridentina Synodus sensit, per contritionem perfectam hominem Deo reconciliari, etiam ante realem Sacramenti susceptionem. II. Seſs. XIII. Cap. VIII. declarat eadem Synodus, ad præparationem Euchariſtiæ Confeſsionem Sacramentalem neceſsariam eſse iis, qui conscientiam habent peccati lethalis, simulque excipit eos qui forte Miſsam celebrare tenentur, neque habent Confeſsarii copiam; iis enim Contritionem cum proposito quam primum confitendi, ad Euchariſtiam non indigne percipiendam sufficere judicavit. Ergo Tridentinum sensit, per veram Contritionem, etiam ante Sacramentalem absolutionem & extra mortis articulum, peccata remitti; neque enim alias in ullo casu Concilium permisiſset, ut cum conscientia reatus gravis ad Sacramentum Euchariſtiæ quis accederet. Quod si dicas, hoc ipso, quod omnes peccati mortalis sibi conscii, quantumcunque contritos se exiſtiment, a Tridentino jubeantur Confeſsionem Euchariſtiæ præmittere, evinci Synodum censuiſse, quod ante absolutionem homo perfecte contritus non juſtificetur. Resp. N. illatum. Concilium enim id ſtatuit, quia perfecta contritio non paſsim obvia eſt, ut multi sibi falso persuadent; sed ardua eſt ac difficilior, præcipue peccatoribus: & quia dignitas Euchariſtiæ exigit, ut peccator prius Pœnitentiæ Sacra-

Et Tridentini.

mentum suscipiat, tum ad avertendum omne irreverentiæ periculum, tum ut uberiorem gratiam sanctificantem consequatur.

Ac ratione Theologica.

87. Prob. V. Ratione Theologica. Juxta adversarios Contritio perfecta justificat peccatorem in casu necessitatis. Ergo etiam extra illum, atque in omni casu justificat ante realem susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ. P. C. Contritio perfecta per se majorem non habet vim movendi Deum in casu necessitatis, quam extra illum, cum eadem sit pro omni casu illius natura; nec circumstantia necessitatis auget contritionis æstimabilitatem: neque Deus plus contritioni perfectæ promisit in casu necessitatis, quam extra illum. Ergo.

Idem dicendum est de contritione perfecta, quamtumvis remissa.

88. Conclusio II. Contritio perfecta, quamtumvis remissa & non ita intensa, justificat peccatorem etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ & casum necessitatis, modo sit appretiative summa, atque ex motivo Dei propter se super omnia dilecti eliciatur. Prob. I. iisdem rationum momentis, quibus priorem Conclusionem communivimus. Scriptura, Patres, & Tridentinum Concilium absque ulla limitatione, distinctione, aut restrictione ad charitatem in summo aut certo gradu intensam, omni contritioni ex amore Dei super omnia propter se dilecti tribuunt vim justificandi, etiam ante realem perceptionem Sacramenti, non tantum in casu necessitatis, sed semper & ordinarie. Ergo.

Ostenditur id ex damnatione propositionum Baji.

89. Prob. II. Ex damnatione propositionum Baji, quæ nulla facta intensionis aut graduum mentione, loquuntur de charitate seu contritione perfecta, qua Deus super omnia propter se diligitur; ac nihilominus a Pontificibus fuerunt proscriptæ. Imo longe verisimilius est, Bajum non de intensa ac ferventi charitate, sed de remissa, qua tamen Deus super omnia diligitur, locutum fuisse. Sic propositione XXXI. inter damnatas, nomine charitatis perfectæ non intelligitur charitas intensa & consummata, & quæ omnem timorem excludat, qualis solet esse in viris

viris sanctis; cum ibi agatur de charitate, quæ est in Catechumenis & peccatoribus pœnitentibus, in quibus non nisi rarissime charitas tam perfecta locum habet. Adde, quod Bajus in ea Apologia, quam in sui defensionem conscripsit, sancte testetur, se perfectæ charitatis nomine eam præcise intellexisse, quæ est super omnia, & veluti extensive perfecta, non vero eam quæ est perfecta etiam intensive. Quod si adversarii dicant, in illis Baji propositionibus non agi de charitate actuali, sed habituali, ideoque a Pontificibus fuisse damnatas. Resp. N. A. Propositione XXXI. est sermo de charitate sincera, quæ est ex corde puro, adeoque de charitate actuali; habitualis enim non est, nec producitur ex corde, sed in corde producitur & infunditur per solum Spiritum Sanctum. Propositione XXXII. & XXXIII. sermo est de charitate, qua impletur lex: lex autem non impletur & observatur per habitus, sed per actus, qui soli a lege præscribuntur. Propositione LXXI. agitur de contritione utique non concepta nisi ex motimo charitatis, quacum dicitur conjuncta: ergo agitur de actu ipso charitatis; contritio enim sonat actum, non habitum sine actu.

90. Prob. III. Auctoritate S. Thomæ, qui cum in IV. Sentent. Dist. XVII. Quæst. II. Artic. V. hanc sibi prøposuisset difficultatem: *Videtur, quod contritio parva non sufficiat ad deletionem magnorum peccatorum, quia contritio est medicina peccati. Sed corporalis medicina quæ sanat morbum corporalem minorem, non sufficit ad sanandum majorem. Ergo minima contritio non sufficit ad delenda maxima peccata.* Respondet: *Sic ergo dicendum, quod quantumcunque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet. - - - Medicinæ spirituales habent efficaciam infinitam ex virtute infinita, quæ in eis operatur: & ideo illa medicina, quæ sufficit ad curationem parvi peccati, sufficit etiam ad curationem magni, sicut patet de Baptismo, quo & magna & parva solvuntur: & similiter est de contritione, dummodo ad rationem contritionis pertingat,* id est, modo *Ex S. Thoma.*

modo sit appretiative summa ob Deum propter se super omnia dilectum. Idem S. Doctor Parte III. Quæst. LXX. Artic. IV. *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale quod committitur in transgressione mandatorum legis: minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri & argenti.* Et IIda IIdæ Quæst. XXIV. Artic. V. *Minima charitas se extendit ad omnia illa, quæ sunt ex charitate diligenda.*

Ratione Theologica.

91. Prob. IV. Ratione Theologica. I. Contritio perfecta ut justificet hominem, neque debet maxime intensa esse absolute, neque comparative: non absolute; tum quia summi illius conatus voluntas vix in hac vita est capax; tum quia illius conatus ex gratiæ beneficio eliciti nullus est determinatus ac fixus terminus: neque etiam maxime intensa esse debet comparate ad alias res, de quibus dolemus, vel quas amamus; quia intensio actus voluntatis sequitur vehementiam objecti moventis: atqui objectum sensibile naturaliter vehementius movet & afficit voluntatem, quam objectum aliquod intelligibile & spiritale. Unde sicut amor bonorum sensibilium potest esse intensior quam spiritalium; ita & dolor qui ex malis sensibilibus percipitur, intensior esse potest illo qui concipitur propter mala spiritalia; idque citra culpam hominis, qui cum sit in corpore corruptibili constitutus, vehementius movetur sensibilibus tam bonis quam malis, etiamsi ea absolute non magis diligat aut detestetur modo appretiativo; quod sanctissimis etiam viris contigit Jacobo & Davidi, qui longe vehementioris doloris signa dederunt in morte filiorum suorum, quam pro suis peccatis. II. Nemo nisi justus recte vivit, & legem implet, S. August. scribit Lib. de Spiritu & littera, Cap. XXVI. *Sic intelligendum est, Factores legis justificabuntur, ut sciamus eos aliter non esse factores legis, nisi justificentur; ut non justificatio factoribus accedat, sed factores justificatio præcedat.* Atqui homo habens charitatem remissam recte vivit, & legem implet. Ergo homo habens charitatem

tem remiſsam est justus. P. min. Homo per charitatem perfectam, quantumvis remiſsam, Deum amat propter se super omnia; ideoque omne grave peccatum efficaciter odit super omnia alia mala, quorum perpeſsio neceſsaria foret ad illud vitandum. Ergo recte vivit, & legem implet. III. In homine qui Deum super omnia diligit ex motivo charitatis, quamquam actu remiſso, nihil potest aſsignari quod ipsum Deo exosum & inimicum efficiat. Ergo est filius adoptivus Dei etiam ante realem perceptionem Sacramenti Pœnitentiæ. P. A. Talis homo peccatum suum vere ac sincere detestatur, firmumque habet non peccandi propositum: ejus voluntas est vere ad Deum conversa per actum charitatis, adeoque cum Deo conjuncta per amorem amicitiæ & benevolentiæ. Ergo.

92. Prob. V. Paritate. Charitas habitualis, in quocunque sit gradu sive intenso sive remiſso, est vera & eſsentialiter perfecta charitas, & peccatum expellit. Ergo etiam charitas actualis. II. In aliis virtutibus fidei & spei non requiritur certus intensionis gradus, ut veræ sint & eſsentialiter perfectæ virtutes. Ergo neque in charitate. III. Quæcunque aversio a Deo, tamquam a fine ultimo, & conversio ad creaturas, etiam in gradu tantum remiſso, sufficit ad peccatum mortale, & jacturam gratiæ sanctificantis. Ergo etiam quæcunque vera ac seria conversio ad Deum, tamquam ad finem ultimum, ex motivo perfectæ charitatis, etiam in gradu remiſso tantum, sufficit ad recuperandam amicitiam cum Deo, qui pronior est ad veniam quam ad vindictam. *Ac paritate.*

Argumenta contraria refutantur.

93. Objicitur I^mo^ contra I. Conclusionem, Scripturarum auctoritas. Quando Christus verba illa protulit Lucæ Cap. VII. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, Magdalena erat perfecte contrita, neque tamen ideirco justificata. Ergo sola contritio perfecta *Bajani frustra se tuentur auctoritate Scripturarum.*

perfecta non sufficit ad justificationem. P. A. S. August. Serm. XCIX. de verbis Evangelii, alias Homilia XXIII. inter L. Cap. II. ait de Magdalena: *Accessit ad Dominum immunda, ut rediret munda: accessit ægra, ut rediret sana.* Ergo tunc non erat justificata. II. Saulo quamvis perfecte contrito dixit Ananias Act. Cap. XXII. *Et nunc quid moraris? Exurge & baptizare, & ablue peccata.* III. Cornelius Centurio quamvis Act. Cap. X. dicatur *Vir religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas*, adeoque perfecta Dei charitate flagrans, veniam tamen peccatorum consecutus non fuit ante Baptismum. Ergo. Resp. N. A. Magdalena antequam ad pedes Christi provolveretur, ob perfectæ contritionis meritum a Deo fuerat jam interius mundata: Christus vero per ea verba, *Remittuntur ei peccata multa*, non veniam primo concesit, sed jam datam confirmavit exterius coram hominibus. Ad *prob.* Resp. immundam ab Augustino vocari, quia paulo ante talis erat, atque etiamnum ab hominibus habebatur peccatrix, licet interius a peccatis mundata jam fuerit. Ad II. Resp. Ananiam recte hæc dixisse; tum quia Saulus omnia facere tenebatur, quæ ad peccata remittenda Christus instituerat; tum quia certo Ananiæ non constabat adeo perfectam fuisse Sauli conversionem, ut sola sufficeret ad peccata ejus delenda, licet eum a Domino peculiariter præordinatum, & vas electionis esse minime dubitaret. Ad III. N. A. Ut enim scribit S. August. Quæst. XXXIII. in Numeros: *Cornelius audiens & credens quod prædicaverat Petrus, ita mundatus est, ut ante visibilem Baptismum, cum suis qui aderant, acciperet donum Spiritus Sancti; verumtamen nec visibile Sacramentum contemni potuit, ut ablutus etiam extrinsecus lavaret quodammodo vestimenta sua.* Quamvis itaque Cornelius per cortritionem perfectam mundatus jam fuerit a peccatis, cum Actuum Cap. X. dicatur, Spiritum Sanctum cecidisse in eum; immunis tamen non erat a lege suscipiendi Baptismum, tum quia mandatum Christi semper impleri debet;

debet; tum quia contritio non justificat, nisi quatenus votum Baptismi includit.

94. Obj. II. Auctoritas Patrum, præcipue S. Aug. S. Leo M. Epist. XCI. ad Theodorum Forojuliensem scribit: *Divinæ bonitatis præsidio ordinatum est, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri.* Ergo per solam contritionem perfectam homo non justificatur. II. S. Bernardus Serm. I. in Nat. SS. Apost. Petri & Pauli ait: *Sententia Petri præcedit sententiam cœli.* Atqui id falsum foret, siquidem contritio perfecta hominem extra Sacramentum Pœnitentiæ justificaret. III. S. August. Tract. XIII. in Joan. scribit: *Quantumcunque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat: non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum. Quomodo non caruit populus Israël populo Ægyptiorum, nisi cum venisset ad mare rubrum: sic pressura peccatorum nemo caret, nisi cum ad fontem Baptismi venerit.* Ergo sicut juxta Augustinum Catechumenis non prodest perfecta contritio sine Baptismo: ita lapsis eadem non prodest sine Sacramento Pœnitentiæ, cum eadem sit utriusque Sacramenti necessitas. IV. Idem Lib. I. de Symbolo ad Catechum. Cap. VIII. *Deus non dimittit peccata, nisi baptizatis. Ipsa peccata quæ primum dimittit, nonnisi baptizatis dimittit. Quando? Quando baptizantur. - - - Catechumeni quamdiu sunt, super illos sunt omnia peccata eorum.* Atqui multi tamen dantur ex Catechumenis perfecte contriti. Ergo. V. Lib. IV. de Bapt. contra Donatistas, de Catechumeno divina charitate flagrante ait, illum sine Baptismo capessere non posse regnum cœlorum. Ergo sensit illum non esse justificatum. VI. Lib. II. de peccat. meritis & remiss. Cap. XXVI. *Sanctificatio Catechumeni, si non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum in regnum cœlorum.* VII. Lib. IX. Confess. Cap. IV. de se ipso scribit S. Doctor: *Gaudens in fide laudavi nomen tuum. Et ea fides me securum esse non sinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per Baptismum tuum remissa nondum erant.* *Ac Patrum.*

Atqui tunc Auguſtinus perfecta flagrabat charitate. VIII. Juxta S. Augustum Lib. XII. de Civit. Dei, Cap. IX. & Lib. de Gratia Chriſti, Cap. XXI. charitas eſt bona voluntas: *Quaſi vero aliud ſit bona voluntas quam charitas, quam Scriptura nobis eſſe clamat ex Deo, & a Patre datam, ut filii ejus eſſemus.* Atqui non omnis bona voluntas ſanctificat hominem. Ergo neque omnis charitas aut contritio. IX. Epiſt. CCXXVIII. alias CLXXX. ad Honoratum Scribit: *Ubi ſi miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos, qui de iſto ſæculo vel non regenerati exeunt vel ligati?* Ergo perfecta contritio extra Sacramentum Pœnitentiæ peccatorem non juſtificat.

XCV. Resp. ad I. C. A. D. C. Ergo per ſolam contritionem perfectam homo non juſtificatur ſine Sacramento Pœnitentiæ vel in re vel in voto, C. Sine Sacramento Pœnitentiæ in re, N. C. Ad II. eadem eſt responsio; ſententia enim Petri ſaltem in voto ſemper præcedit ſententiam cœli. Ad III. Resp. S. Auguſtinum loqui de Catechumeno proficiente, non in charitate, ſed in alia virtute morali, qui ratus ſibi inutilem eſſe Baptismum, ſuamque ſibi ſufficere ſanctitatem, abſque ulla dilationis causa Baptismum vel negligit, vel contemnit. Atque hunc recte ait S. Doctor iniquitatis ſuæ ſarcinam portare, quia Deum ne appretiative quidem ſuper omnia diligit; quamdiu enim Baptismum dedignatur, non habet illius votum, & præceptum divinum ſub gravi peccato obligans contemnit. Ad IV. Resp. I. Ergo contritio perfecta neque in casu neceſſitatis juſtificat? Resp. II. S. Augustinum non loqui pro omni casu, ſed de eo quod ordinarie ſit. Catechumeni enim cum ordinarie Deum tantum diligant inchoative, nec de peccatis ſuis doleant, ut ſunt offenſa Dei ſuper omnia propter ſe dilecti, ordinarie indulgentiam peccatorum non conſequuntur ante realem Baptismi ſuſceptionem. Ad V. C. A. D. C. Ergo ſenſit illum non eſſe juſtificatum ſine voto Baptismi, C. Conſeq. Cum voto Baptismi, N. C. Catechumenus quantumcunque

divi-

divina charitate flagrare sibi videatur, si tamen Baptismum negligit aut contemnit, ingredi nequit regnum cœlorum; quia remissionem peccatorum & gratiam sanctificantem, quam per contritionem perfectam obtinuit, non nisi cum onere accepit & obligatione Baptismum suscipiendi. Ad VI. Resp. sermonem ibi esse de sanctificatione exteriori Catechumeni, nempe de signo Crucis, impositione manuum, degustatione salis, aliisque cæremoniis, quibus præparantur Catechumeni ad Baptismum. Quod si de sanctificatione interiori sermonem ibi esse pertinacius contendas, ajo, interiorem etiam illam sanctificationem inutilem dici, si Catechumenus vel ex contemptu, vel ex negligentia Baptismum non suscipit. Ad VII. Resp. Augustinum securum ante Baptismum non fuisse de peccatorum suorum remissione, non quia credebat perfecte contrito peccata non remitti ante Baptismum; sed quia certus non erat habuisse se tunc contritionem ex perfecta charitate conceptam. Ad VIII. D. M. Charitas est bona voluntas qualiscunque, N. M. Est bona voluntas, quæ datur nobis per spiritum adoptionis, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum inhabitantem, & quæ sola perducit ad vitam æternam, C. M. & D. min. Non omnis bona voluntas, quæ plena & perfecta non est, sanctificat hominem, C. min. Bona voluntas, plena & perfecta, N. min. Ad IX. C. A. N. C. Id contingit, quia ordinarie peccatores non habent perfectam contrionem.

96. Obj. III. Ratio. Si contritio perfecta ante Sacramenti Pœnitentiæ realem perceptionem ordinarie ac semper peccatores justificaret, Pœnitentiæ Sacramentum neque necessarium esset necessitate medii, neque fidelibus utile. Atqui id dici nequit. Ergo. Resp. N. M. Ut Sacramentum aliquod necessarium esse dicatur necessitate medii, satis est, quod ejus effectus saltem absque illius voto obtineri nequeat. Igitur cum perfecta contritio hominem non justificet absque voto Sacramenti Pœnitentiæ, recte infertur, *Neque ratio Theologica.*

Sacramentum illud neceſsarium eſse neceſsitate medii. Maxima autem ejus utilitas tum ex eo elucescit, quia per illud homo securior redditur de obtenta peccatorum remiſsione, quæ longe facilius in Sacramento, quam extra illud obtinetur: tum quia absolutio novam confert homini jam justificato gratiam sanctificantem, & jus ad actualis gratiæ auxilia suo tempore percipienda, tollitque saltem ex parte reatum pœnæ temporalis.

97. Dices I. Actus fidei ita requiritur ad justificationem, ut numquam votum ejus sufficiat. Ergo etiam Sacramentum Pœnitentiæ ita requiritur ad justificationem peccatoris, ut votum illius in perfecta contritione contentum numquam sufficiat. Resp. C. A. N. C. Disparitas petenda est tum ex Scriptura & traditione, quæ posterius aſserunt, non autem prius illud: tum ex ratione Theologica, quia fides est prima radix justificationis; nec datur alius actus supernaturalis prior, qui ejus votum contineat, & propter ejus excellentiam poſsit illius vices supplere. At vero actus perfectæ contritionis continet saltem virtualiter votum Sacramenti, potestque ob insignem suam præstantiam illius vices supplere quoad justificationem, cum obligatione tamen Sacramentum illud reipsa suscipiendi.

98. Dices II. Si peccator vi perfectæ contritionis ante Sacramentalem Confeſsionem justificaretur, forma absolutionis, a Sacerdote dein prolata, falsa omnino evaderet: siquidem perfecte contritus peccatorum vinculis ligatus amplius non foret: ideoque vere ac proprie a peccatis non solveretur. Atqui hoc dici nequit. Ergo. Resp. N. M. Sacerdos formam absolutionis proferens nil aliud verbis illis significat, nisi impendi a se, quantum ex parte ministri est, Sacramentum reconciliationis, quod vim habet in homine disposito omnia peccata dimittendi: quemadmodum quando minister Baptismum administrat, non affirmat se absolute baptizatum a peccatis purgare; sed tantum ponere se actionem, quæ de

se atque ex virtute sua intrinseca vim habet mundandi a peccatis cum non ignoret contingere posse, ut suscipiens Baptismum non sit rite dispositus, atque obicem gratiæ ponat perversa sua voluntate. Præterea forma absolutionis indifferenter significat primam aut secundam, vel etiam tertiam remissionem, pro subjecti capacitate; semperque aliquid ex peccato inductum per illam purgari potest, ut v. g. pœnæ temporalis reatus aut vulnus aliquod ex peccato relictum.

Aut paritas eis suffragatur.

99. Obj. IV. Paritas. Amor Dei, qui vocatur concupiscentiæ, quo Deus super omnia diligitur ut bonus nobis, non justificat peccatorem extra Sacramentum Pœnitentiæ. Ergo etiam peccator extra Sacramentum Pœnitentiæ non justificatur per amorem amicitiæ, quo Deus super omnia propter se diligitur. Resp. I. retorquendo. Amor concupiscentiæ numquam justificat peccatorem extra Sacramentum Pœnitentiæ, neque in casu etiam necessitatis. Ergo idem dicendum erit etiam de amore amicitiæ. Resp. II. C. A. N. C. Amor, quo Deus super omnia propter se diligitur, justificat peccatorem, quia illum intime unit cum Deo per veram amicitiam: at vero amor concupiscentiæ hominem cum Deo non conjungit per veram amicitiam.

Ad justificationem extra Sacramentum intensio contritionis neque ex Scripturis evincitur.

100. Obj. V. Contra II. Conclusionem, Scripturarum auctoritas. Ad justificationem impii extra Sacramentum Scriptura exigit contritionem perfectam valde intensam. Ergo. P. A. Deuteronomii Cap. IV. dicitur: *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Matth. Cap. XXII. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Lucæ Cap. VII. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Joelis Cap. II. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Psal. XXXVII. *Afflictus sum & humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.* Resp. N. A. Ad *prob.* C. A. N. C. Ex his Scripturarum testimoniis non evincitur

necesitas contritionis valde intensæ, sed tantum doloris summe appretiativi; qui enim de peccatis suis ita dolet, ut illa super omnia detestabilia execretur, paratus omnium bonorum ac vitæ ipsius jacturum facere, quam Deum propter se super omnia dilectum offendere, vere diligit multum, conversus est ad Deum in toto corde suo, Deum toto corde quærit, eumque ex toto corde diligit. Quare optima quidem est atque omnino optanda illa contritionis vehementia, & ob illam Magdalena & David merito in Scripturis commendantur; sed ad reconciliandum Deo peccatorem necesaria non est, cum Scripturæ omni veræ charitati indiscriminatim promittant remisionem peccatorum.

Neque ex Patribus. 101. Obj. VI. Auctoritas Patrum, qui vehementem & intensum dolorem a pœnitentibus exigunt. S. Cypr. Tract. de Lapsis ait: *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longe medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit. - - - Putas facile eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio volutari & sordibus.* S. Ambr. Tract. ad Virginem lapsam, Cap. VIII. *Sed quanta putas & qualis necessaria pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certe exæquet?* S. August. Serm. CCLXXVIII. alias XXXIV. de Diversis: *Sunt quædam gravia & mortifera, quæ nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis & contritionis spiritus & tribulationis pœnitentiæ non relaxantur. Hæc dimittuntur per claves Ecclesiæ.* S. Cæsarius Arelatensis Hom. I. *Quomodo solet mater orbata super amissione unici filii sui fracto pectore lamentari; ita convenit super unicam suam* (animam) *sed spe reparationis affligi. - - - Necesse est super hanc unicam criminum mucrone confossam totum pondus doloris effundi, si forte possit lacrymarum vivificata fontibus, calore fidei suscitari.* Resp. I. Patres locis cit. agunt de pœnitentia

tentia neceſsaria ad obtinendam peccatorum remiſsionem in Sacramento. Ergo ad remiſsionem peccatorum neque in Sacramento Pœnitentiæ ſufficiet remiſsa charitas? Resp. II. N. C. Patres illi vel de contritione appretiative ſumma intelligendi ſunt; vel ſi de intenſione contritionis loquuntur, dicunt tantum eam neceſsariam eſse neceſsitate convenientiæ atque utilitatis, & ad remiſsionem omnis reatus pœnæ temporalis, quæ luenda superest.

Non ex auctoritate Catechiſmi Romani.

102. Obj. VII. Auctoritas Catechismi Romani, qui Parte II. de Sacramento Pœnitentiæ, Num. XLVI. hæc verba habet: *Ut enim hoc concedamus, contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, incenſam eſse oportere, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari, conferrique poſſit; at quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam ut a pauciſſimis hac via peccatorum venia ſperanda eſset. Quare neceſse fuit, ut clementiſſimus Dominus faciliori ratione communi hominum ſaluti conſuleret, quod quidem admirabili conſilio effecit, cum claves regni cœleſtis Eccleſiæ tradidit.* Ergo Catechismus Romanus extra confeſsionem requirit contritionem perfectam valde intensam. Resp. I. Quamvis magna sit hujus Catechismi auctoritas, non tamen tanta est, ut in quæstionibus inter ipsos Doctores Catholicos controversis, fas non sit ab eo recedere, ut patet in aliis etiam materiis. Resp. II. N. C. Scopus Auctorum hujus Catechismi, quamvis cum aliqua exaggeratione loquantur, alius non fuit quam commendare clementiam Christi in instituendo Pœnitentiæ Sacramento, in quo pœnitens qui de peccatis suis dolet, simulque in posterum non peccare constituit, quando a Sacerdote absolvitur, vi clavium scelerum omnium veniam impetrat, licet non sit contritus propter Deum super omnia dilectum propter se; atque ita careat ea contritione quæ non adeo facile elicitur a peccatoribus, & sine qua nemo justificari potest extra Sacramentum. Et profecto Catechismum Romanum adversariis non favere, ex duobus locis ostenditur

ditur ejusdem Cap. V. de Sacramento Pœnitentiæ. Num. XXXVII. aſseritur, ad veram contritionem non requiri dolorem intensum & vehementem: *Quamquam ſi id minus conſequi nobis liceat, ut perfecta ſit* (id est, vehementiſsima) *vera tamen & efficax contritio eſſe poteſt; ſæpe enim uſuvenit, ut quæ ſenſibus ſubjecta ſunt, magis quam ſpiritualia nos afficiant. Quare non nulli interdum majorem ex filiorum obitu, quam ex peccati turpitudine doloris ſenſum capiunt.* Et Num. XLII. dicitur: *Ex quo licet cognoſcere, veræ contritionis, de qua ſupra dictum eſt, eam vim eſſe, ut illius beneficio omnium delictorum veniam ſtatim a Domino impetremus.*

Aut ratione Theologica.

103. Obj. VIII. Ratio. Charitas remiſsa est imperfecta charitas. Ergo se sola non sufficit ad delenda peccata. P. A. Charitas remiſsa est charitas tantum inchoata. Atqui charitas inchoata est tantum imperfecta. Ergo. *Confirm.* Actus intensus est eſsentialiter perfectior actu remiſso. Ergo charitas remiſsa non est eſsentialiter perfecta. II. Dolor remiſsus quoad intensionem, non potest eſse summus appretiative. Ergo dolor remiſsus non est verus dolor sufficiens ad delenda peccata. P. A. Id quod movet ad appretiationem, movet etiam ud intensionem. Ergo dolor intensive, est etiam appretiative remiſsus. III. Quamvis scintilla ignis sit verus eſsentialiter ignis, impar tamen est comburendo ligno, vel expellendo frigori, quia sufficientem non habet intensionis gradum. Ergo a pari, quamvis contritio remiſsa sit vera contritio, impar tamen est expellendo peccato, quia sufficientem non habet intensionis gradum. Resp. N. A. Actus, quo Deus quamtumvis remiſse super omnia propter se diligitur, est complete perfectus in eſse charitatis, habetque totam charitatis eſsentiam, quæ in eo consistit, quod Deus propter se diligatur cum summa appretiatione. Ad *prob.* N. M. Charitas eſsentialiter perfecta non est inchoata tantum, sed completa in ratione charitatis; & quando remiſsa est, caret tantum perfectione aliqua accidentali. Si quæras, quid ergo sit charitas in-

inchoata? Resp. esse illam, qua Deus propter se quidem diligitur, sed non super omnia, id est, sine summa appretiatione; potestque locum habere in attritione. Quamvis enim peccator attritus detestetur peccata super omnia detestabilia, firmiterque proponat vitæ potius ac bonorum omnium temporalium jacturam facere, quam Deum amplius offendere; id tamen non agit ob Deum propter se super omnia dilectum, sed ad declinandam illius iram vindicem: ideoque quamvis aliquo etiam amore Deum propter se prosequatur, motivum tamen summæ illius appretiationis non est bonitas Dei absoluta, sed relativa. Ad *confirm.* N. A. Intensio non est de essentia actus, sed objectum, motivum, & appretiatio, ut patet in actibus fidei & spei. Ad II. N. A. Sicut maxima intensio dari potest sine maxima appretiatione, ita etiam summa appretiatio dari potest sine maxima intensione. Ad *prob.* N. A. Appretiatio objecti, & actus intensio ex diverso capite oriuntur; appretiatio quidem ex præstantia & dignitate objecti, intensio vero ex magna & vehementi applicatione potentiæ erga objectum, quæ potest esse quandoque vehementior circa objectum minus amatum & æstimatum. Res declarari potest exemplo matris, quæ parvulum filium intensiori amore prosequitur, licet natu majorem amore quidem minus intenso, sed appretiative majori diligat, cujus vitæ conservationem præfert vitæ junioris. Ad III. C. A. N. C. Actio ignis est physica, quæ non fit nisi successive, applicando activa passivis; actio vero charitatis seu contritionis perfectæ est spiritualis, fitque in instanti, non ratione gradus, sed substantiæ ipsius charitatis seu amoris Dei super omnia.

CONTROVERSIA IV.

AN ATTRITIO CONCEPTA EX TIMORE POENÆ ÆTERNÆ SIT BONA, HONESTA, ET SUPERNATURALIS?

CONTRA LUTHERUM, CALVINUM, BAJUM, JANSENIUM, QUESNELLUM.

Quotuplex sit timor?

104. In præsenti quæstione duplex considerandus est timor, mundanus, & divinus. *Mundanus* dicitur, quo quis favorem hominum divinæ amicitiæ anteponens vel in malum consentit, vel reverentia hominum a peccato abstinet, metuque pœnæ ab hominibus alias infligenda, cessat ab externo opere, retento peccandi desiderio, quando opportunitas foret absque supplicii periculo. Talis est timor in furibus, talisque fuit in plurimis Judæorum, qui ne lapidibus obruerentur, Legem transgredi non audebant publice, quam oderant animo. Timorem hunc noxium ac peccaminosum esse, apud omnes in confesso est. Timor *divinus* aliquam Dei perfectionem, seu Deum ipsum summum Bonum, seu remuneratorem ac vindicem respicit, atque in servilem ac filialem dividitur. *Servilis* est, quo homo culpam fugit propter annexas illi pœnas a Deo infligendas; proprium enim servorum est solam pœnam metuere propter se, atque ita odisse culpam, non quia offensio Domini est, sed tantum quia causa est pœnæ a Domino infligendæ. Quod si quis peccatum fugit ex metu pœnæ tamquam ex motivo & fine proximo, ita ut pro nullo casu vi timoris sui pluris faciat gehennæ vitationem quam Dei offensam, timorem habere is dicitur *simpliciter servilem:* si vero gehennam timet propter se, tamquam malum principale & summum, atque ita est actu implicite saltem & conditionate affectus, ut si posset impune, peccatum ultro comitteret, timor hic *serviliter servilis* a Theologis nuncupatur; estque hic timor pessimus ac peccaminosus, quia oritur ex inordinato amore proprio, ac per illum homo

mo constituit finem suum ultimum in se ipso, paratus Deum potius offendere, quam gehennam incurrere. Timor *filialis & castus* dicitur ille, quo quis ex amore justitiæ Deum amantissimum Patrem peccando offendere pertimescit, ne Deo displiceat, atque ab illo separetur; paratus Deo aliquid præcipienti obsequi, omniumque bonorum ac vitæ jacturam facere, etiamsi Deus nullum se diligentibus præmium pollicitus esset, nullumque immorigeris supplicium intentasset. Atque hic est proprius filiorum Dei. Timor denique *initialis*, qui eorum proprius est, qui in viis Dei ambulare incipiunt, dicitur ille, quo quis ad Deum convertitur, eique inhæret, non tantum ob timorem pœnæ super omnia quæ cum peccato conjuncta non sunt, verum etiam ob aliquem timorem culpæ propter Deum dilectum propter se, quamvis nondum super omnia. Atque hic timor medius esse censetur filialem inter & simpliciter servilem. Timorem Dei filialem rectum esse ac laudabilem, nullus Novatorum inficias ivit: serviliter servilem, quia peccandi voluntatem implicitam saltem & conditionatam actu includit, Catholici æque ac Heterodoxi reprobant. De solo itaque timore simpliciter servili quæstio hic agitatur.

Error Lutheri & Kemnitii.

105. Lutherus, quia perperam sentiebat, omnem humanam actionem, quæ non provenit ex charitate perfecta habituali & sanctificante, verum esse peccatum, de attritis ex pœnarum & gehennæ timore ita scribit Serm. de Pœnitentia: *Tales omnes indigne absolvuntur & communicantur: & si libere deberent, remoto præcepto & minis pœnarum confiteri; certe dicerent sibi displicere vitam illam præteritam, quam sic coguntur displicere confiteri: immo quo magis timore pœnæ & dolore damni conteruntur, eo magis peccant, & afficiuntur suis peccatis, quæ coguntur, non tamen volunt odisse: & hæc est contritio, quam ipsi vocant extra charitatem non meritoriam; alii vocant attritionem proxime disponentem ad contritionem; sic enim opinantur ipsi: quam opinionem errorem ego judico.* Et in Assert Articulorum contra

Bullam Leonis X. Asertione VI. *Contritio quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos in amaritudine animæ suæ ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, aquisitionem æternæ damnationis; hæc contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem.* Kemnitius in Exam. Conc. Trident. ad Sess. XIV. Can. V. ait: *Contritio expavescens consideratione iræ & judicii Dei, si non oriatur ex dilectione Dei; etiamsi accedat fides petens, & statuens remitti nobis peccata propter Christum, tamen non est salutaris; sed Judæ pœnitentia, ac proinde ad desperationem ducens & interitum.*

Calvini, Baji, & Jansenii.

106. Calvinus & Bajus cum doceant nullum dari medium inter vitiosam cupiditatem & laudabilem charitatem, atque actualem charitatem vere ac proprie dictam necesariam esse ad omnem humanam actionem ut sit moraliter bona, doctrinæ consequentia adacti ajunt, attritionem ex solo metu pœnarum conceptam, vitiosam esse, verumque saltem omisionis peccatum, eo ipso quod ex motivo charitatis non fiat, nec ad Deum tamquam ad finem ultimum referatur. Errorem Magistri sui pro more suo adoptavit Cornelius Jansenius Iprensis Tomo III. Editionis Lovaniensis, Lib. V. de Gratia Christi Salvatoris, Cap. XXXIII. *Intelligere nequeo, quod sibi Scholastici nonnulli volunt, dum dolorem peccati ex pœnarum timore pullulantem tantopere extollunt, ut eum etiam omnem voluntatem peccandi excludere, & bene vivendi propositum includere putent: quo nihil in doctrina Augustini absurdius & falsius dici potest. --- Timens, quidquid ex illo timore fecerit, nihil ex animo, nihil ex corde, nihil volenter, nihil coram Deo, sed tantum in speciem coram hominibus operatur. Hinc non est amicus rectitudinis, nec Dei; sed potius hostiles erga eum animos gerit.* Eadem chorda oberrant Quesnellus, aliique Jansenii discipuli.

Catholicorum doctrina.

107. At vero Catholici, quamvis fateantur actum timoris supernaturalis, *simpliciter servilis*, ex se absque

que charitate non esse vitæ æternæ meritorium, neque per eumdem excludi habitualem peccati voluntatem, hoc est, maculam & reatum ex peccato nondum dimisso animæ inhærentem, qui a sola charitate destruitur; multoque minus tolli per eumdem generalem quæ naturæ nostræ corruptæ inest, ad malum propensionem; contendunt tamen timorem illum non tantum non esse peccatum, etiam omissionis solummodo, æternis cruciatibus dignum; verum etiam bonum esse, laudabilem, donum Spiritus Sancti, disponere pœnitentem ad gratiam Sacramenti, ideoque excludi per illum actualem omnem ad peccatum affectum, sive absolutum sive conditionatum, sive explicitum aut implicitum, occultum ac latitantem.

Attritionem conceptam ex timore pœnæ æternæ, utilem esse & honestam, ostenditur ex Scripturis.

108. Conclusio I. Attritio concepta ex timore pœnæ æternæ, est utilis, honesta, ac supernaturalis. Prob. Conclusio hæc dogmatica Imo Scripturarum auctoritate. Ecclesiastici Cap. I. v. 20. dicitur: *Plenitudo sapientiæ est timere Deum, & plenitudo a fructibus illius.* v. 22. *Corona sapientiæ, timor Domini, replens pacem, & salutis fructum.* Proverb. Cap. XIV. *Timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis.* Psal. CX. *Initium sapientiæ timor Domini.* Psal. CXVIII. *Confige timore tuo carnes meas: a judiciis enim tuis timui.* Matth. Cap. X. Christus hortatur nos, ut gehennam timeamus: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* S. præcursor Christi peccatores ex timore pœnæ ad pœnitentiam adducere satagebat. Lucæ Cap. III. *Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant ut baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ - - jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

Ex S. Augustino.

109. Prob. II. Auctoritate S. Augustini, timorem divini suplicii sæpissime commendat, tamquam sedulum

sedulum cuſtodem cordis, a quo diabolum procul arcet, & locum parat charitati, quam in secretum cordis penetrale mox introducit. Tract. IX. in I. Epist. S. Joannis scribit: *Timor non eſt in charitate. Sed in qua charitate? Non in inchoata. In qua ergo? Sed perfecta, inquit, charitas foras mittit timorem. Ergo incipiat timor: quia initium ſapientiæ timor Domini. Timor quaſi locum præparat Charitati. Cum autem cœperit charitas habitare, pellitur timor qui ei præparavit locum. Quantum enim illa creſcit, ille decreſcit; & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Major charitas, minor timor: minor charitas, major timor. Si autem nullus timor, non eſt qua intret charitas. Sicut videmus per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur, ſeta prius intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum: ſic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem.* Serm. CLVI. alias XIII. de Verbis Apostoli: *Qui enim adhuc ideo bene agit, quia pœnam timet, Deum non amat, nondum eſt inter filios: utinam tamen vel pœnam timeat. Timor ſervus eſt, charitas libera eſt; & ut ſic dicamus, timor eſt ſervus charitatis. Ne poſſideat diabolus cor tuum, præcedat ſervus in corde tuo, & ſervet Dominæ venturæ locum. Fac, fac vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore juſtitiæ. Veniet Domina, & ſervus abſcedet: quia conſummata charitas foras mittit timorem.* Serm. CLXI. alias XVIII. de Verbis Apostoli, Cap. VIII. *Modo cum dicis mihi, Gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo: quid dicturus ſum? Male times? vane times? Non audeo, quandoquidem ipſe Dominus ablato timore, ſubjecit timorem; & ait, ubi dixit, Nolite timere eos &c. Cum ergo Dominus timorem incuſſerit, & vehementer incuſſerit, & repetendo verbum comminationem geminaverit, dicturus ego ſum, Male times? Iſta non dicam. Plane time, nihil melius times; nihil eſt quod magis timere debeas.* Serm. CCCXLIX. alias LII. de Tempore, Cap. VII. *Si igne cœli non accenderis, ignem time gehennarum. Si non amas eſſe inter Angelos Dei, time*

eſſe

eſſe inter angelos diaboli. Si non amas eſſe in regno, time eſſe in camino ignis ardentis, inextinguibilis, ſempiterni. Vincat in te prius timor, & erit amor. Timor pædagogus ſit, non ipſe in te remaneat; ſed te ad charitatem quaſi ad magiſtrum perducat. Enarratione in Psal. CXXVII. Num. VIII. *Ille timor nondum caſtus, præſentiam & pœnas timet. Timore facit, quidquid boni facit; non timore amittendi bonum illud, ſed timore patiendi illud malum. Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi ſponſi, ſed timet ne mittatur in gehennam. Bonus eſt iſte timor, utilis eſt.* Enarratione in Psal. LXXX. Num. XX. *Timens terreo: ſecuros vos facerem, ſi ſecurus fierem. Ego ignem æternum timeo.* Enarrat. in Psal. XLIX. Num. VII. *Qui illam dulcedinem non guſtaverunt, ſi nondum deſiderant Dei faciem, timeant vel ignem; ſupplicia terreant, quem præmia non invitant. Vile tibi eſt quod Deus pollicetur, contremiſce quod minatur. - - Minatur inimicus tam leve malum, & facis malum: minatur Deus æternum malum, & non facis bonum? - - Minis Dei, minis æterni ignis prohiberis a malo, invitaris ad bonum.* Enarrat. in Psal. CXXIII. Num. XII. *Quomodo ſi videas avem veluti jam cadere in muſcipulam, facis majorem ſtrepitum, ut volet de muſcipula: ſic & Martyres, jam forte aliqui ipſorum intendebant collum in dulcedinem vitæ hujus; Dominus qui erat in illis, fecit ſtrepitum gehennarum, & erutus eſt paſſer de muſcipula venantium.* Vide selectos alios Augustini textus apud Laurentium Alticotium Summæ Augustinianæ Parte II. Quæst. I. Art. V.

110. Prob. III. Auctoritate aliorum Patrum. Tertullianus Lib. de Pœnit. Cap. ult. ait: *Si de exomologeſi retractas, gehennam in corde conſidera, quam tibi exomologeſis extinguit; & pœnæ magnitudinem prius imaginare, ut de remedii adeptione non dubites.* Clemens Alexandrinus Lib. II. Stromatum: *Prima ad ſalutem inclinatio nobis fides apparet, poſtquam timor, ſpes & pœnitentia - - nos ducunt ad charitatem. - - Qui autem timorem damnant, legem etiam inſectantur: quod ſi legem,* *Aliisque Patribus.*

legem, clarum eſt quod & eum qui legem tulit. S. Basilius in Psal. XXXII. *Neceſſario velut introductorius ad pietatem timor aſſumitur; dilectio vero deinceps ſuccedens, a timore ſcientifico adaptatos perficit.* Et in Psal. XXXIII. *Timor ſalutaris eſt, qui ſanctitatis operatorius. Vis enarrem qualis ſit? Si quando ſenſeris te ad unum aliquod cieri ac profilire peccatum, ad mentem revoca formidabile illud, nec ulli mortalium tolerabile Chriſti judicium - - Hæc time, & hoc timore eruditus, animum a concupiſcentia ad hæc mala velut fræno quodam relide.* S. Ambrosius in Psal. CXVIII. *Configat carnales cogitationes timor Domini & judiciorum ejus, & ſervituti redigat.* Et Tract. ad Virginem lapsam, Cap. VIII. *Pœnitentia ſic agitur; ſi tibi ante oculos ponas de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum ſit, & ſi te jam credas prope ipſas poſitam tenebras exteriores - - Quamtumvis labarem, quamtamvis afflictionem ſubire eſto contenta, dummodo ab æternalibus pœnis libereris.* S. Hieronymus Comment. in Cap. I. Malachiæ: *Vult Deus, ut primum ejus filii ſimus, & bonum voluntate faciamus: ſi hoc conſequi nolumus, ut ſaltem nos ſervos habeat, & a malis per ſuppliciorum formidinem recedamus; ut de timore ſervorum ad gratiam filiorum tranſeamus.* Et in Cap. II. Michææ: *Qui pudore vel verecundia non tenentur, agant pœnitentiam ſaltem comminatione pœnarum.* S. Chrysostomus Hom. XV. ad Populum Antiochenum: *Quid gehenna gravius? Sed hujus metu nihil utilius; gehennæ namque timor regni nobis adfert coronam - - Nihil enim tantum peccata quidem conſumit, virtutem vero creſcere facit & germinare, quantum continui timoris natura. Propterea qui non vivit in timore, recte illum agere non eſt facile: ſicut viciſſim cum timore viventem eſt impoſſibile peccare - - Niſi bonus eſſet timor, non multos impendiſſet Chriſtus ſermones & longos, de illa pœna & ſupplicio loquens.* Diceres Chrysostomum spiritu prævidiſse Lutheri & Jansenistarum contra gehennæ timorem non tolerabiles calumnias, easque data opera refutandas suscepiſse. S. Gregorius

rius M. Hom. XXVI. in Evangelia: *Hunc tanti timoris Judicem ante oculos ponite: hunc venturum timete, ut cum venerit, non timidi, sed securi videatis. Timendus ergo est, ne timeatur. Terror ejus nos ad usum bonæ operationis exerceat: metus illius vitam nostram a pravitate compescat.*

111. Prob. IV. Auctoritate Conciliorum. Trident. Sess. VI. Can. VIII. ait: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere; anathema sit.* Sess. XIV. Can. V. *Si quis dixerit, eam Contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium; anathema sit.* Et eadem Sess. Cap. IV. *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccati excludat, cum spe veniæ; declarat, non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt.* *Auctoritate Conciliorum.*

112. Prob. V. Auctoritate Pontificum. Inter propositiones ab Alexandro VIII. A. 1690. damnatas, hæc legitur ordine XIV. *Timor gehennæ non est super-* *Pontificum.*

naturalis. Et XV. *Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.* Clemens XI. in celeberrima Constitutione *Unigenitus* plures proscripsit Paschasii Quesnelli propositiones, quæ timorem hunc tamquam noxium & peccaminosum rejiciunt. LX. *Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.* LXII. *Qui a malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo.* LXIII. *Baptizatus adhuc est sub lege, sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.* LXIV. *Sub maledicto legis numquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando.*

Ac ratione Theologica.

113. Prob. VI. Ratione Theologica. Attritio ex metu gehennæ concepta, tria importat. Ac I^mo quidem voluntatem fugiendi pœnas æternas, quæ instar finis se habet. II. Peccati detestationem ac dolorem, qui medium est ad finem hunc obtinendum. III. Ordinationem hujus medii, seu peccati fugam ad pœnam vitandam. Atqui nihil hic occurrit, quod non sit positive bonum, utile & honestum. Ergo. P. min. Æterna pœna est malum naturæ rationali maxime disconveniens. Ergo timor, & fuga illius est homini maxime utilis & honesta, quam ordinatus sui amor præcipit creaturæ. Detestatio peccati ambigi non potest quin sit honestissima. Denique bonum esse ordinare hunc dolorem ad vitandam gehennam, ex eo evincitur, quia dolere de peccato quod est causa pœnæ, medium est ad vitandam pœnam aptissimum. Ergo attritio ex metu gehennæ concepta, positive bona est, honesta, atque utilis: cumque procedat ex lumine fidei, simulque nitatur motivo per fidem supernaturalem proposito, ipsa etiam attritio est supernaturalis.

Attritio ex solo metu pœnæ

114. Conclusio II. Attritio ex solo metu pœnæ æternæ concepta, potest esse absolute efficax, & positive

sitive excludere omnem voluntatem peccandi. Sive quod idem est, sæpe datur attritio simpliciter servilis. Dixi I. *Ex solo metu pœnæ æternæ*, id est, absque ullo Dei amore benevolo tam filiali quam initiali, tam perfecto quam imperfecto; quamvis non sine gratiæ divinæ adjutorio. II. *Potest esse absolute efficax.* Sæpe enim dari metum pœnæ etiam æternæ tam debilem ac remissum, ut quamvis conjunctam habeat displicentiam quamdam simplicem atque inefficacem ipsius peccati, neutiquam tamen sufficiat ad excludendam absolute voluntatem graviter peccandi, idque de facto sæpius fieri, frequens docet experientia, præsertim in iis qui longa peccandi consuetudine & intensissimo voluptatis sensu affixi, quamvis ingruente mortis periculo ex metu futuri judicii & pœnæ æternæ peccata detestari vere sibi videantur, ea tamen revera non detestantur; sed adhuc retinent actualem, licet occultam, voluntatem peccandi, si periculum evadant. III. *Potest positive excludere*, id est, non tantum mere negative per solam cessationem ab actuali voluntate peccandi, sicut v. g. excluditur per somnum, aut vehementem distractionem; verum etiam positive per affectum contrarium, de se non conjungibilem cum actuali voluntate peccandi. IV. *Omnem voluntatem peccandi*, intellige actualem, non habitualem illam, quæ per solam gratiam sanctificantem perfecte excluditur. V. *Sive, sæpe datur attritio simpliciter servilis.* Si enim attritio ex metu gehennæ concepta non excluderet positive & efficaciter omnem actualem voluntatem peccandi, sed illam, occultam quamvis & hypotheticam retineret, jam non attritio simpliciter servilis foret, de cujus honestate hic disputatur; sed esset serviliter servilis, adeoque omnium Theologorum confessione noxia foret, reprobanda, & peccaminosa.

æternæ concepta, potest excludere omnem voluntatem peccandi.

115. Prob. Conclusio sic explicata, Imo. Scripturarum auctoritate, quæ indefinite de timore salutari asserunt Exodi Cap. XX. *Ut enim probaret vos venit Deus, & ut terror illius esset in vobis, & non peccetis.*

Ostenditur id auctoritate Scripturarum.

retis. Atqui si terror quandoque non excluderet omnem actualem voluntatem peccandi, Jsraelitæ timendo non potuissent non peccare. Eccles. Cap. I. *Timor Domini expellit peccatum.* Proverb. Cap. VIII. *Timor Domini odit malum.* Cap. XIV. *Sapiens timet, & declinat a malo.* Cap. XVI. *In timore Domini declinatur a malo.* Psal. CXI. *Qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.* Jeremiæ Cap. XXXII. *Timorem meum dabo in corde eorum, & non recedent a me.* Joan. Cap. V. Christus ipse satis indicat, timore mali excludi posse voluntatem peccandi, dum languido ad probaticam piscinam sanato dixit: *Jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

S. Augustini. 116. Prob. II. Auctoritate S. August. qui Sermone XXXI. in Psal. CXVIII. ait: *Habuerunt quidem & illi* (Tyranni) *verba minacia, Expello, proscribo, occido &c. sed tua me potius verba terruerunt, Nolite timere eos qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant; sed eum timete qui habet potestatem & corpus & animam perdere in gehennam. Ab his verbis tuis formidavit cor meum, & contempsi hominem persecutorem meum, & vici diabolum seductorem meum.* Atqui talem victoriam rideret diabolus, si externa solum opera formidine cohiberentur, quin omnis actualis ad peccatum affectus excludatur. Enarratione in Psal. CXXVII. *Audiunt hæc homines; & quia vere futura sunt impiis, timent, & continent se a peccato.* Epist. CXL. alias CXX. ad Honoratum: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem: proinde præmissus timor in cor nostrum, pellit inde consuetudinem malorum operum, & servat charitati locum.* Lib. de Catechizandis rudibus, Cap. V. *De ipsa etiam severitate Dei, qua corda mortalium salubberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda est.* Atqui terror ille est saluberrimus, non ut homo peccato & pravis ejus affectibus addictus maneat, sed ut ab illis invictissime avellatur. Serm. XCIX. alias XXIII. inter L. S. Doctor Deum sic loquentem inducit: *Ut non consentires, ego terrui.*

terrui. Agnoſce ergo gratiam ejus, cui debes & quod non admiſiſti.

117. Prob. III. Auctoritate aliorum Patrum. S. Basilius in Psal. XXXIII. *Quemadmodum qui corporis membra habent clavis transfixa, ea habent ad operationem immobilia; ſic quorum animum occupavit Dei timor, omnem importunitatem quæ ex peccati affectione ac perturbatione oritur, vitant. Timenti itaque non eſt inopia, hoc eſt, nihil illi ad ullam virtutem deeſt, qui per timorem ab omni prava actione cohibetur.* At vero timenti plurimum ad virtutem deeſset, si timor in solis membris corporis operetur. S. Ambr. Serm. VI. in Psal. CXVIII. *Is, qui in judiciis Dei ſperat, ſervare poteſt verbum veritatis; quia dum veretur pœnam, cuſtodit gratiam; ideoque ait, Et cuſtodiam legem tuam ſemper.* S. Hieron. Epist. CXXVII. ad Fabiolam, de XLII. Mansionibus: *Jungit timorem, qui cuſtos eſt beatitudinis. Virga tua, & baculus tuus &c. Senſus eſt: dum tormenta formido, ſervavi gratiam quam receperam.* S. Greg. M. Hom. VII. in Ezechielem: *Hunc ideo tunc electi terribilem non videbunt, quia modo terrorem illius conſiderare non ceſſant. Studioſe enim conſiderant, quam terribilis ad judicium veniat: culpas anteactas deflent, imminentes declinant: pavorem illius quotidie ante oculos mentis ponunt, & timendo agunt, ne quando venerit pertimeſcant.* Et paulo poſt de hoc ipso timore ait: *Bonorum mentes unde terret, inde protegit. Si enim pavendus in eorum cordibus non eſſet, protector & modo a peccatis, & poſt a ſuppliciis non fuiſſet.* Author Librorum de Vocatione Gentium, Lib. II. Cap. IX. scribit: *Hunc autem conſenſum* (voluntatis ad bonum) *non ſolum cohortatio, ſed etiam metus gignit: propter quod ſcriptum eſt, Principium ſapientiæ timor Domini; qui quantislibet terroribus inferatur, non aliud agit, quam ut quem fecerit timentem, faciat & volentem: nec ſolum volentem, ſed etiam ſapientem.* Eadem quoque fuit S. Thomæ sententia, qui IIda IIdæ Quæst. XIX. Artic. II. ita scribit: *Quandoque autem homo propter mala quæ timet,* *Aliorumque Patrum.*

timet, ad Deum convertitur, & ei inhæret. Quod quidem malum eſt duplex, ſcilicet malum pœnæ & malum culpæ. Si ergo aliquis convertatur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor ſervilis. Ergo juxta S. Thomam timor pœnæ æternæ efficit conversionem illam atque inhæsionem, quæ certe dari nequit, nisi omnis affectus erga peccatum excludatur.

Auctoritate Tridentini.

118. Prob. IV. Auctoritate Concilii Tridentini, quod Seſs. XIV. Cap. IV. loquens de Contritione in genere, prout hæc præscindit a perfecta & imperfecta, declarat, illam *non ſolum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere.* II. Trident. eodem Cap. ait, attritionem, quæ *vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, declarat - - etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum.* Ergo Tridentina Synodus supponit re ipsa fieri aliquando, ut attritio ex gehennæ & pœnarum formidine concepta, omnem voluntatem delinquendi excludat, alias nihil contra Lutherum definiviſset. Hic enim numquam docuit, attritionem ex metu gehennæ conceptam, eſse malam, si voluntatem peccandi excludat; sed ab ea voluntatem peccandi, saltem conditionatam illam & tacitam, umquam excludi negavit, ut patet ex ejus Sermone de Pœnitentia, ubi ait: *Si libere deberent remoto præcepto & minis pœnarum confiteri, certe dicerent, ſibi non diſplicere vitam illam præteritam, quam ſic coguntur diſplicere confiteri.* III. Eadem Synodus Seſs. VI. Can. VIII. nulla apposita conditione, diserte aſserit, per gehennæ metum nos ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugere, atque a peccato abstinere. Ergo docet per timorem gehennæ omnem actualem affectum ad peccatum poſse excludi; alias sic timendo numquam abstineremus a peccato.

Ac Pontificum.

119. Prob. V. Auctoritate Pontificum. Clemens XI. propositionem hanc, inter Quesnellianas ordine LXI. proscripsit: *Timor non niſi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ*

ſtitiæ non ducitur. Ergo timor non solam manum, ſeu opus externum, sed etiam animum, id est, voluntatem atque affectum peccandi cohibet. Atqui si timor gehennæ absolute & efficaciter omnem actualem voluntatem peccandi numquam excluderet, non animum, sed solam manum semper cohiberet; hic enim ipse affectus, quamtumvis latitans & hypotheticus, hominem a Deo semper aversum detineret, justæque ejus indignationi obnoxium.

Et ratione Theologica.

120. Prob. VI. Ratione Theologica. Attritio ex metu pœnæ æternæ concepta, potest eſse tam efficax, ut hominem absolute determinet ad adhibenda omnia media pro evitandis æternis pœnis neceſsaria. Atqui inter illa est etiam exclusio omnis affectus & voluntatis peccandi, quamtumvis etiam conditionatæ, si nimirum Deus inferni pœnis in peccantes non animadverteret. Ergo attritio ex metu pœnæ æternæ concepta, potest eſse tam efficax, ut hominem determinet ad deponendam omnem actualem voluntatem peccandi tam absolutam quam conditionatam. P. M. Timor pœnæ temporalis potest hominem efficaciter absterrere a delicto, propter quod illa incurritur. Ergo a fortiori, metus æternæ pœnæ, a Deo omnipotente justoque omnium Judice certiſsime alioquin infligendæ, hominem efficaciter absterrere potest ab omni actuali affectu & voluntate peccandi, quæ nisi excludatur, æterna pœna non effugitur. *Confirm.* Metus pœnæ æternæ potest efficaciter excludere peccatum externum, ut ipsi adversarii fatentur. Ergo etiam excludere potest peccatum internum; quia eadem est peccato interno æque ac externo pœna constituta: idem utrumque fugiendi motivum, ac sæpe eadem in abstinendo difficultas. Cæterum rationum momenta quæ attulimus, ostendunt timorem simpliciter servilem non tantum ab ipso attritionis actu, verum etiam ab animo attriti omnem voluntatem peccandi excludere. Attritio enim, quia est nolitio peccandi, ab ipsa attritione voluntatem peccandi excludit; ergo etiam ab animo attriti, qui nolitionem

hanc

hanc peccandi habet; quia in eodem attrito simul dari nequit nolitio & volitio peccati.

Sola attritio ſine amore Dei initiali non ſufficit ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ.

121. Quæres I. An attritio ex solo metu gehennæ concepta, absque omni actu dilectionis Dei propter se, sufficiat in Sacramento Pœnitentiæ ad obtinendam remiſsionem mortalium? Resp. Attritionem hanc, quamvis honesta sit, utilis, ac supernaturalis, omnemque actualem peccandi voluntatem excludat, probabilius tamen se sola non sufficere. Prob. aſsertio I. Auctoritate Trident. quod Seſs. VI. Cap. VI. agens in genere de justificatione impii, ait: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt. - - Et dum peccatores ſe eſſe intelligentes, a divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes, Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet: denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata.* Ergo ad omnem justificationem obtinendam, non in Sacramento Baptismi tantum, verum etiam Pœnitentiæ, quæ secundus & laboriosus baptismus a Patribus vocatur, præter timorem divinæ justitiæ, a quo ordinarie exordium ducit conversio impii, requiritur etiam amor initialis, quo Deus tamquam omnis justitiæ fons diligitur. Quid autem amoris initialis nomine hic intelligatur, diximus Num. CIV. Ergo juxta doctrinam Tridentini sola attritio simpliciter servilis etiam in Sacramento Pœnitentiæ ad justificationem non sufficit.

122. Prob. II. Ratione Theologica duplici. I^ma est. In omni justificatione non solum remittuntur homini peccata, verum etiam is constituitur vere amicus, filius adoptivus Dei, & hæres regni cœlestis. Atqui non videtur conveniens id fieri sine aliquo

actu,

actu, quo peccator Deum a se graviter offensum diligat propter se. II. Homo Peccando avertitur a Deo, & convertitur ad creaturam per inordinatum amorem illius, quam amat propter aliquam ejus bonitatem sive veram sive apparentem. Ergo congruum est, ut homo peccati veniam non consequatur, nisi avertat se a creatura, & ad Deum convertatur. Atqui vera & proprie dicta conversio ad Deum dari nequit sine aliqua dilectione Dei propter se, quæ locum non habet in solo timore pœnarum; has enim homo odit ac detestatur ut sibi malas & perniciosas. Ergo.

123. Dices I. Trident. Sess. XIV. ubi ex instituto agit de Sacramento Pœnitentiæ, nullibi mentionem facit alicujus dilectionis, qua Deus diligi incipit propter se. II. Verba illa Cap. VI. Sess. VI. superius laudata, intelligenda sunt de amore spei seu concupiscentiæ, aut de proposito servandi mandata: immo Concilium loquitur de dispositione congrua tantum, non autem necessaria; cum inter dispositiones referat etiam divinæ justitiæ timorem, sine quo tamen justificatio obtineri potest. III. Tridentinum Sess. XIV. Cap. IV. de attritione ait, quod peccatorem ad Dei gratiam impetrandam in Sacramento Pœnitentiæ disponat. Ergo cum attritio sit proxima dispositio ad gratiam, dilectio aliqua Dei propter se non est necessaria ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam. IV. Sacramenta novæ Legis conferunt gratiam non ponentibus obicem. Sed qui atteritur ex solo metu pœnarum, non ponit obicem gratiæ. Ergo.

124. Resp. ad I. D. A. Tridentinum nullam ibi mentionem facit explicite, C. A. Implicite, N. A. In præfatione ad Sess. XIV. diserte asserit sancta Synodus, in decreto de Justificatione, sive Sessione VI. propter locorum cognationem multum fuisse de Pœnitentiæ Sacramento sermonem interpositum; noluitque semel dicta repetere. Ergo Concilium dispositiones illas, quas Sess. VI. Cap. VI. enumerat, vo-

luit esse communes utrique Sacramento Baptismi & Pœnitentiæ. Et profecto Sess. XIV. Tridentinum fidem tamquam dispositionem necessariam non exprimit: neque idcirco quisquam ambigit illam ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri, utpote de qua jam satis actum fuerat in Tridentino Sess. VI. Cap. VI. Ad II. N. A. Verba illa de amore spei sive concupiscentiæ intelligi nequeunt; postquam enim Trident. dixerat, *In spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore*, illico subjungit: *Illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata.* Ergo Concilium requirit amorem distinctum a spe atque ab amore concupiscentiæ, qui in spe fundatur. Ergo requirit aliquam dilectionem Dei propter se, quæ cum amore spei seu concupiscentiæ conjuncta peccatorem disponat ad obtinendam in Sacramento Pœnitentiæ justificationem. Neque intelligi possunt verba illa Tridentini de proposito servandi mandata; hujus enim post citata verba expressam facit mentionem: *Denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata.* Immo Tridentinum ex initiali dilectione Dei propter se, qua Deus tamquam omnis justitiæ fons incipit diligi, propositum hoc servandi mandata deducit: *Ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod ac detestationem.* Sicut enim ex dilectione Dei oritur odium peccati, sic ex odio peccati nascitur propositum non amplius peccandi. Cæterum dispositiones illas enumerari non tamquam congruas tantum, sed etiam necessarias, evincunt verba Concilii: *Ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod ac detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Quæ vox *Oportet* absque dubio hic importat necessitatem. Timor equidem divinæ justitiæ, sine quo justificatio absolute obtineri potest, inter dispositiones illas adducitur, quia Concilium ad consuetum & ordinarium modum justificationis respexit, de quo scribit S. Augustinus Lib. de Catechizandis rudibus, Cap. V. *Ra-*

V. *Rariſſime accidit, immo vero numquam, ut quiſquam veniat volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo Dei timore perculſus.* Ad III. N. C. Quamvis daretur, attritionem proxime disponere ad gratiam; quod tamen multi inficiantur, putantes, peccatorem per illam remote tantum disponi; neutiquam tamen sequeretur, eam proxime & adæquate ad juſtificationem disponere, sed tantum partialiter, nec sine initiali dilectione Dei propter se. Ad IV. D. min. Non ponit obicem gratiæ positivum, C. min. Negativum, N. min. Res declaratur exemplo. Qui fidem habet, non ponit obicem gratiæ v. g. in Sacramento Baptismi aut Pœnitentiæ; quia fides non eſt obex gratiæ: neque tamen ideo juſtificatur, quia sola fides non est dispositio sufficiens ad juſtificationem in Sacramento Baptismi aut Pœnitentiæ obtinendam.

Contritio perfecta non eſt neceſſaria ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ.

125. Quæres II. An Contritio perfecta sit dispositio neceſsario prærequisita ad obtinendam juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ? Resp. cum communiſsima & certa Theologorum, negative. Prob. aſsertio 1. Auctoritate Tridentini, quod Seſs. XIV. Cap. IV. docet, aliquando contingere, contritionem eſse charitate perfectam, & hominem Deo reconciliare priusquam Sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur. Ergo contingit sæpe hominem in Sacramento Pœnitentiæ Deo reconciliari, quamvis illius contritio non sit charitate perfecta. Ergo Tridentinum docet, contritionem perfectam non eſse dispositionem neceſsariam ad remiſsionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam.

126. Prob. II. Ratione Theologica, eaque multiplici. Ima est. Sacramentum Pœnitentiæ, sicut & Baptismi, est Sacramentum mortuorum, a Christo institutum ad delenda peccata post Baptismum commiſsa. Atqui si peccatori ad Sacramentum Pœnitentiæ accedenti neceſsaria foret contritio charitate perfecta, ceſsaret finis & causa hujus institutionis; quia contritio charitate perfecta statim atque infallibiliter, etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ, hominem juſti-

ficat, ut ostendimus Controversia præcedente. Ergo. Dicunt adversarii, justificari quidem hominem ante Sacramentum Pœnitentiæ re & actu perceptum, sed non ante illud in voto susceptum: sive, justificari per charitatem perfectam, quatenus illa includit votum percipiendi Sacramentum. At nos merito reponimus, cum Sacramenta mortuorum, ut ait S. Thomas Parte III. Quæst. LXXX. Artic. IV. ad II. sint *quasi medicinæ purgativæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati*, credibile non esse, Sacramentum hoc a Christo ita institutum fuisse, ut in voto semper debeat, in re autem nunquam possit operari; sed potius ideo fuisse ordinatum, ut gratiam usu ipso & applicatione, saltem juxta communem legem, conferat. II. Ecclesia accepit a Christo potestatem peccata vere dimittendi per absolutionem Sacramentalem, ut ostendimus Numero 57. Atqui si necesse foret pœnitentem perfectam habere contritionem antequam Sacramentaliter absolvatur, absolutio Sacerdotalis peccata non dimitteret, sed jam dimissa supponeret per contritionem perfectam. Ergo declararet dumtaxat peccatum esse remissum. Quod si dicant adversarii, in Sacramento augeri gratiam, & remitti pœnam peccatis debitam. Resp. Sacramenti Pœnitentiæ efficaciam non in eo dumtaxat esse reponendam, ut augeat gratiam, sed ut primo illam restituat: neque ut relaxet tantum pœnam temporalem, sed etiam æternam, cujus reatus ab ipsa culpa peccati non separatur. III. Salus æterna morientium ita quandoque dependet ab absolutione Sacerdotis, ut propter ejus defectum quidam damnentur. Ergo perfecta contritio non est necessaria ad obtinendam peccatorum veniam in Sacramento Pœnitentiæ. P. A. S. Cœlestinus Epist. ad Episcopos provinciæ Viennensis scribit: *Salutem homini adimit, quisquis mortis tempore speratam pœnitentiam denegarit.* S. Augustin. Epist. CCXXVIII. alias CLXXX. ad Honoratum: *An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri*

soleat

ſoleat ab utroque ſexu, atque ab omni ætate concurſus, aliis Baptiſmum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem & Sacramentorum confectionem & erogationem? Ubi ſi miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos, qui de iſto ſæculo vel non regenerati exeunt vel ligati? Trident. Seſs. XIV. Cap. VII. ait: *Verumtamen pie admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis & cenſuris abſolvere poßunt.* Prob. etiam consequentia. Si perfecta contritio neceſsaria foret ad obtinendam in Sacramento Pœnitentiæ justificationem, perinde eſset, sive moriturum absolvat Sacerdos, sive non absolvat. Si enim moribundus perfectam habet contritionem, etiam sine absolutione Sacerdotis salvabitur, quia perfecta charitas etiam extra confeſsionem justificat: quod si ea caruerit, juxta adversarios certo damnabitur, quamvis a Sacerdote absolvatur; quia caret dispositione neceſsaria ad justificationem etiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam. Ergo salus æterna moribundi in nullo casu dependeret a Sacerdotis absolutione. IV. Si ad valorem & fructum Sacramenti Pœnitentiæ requireretur contritio perfecta, tunc Christus instituendo hoc Sacramentum, multo difficiliorem reddidiſset justificationem peccatoris in Lege nova, quam olim fuerit in Lege antiqua; quia præter neceſsitatem eliciendi contritionem perfectam, quæ sola per se sufficiebat in lege antiqua, imposuiſset insuper onus distincte confitendi omnia peccata mortalia post Baptismum commiſsa tam quoad numerum quam quoad speciem; quo vix ullum est in Lege nova gravius atque difficilius præceptum. Atqui id dici nequit, cum repugnare videatur suavitati Legis Evangelicæ, de qua Christus ait Matth. Cap. XI. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.*

127. Quæres III. An ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ neceſsario prærequiratur charitas actualis *Neque requiritur charitas.*

qua Deus super omnia propter se diligitur, quamvis in gradu remisso.

actualis imperfecta, qua Deus propter se super omnia diligitur, sed in gradu remisso, ut Galli aliqui & Belgæ sentiunt? Resp. negative; charitas enim illa actualis imperfecta, ut vocant, qua Deus super omnia appretiative propter se diligitur, revera est in esse charitatis perfecta, sincera, ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, ab intensa charitate nonnisi accidentaliter diversa; quam Michael Bajus quidem ejusque discipuli asserunt extra Sacramentum Pœnitentiæ dari posse in homine absque remissione peccatorum; at communissima Catholicorum id negat, suffulta S. Pii V. & Gregorii XIII. auctoritate, qui Bajanam hanc doctrinam proscripserunt. Vide dicta Numero 85. & 89. Ergo charitas hæc appretiative summa, quæ falso ac perperam dicitur imperfecta, iisdem omnino de causis, ob quas necessitatem charitatis perfectæ paulo ante rejecimus, minime censeri potest necessaria ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam. Neque obstat, quod aliqui non obscuri nominis Theologi, nempe Joannes Neercassel Episcopus Castoriensis, Christianus Lupus, Franciscus Farvacques, Gaspar Juenin, Franciscus Gennettus Episcopus Vasionensis, Lambertus Le Drou Episcopus Porphyriensis, Nicolaus Gavardus, Natalis Alexander, Renatus Le Drouven &c. sententiam hanc propugnarint: longe major enim pro nobis stat Doctorum Catholicorum auctoritas, eaque pugnant rationum momenta, ut longe probabilius nobis sit, opinionem hanc a Pontificibus in Bajo fuisse confixam, ac merito adversarios urgeamus ad assignandam, hanc inter & Baji doctrinam, solidam disparitatem.

Aut amor benevolentiæ, quo Deus propter se super omnia diligitur, abstractione facta proprii a-

128. Quæres IV. An ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ requiratur amor, non quidem amicitiæ, sed benevolentiæ, quo Deus propter se super omnia diligitur, abstractione tamen facta proprii amantis commodi, hoc est, independenter a redamatione Dei, & sui per gratiam aut gloriam communicatione? Volunt nimirum aliqui cum Renato

Bil-

Billuart, amorem amicitiæ esse illum, quo Deus super omnia propter se diligitur, non tantum ut in se bonus, sed ut amicus etiam, ut nos redamans, & ut se nobis communicans per gratiam aut beatitudinem; non quia redamatio ista aut communicatio ex parte Dei constituat rationem formalem, propter quam Deus diligatur; sed quia est conditio, sine qua Deus non est objectum formale charitatis, sive sine qua noster in Deum affectus non est charitatis aut amicitiæ. Amorem benevolentiæ dicunt esse illum, quo Deus super omnia diligitur propter se, ut in se bonus est, non ut amicus, aut nos redamans. Amorem amicitiæ ad valorem & fructum Sacramenti Pœnitentiæ non exigunt illi, sed tantummodo amorem benevolentiæ, quam ab amicitia distinguunt. *mantis commodi.*

129. His præmissis Resp. negative. Prob. assertio Imo. Hic dolor de peccato commisso, qui oritur ex dilectione Dei super omnia propter se, quia in se bonus est, est perfecta contritio. Atqui perfecta contritio non est necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ. Ergo. P. M. Contritio perfecta est illa, quæ elicitur ex motivo proprio charitatis, hoc est, ex motivo divinæ bonitatis in se absolute consideratæ, sine ullo explicito ad proprium amantis commodum ordine ac respectu, ut communissime sentiunt Theologi, & cum illis S. Thomas IIda IIdæ Quæst. XVII. Artic. VIII. *Perfectus quidem amor est, quo aliquis secundum se amatur, utpote cui aliquis vult bonum, sicut homo amat amicum. Imperfectus amor est, quo quis amat aliquid non secundum se ipsum, sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat, sicut homo amat rem quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad charitatem, quæ inhæret Deo secundum se ipsum. Sed spes pertinet ad secundum amorem, quia ille qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit.* Atqui talis est dolor ille ortus ex amore benevolo. Ergo dolor ille ex benevolo Dei super omnia amore ortus, est contritio perfecta, peccatorem justificans ante susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ.

130.

130. Prob. II. Amor ille benevolus Dei super omnia est inseparabilis ab amore amicitiæ. Ergo vel uterque vel neuter est neceſsaria dispositio ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ. P. A. Qui Deum super omnia diligit propter se, seu quia in se bonus est, Deum ut finem suum ultimum respicit, eique per dilectionem inhæret, paratus omnium bonorum jacturam facere, quam a Deo suo separari. Ergo quantum est ex se, vehementiſsime cupit cum illo conjungi, in quo omnem felicitatem suam constituit, cujus bonum propriis commodis præfert. Ita enim natura comparati sumus, ut nullus propria voluntate sit miser, aut desiderium exuat beatitudinis. Ergo quantum est ex parte hominis, amor ille benevolentiæ separari nequit ab amore amicitiæ divinæ. At neque separari potest ex parte Dei; hoc ipso enim quod quis diligat Deum super omnia, Deus ipsum redamat, juxta illud Proverb. Cap. VIII. *Ego diligentes me diligo.* Joan. Cap. XIV. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum.* Eique per sua dona se communicat: major enim dilectio ab homine exigi nequit ac illa, qua Deus propter se super omnia diligitur. Ipse Christus Dominus ait Lucæ cap. VII. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et I. Joan. Cap. IV. dicitur: *Deus charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ergo neque ex parte hominis, neque ex parte Dei, amor benevolentiæ quo Deus propter se super omnia diligitur, separari potest ab amore amicitiæ. Ergo amor ille benevolentiæ non est neceſsarius ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ.

131. Equidem haud ignoro, S. Thomam IIda IIdæ Quæst. XXVII. Artic. II. discrimen statuere inter amorem benevolentiæ & amicitiæ; quia quamvis in charitatis actu includatur benevolentia, addit tamen dilectio benevolentiæ unionem affectus amantis ad amatum, quam unionem non includit benevolentia. At locum illum consideranti patet, Doctorem Angelicum

licum loqui de aliquo tantum amore benevolentiæ, non autem de illo, quo Deus super omnia propter se diligitur, ut satis ostendit exemplum, quo loco citato utitur. *Benevolentia autem*, inquit, *interdum oritur ex repentino, sicut accidit nobis de pugilibus qui pugnant: quorum alterum vellemus vincere.* Neque etiam paritas cum amore benevolentiæ erga Deum & homines institui potest. Quamvis enim hominem cum injuria Creatoris super omnia amaremus, mutuum tamen illius amorem, communicationem & amicitiam certo nobis polliceri non possemus; quia amorem nostrum potest ille ignorare, aut etiam cognitum respuere: ideoque in humanis amor benevolentiæ recte ab amore amicitiæ distinguitur, quia dari potest benevolentia etiam flagrantissima absque amicitia. At vero si de Deo sermo sit, certi sumus, Deum affectum nostrum benevolum, quo illum super omnia propter se diligimus, neutiquam ignorare, nihil ardentius expectare, nihilque moraturum quin amantes se redamet, dulcique filios suos adoptivos stringat amplexu. Quare amor benevolentiæ, quo Deum propter se super omnia prosequimur, ab amore amicitiæ neutiquam sejungi potest, quod per Deum nullus obex ponatur amicitiæ.

132. Quæres V. An, & quænam dilectio Dei requiratur in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem mortalium? Resp. requiri & sufficere illam, qua homo propter gehennam, quam timore appretiative maximo & ordinato timet, de peccatis suis dolens, Deum vere propter se divinasque suas perfectiones magni facit ac diligit, nondum tamen super omnia. Athæc dilectio merito a nobis amor initialis, & charitas inchoata vocatur: *Amor* seu *charitas;* quia Deus propter se diligitur: *initialis & inchoata;* quia nondum ita perfecta est, ut Deus super omnia propter se diligatur, omnibusque rebus creatis præferatur. Prob. assertio. In Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem mortalium non sufficit sola attritio ex metu gehennæ concepta; sed requiritur charitas inchoata, qua

Requiritur, tamen præter attritionem amor Dei initialis, quo homo Deum propter se diligere incipit, quamvis nondum super omnia.

qua peccator incipit Deum diligere tamquam omnis justitiæ fontem, adeoque per charitatem distinctam ab amore spei, ut ostendimus Num. 121. Ergo requiritur dilectio Dei perfecta aut saltem imperfecta. Atqui neque amor benevolus super omnia, utpote inseparabilis ab amore amicitiæ: neque charitas perfecta necessario exigitur, sive intensa illa sit sive remissa, utpote qua impius justificatur etiam extra Sacramentum. Ergo necessario requiritur amor initialis & charitas inchoata, qua homo vere Deum propter se diligit, quamvis nondum super omnia; quia hæc charitas inchoatur, & nondum est appretiative summa. Vide Edmundum Simonnet Tract. XV. de Pœnit. Disput. V. Artic. XI.

133. Dices I. Hæc dilectio, qua Deus propter se quidem diligitur, sed non super omnia, non est vera charitas, quia pro motivo non habet perfectionem aliquam divinam ut bonam Deo, sed ut bonam nobis, nempe beneficium creatum gratiæ justificantis. II. Dilectio hæc fundatur in amore proprio, estque amor interessatus. III. Est inutilis: hoc ipso enim, quod Deus propter se non diligatur super omnia, nec sit appretiative summa, non excludit efficaciter omnem voluntatem peccandi. IV. Est vitiosa; quia Deum non amat quantum amabilis est. V. Est mere naturalis; quia ex solis viribus naturæ haberi potest. VI. Tollit necessitatem maximi præcepti, nempe amoris Dei super omnia propter se. VII. Est noxia Confessariis, qui licite non possunt hac sententia uti, & pœnitentes qui Deum propter se super omnia non diligunt, absolvere; cum non liceat in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramentorum, relicta tutiore. VIII. Patronis attritionis ex metu gehennæ sententia hæc parum cognita & accepta est, qui absque scrupulo censent pœnitentes suos ad percipiendam absolutionem satis esse dispositos, modo metu gehennæ de peccatis suis vere doleant, firmumque propositum concipiant non amplius peccandi.

134. Resp.

134. Resp. ad I. Hæc dilectio est vera charitas, non perfecta quidem, sed initialis & inchoata; habetque pro motivo excitante tantum & extrinseco beneficium creatum gratiæ justificantis, misericordiam vero ac divinas perfectiones pro motivo intrinseco; ita ut homo propter illas bene velit Deo, & ex occasione veniæ ac gratiæ quam sperat, Deum propter se diligat. Ad II. N. A. Dilectio hæc oritur quidem occasione proprii commodi, hoc est, veniæ ac gratiæ quas amat peccator ut sibi bonas; sed habet pro motivo intrinseco perfectiones divinas. Ad III. Omnis voluntas peccandi efficaciter non excluditur quidem ab inchoata charitete, hoc ipso quod Deum super omnia non diligat: at sufficit quod illa excludatur per attritionem ex metu gehennæ conceptam, quæ cum inchoata charitate a pœnitente conjungitur. Ad IV. Ex eo capite minus perfecta est, quod libenter adversariis damus, at non idcirco vitiosa est aut inhonesta; non enim quolibet actu tenemur Deum adæquate amare quantum a nobis amari potest, modo absit exclusio aut comparatio Deo injuriosa. Ad V. N. A. Cum enim amor hic initialis proxime disponat ad justificationem, haud dubie solis naturæ viribus non elicitur, sed auxilio gratiæ supernaturalis. Hoc certe pluribus locis sensisse S. Augustinum manifeste constat. Lib. II. ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum, Cap. IX. scribit S. Doctor: *Nec initium ejus* (charitatis) *ex nobis, & perfectio ejus ex Deo; sed si charitas ex Deo, tota nobis ex Deo est.* Et Lib. de Gratia & libero arbitrio, Cap. XVII. *Et quis istam etsi parvam dare cœperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem?* Eadem doctrina est Synodi Arausicanæ II. Cap. ultimo. *Ipse* (Deus) *nobis nullis præcedentibus bonis meritis & fidem & amorem sui prius inspirat, ut & Baptismi Sacramenta fideliter requiramus, & post Baptismum cum ipsius adjutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus.* Ad VI. N. A. Quamvis enim peccatores non teneantur ex amore Dei super omnia propter se in Sacra-

mento Pœnitentiæ peccata sua detestari; tenentur tamen sæpius in vita, ac præcipue in mortis articulo, per se loquendo, neceſsitate præcepti divini actum perfectæ charitatis elicere, atque ad finem suum ultimum perfecte se convertere. Ad VII. Resp. Sententiam nostram tutiſsimam eſse; adversariorum vero opinionem, qui charitatem perfectam exigunt sive intensam sive remiſsam, modo sit appretiative summa, & ob Deum propter se dilectum, merito habendam eſse tamquam omnino improbabilem & falsam, ob solidiſsimas rationes a nobis superius aſsignatas. Neque adversariis patrocinatur Decretum Alexandri VII. quo agnoscitur utriusque sententiæ probabilitas, caveturque pœna excommunicationis, ne quis audeat aliqua Theologica censura utramvis sententiam perstringere; sermo enim ibi est de sola attritione ex metu gehennæ, & neceſsitate aliqualis, non autem perfectæ dilectionis. *Ut nemo audeat* (ita sonant verba Decreti Alexandrini A. 1667. promulgati) *alicujus cenſuræ ſcholaſticæ alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur, ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem; donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid in hac re definitum.* Ad VII. Resp. rationes a nobis allatas hac auctoritate minime elidi. Quamquam in praxi hujus Sacramenti vix ullum est nostram inter & illorum sententiam discrimen. Rarissime enim aut fere numquam contingere solet, ut quis peccata sua vere atque absolute detestetur ex metu gehennæ cum firmo numquam amplius peccandi proposito, quin benevolentiam aliquam concipiat erga Deum ob infinitas illius perfectiones, misericordiam, bonitatem &c. & occasione veniæ ac confeſsionis Deum magni faciat, atque scintillas aliquas divini amoris concipere incipiat, immensam illius bonitatem ac præstantiam considerando.

Argu-

Argumenta contraria refutantur.

Honestas attritionis male impugnatur ex Scripturis.

135. Objicitur I. contra I. Conclusionem, Scripturarum auctoritas. I. Joan. Cap. IV. *Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Ergo timor opponitur charitati, ideoque malus est. II. Apostolus I. ad Cor. Cap. XIII. ait: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, - - - nihil sum.* Ergo attritio ex metu gehennæ non est honesta & utilis. III. Ad Rom. Cap. VII. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Et II. ad Timoth. Cap. I. *Non dedit Deus nobis spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis:* Ergo attritio ex metu gehennæ non est donum Spiritus Sancti. Resp. ad I. N. C. Charitas non expellit timorem tamquam malum & contrarium, sed eo tantum modo, quo minus perfectum excludi solet a magis perfecto; sicut in cœlesti patria fides & spes excluduntur a visione beatifica. S. August. aliam dat responsionem Lib. de Virginitate, Cap. XXXVIII. *Perfecta charitas foras mittit timorem: sed timorem hominum, non Dei; temporalium malorum, non divini in fine judicii.* Ad II. N. C. Sola attritio sine charitate perfecta hominem non justificat extra Sacramentum. Ergo cum talis sit in statu peccati, Deo exosus & inimicus, nihil potest meritorium salutis de condigno operari. Ex quo minime sequitur, attritionem esse malam & inutilem; sed solummodo eam non sufficere ad justificationem obtinendam extra Sacramentum Pœnitentiæ. Ad III. C. A. D. C. Ergo attritio serviliter servilis non est donum Spiritus Sancti; C. Attritio simpliciter servilis, N. C. Apostolus loco cit. conditionem nostram in nova lege meliorem esse contendit quam Judæorum in veteri. Illi enim, ut plurimum, metu malorum temporalium legem servabant exterius tantum; ab amore autem & voluntate interna peccandi non abstinebant, nulla habita ratione criminis quod amabant: Nobis autem in nova Lege Apostolus ait

datum

datum esse filialem spiritum & indolem, ut invocemus Deum, non sicut servi herum suum cum timore & affectu servili; sed sicut filii amantissimum Patrem suum, filiali cum fiducia & affectu.

Ex S. Augustino.

136. Obj. II. Auctoritas S. Aug. S. Doctor Tract. X. in I. Epist. S. Joannis, Num. 6. timorem gehennæ comparat conjugi impudicæ, quæ propter timorem viri abstinet ab opere externo adulterii. Tract. XLIII. in Joan. Num. 7. scribit: *Timor ille ne patiaris pœnam, servilis est. Quid magnum est timere pœnam? Hoc & nequissimus servus, hoc & crudelissimus latro. Non est magnum timere pœnam, sed magnum est amare justitiam.* II. Idem Lib. I. contra duas Epistolas Pelagianorum, Cap. IX. ait: *In ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate, sed timore non peccat.* Et Epist. CXLV. alias CXLIV. ad Anastasium: *Inimicus justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit, si ejus amore non peccet; tunc enim vere timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere.* III. Sermone CLXIX. alias XV. de Verbis Apostoli, Cap. VI. *Qui timore pœnæ non concupiscit, puto quia concupiscit.* Lib. XIV. de Civit. Dei, Cap. X. *Neque enim nullum peccatum est, ea quæ Lex Dei prohibet concupiscere, atque ab his abstinere timore pœnæ, non amore justitiæ.* IV. Enarratione in Psal. XCIII. Num. I. *Docet Deus innocentiam, ut quisque innocens sit non timore pœnæ, sed amore justitiæ. Tunc enim liber est innocens, & verus est innocens. Qui autem timore innocens fit, non est innocens.* Epist. CLIII. alias LIV. ad Macedonium, Cap. VI. *Hæc cum timentur, & coercentur mali, & quietius inter malos vivunt boni: non quia boni pronuntiandi sunt qui talia metuendo non peccant; non enim bonus est quispiam timore pœnæ, sed amore justitiæ.* Ergo juxta S. Augustinum attritio ex timore gehennæ concepta, peccatori inutilis est & perniciosa. Resp. N. C. Timor ille, de quo S. Augustinus agit loco cit. non est simpliciter, sed serviliter servilis, conjunctus cum amore culpæ, quo peccator vellet

vellet non esse pœnam, ut posset impune admittere culpam. Hunc pœnarum timorem, qui comitem habet amorem criminis, fatemur & nos vitiosum esse. Sed præter hunc est alius etiam pœnarum timor, qui longe distat a quolibet amore criminis, quem ab omni vitio immunem esse S. Doctor asserit, ut ostendimus Num. 109. Ad II. Juxta S. Augustinum in ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate, sed timore coercente opus dumtaxat externum non peccat. Timor autem hujusmodi vitiosus est, utpote qui conjunctus cum prava voluntate peccandi avertit animum a solo pravo opere externo, ad evitandas pœnas adversus legum eversores constitutas: quod solemne erat apud veteres Judæos, de quibus ibi loquitur S. Doctor. Pari modo ab Augustino inimicus justitiæ dicitur qui pœnæ timore non peccat opere dumtaxat externo; quia is amorem culpæ retinet, nolletque adesse pœnam, qua sublata liceret illi impune teterrima quæque flagitia perpetrare. Ad III. Responsio eadem datur. Qui timore pœnæ conjuncto cum amore culpæ, quo vellet non esse pœnam ut securus amplecteretur culpam, opere dumtaxat externo non concupiscit, affectu interno revera hic concupiscit. S. Doctor explicat hoc loco cit. per plura exempla satis apta & idonea, quæ illius mentem perspicuam faciunt. *Latro*, inquit, *timet leges hominum, & ideo facit latrocinium, quia sperat se fallere leges hominum: tu autem leges ejus times, ejus pœnas times, quem fallere non potes. Nam si fallere posses, quid non fecisses?* Pariter abstinere timore pœnæ a rebus prohibitis, easdemque simul concupiscere pravo desiderio deliberato, peccatum utique est: at vero timore pœnæ tum ab illis abstinere, tum a pravo illarum desiderio deliberato, nullum omnino peccatum est. Ad IV. Resp. sensum esse, eum qui non divino sed humano pœnæ timore, conjuncto cum prava peccandi cupiditate, fit innocens apud homines eoquod abstineat a pravo opere externo, non esse innocentem apud Deum, quia non temperat a

prava

prava cupiditate interiore. Explicat id S. Aug. optimus sui interpres, loco cit. *Qui autem*, inquit, *timore innocens fit, non est innocens, quamvis non noceat cui vult nocere. Non enim nocet alteri per factum malum, sed sibi plurimum per cupiditatem malam.* Pari modo boni non pronuntiantur, qui humanas pœnas metuendo non peccant opere dumtaxat externo, quamvis peccent affectu interiore. Non enim bonus est quispiam humano timore pœnæ conjuncto cum amore culpæ; sed amore justitiæ conjuncto cum odio culpæ.

Ac ratione. 137. Obj. III. Ratio. Actus disponens ad justificationem, debet esse voluntarius. Sed attritio ex solo metu gehennæ concepta, non est voluntaria. P. min. Metus causat involuntarium. Ergo. II. Ut timor honestus sit ac laudabilis, culpa, utpote malum longe gravius, magis timeri debet quam pœna. Sed qui solo pœnarum metu a peccato abstinet, plus timet pœnam quam culpam. Ergo timor ille non est honestus ac laudabilis. III. Qui peccatum detestatur ex solo metu gehennæ, non est sollicitus quod peccatum sit malum Deo; adeoque æquivalenter dicit, Detestor peccatum, quia mihi malum est, illud non detestaturus, si tantum esset Deo malum. Ergo hic timor non est honestus. P. A. Cessante motivo detestandi, cessat detestatio. Ergo quando quis detestatur peccatum propter pœnam, illud non detestaretur, si pœna cessaret. Ergo virtualiter dicit, Non detestarer illud, nisi esset pœna. IV. Referre id quod excellentius est, ad id quod vilius atque minus nobile est, perversus est ordo, adeoque peccatum quod in ordinis perturbatione consistit. Sed qui peccatum fugit ex pœnæ timore, refert quod excellentius est, nempe fugam peccati, ad id quod minoris longe pretii est, nempe ad evitandam gehennam. Ergo. V. Attritio concepta ex metu pœnæ æternæ, fundatur in amore proprio. Ergo non est actus honestus; quia amor proprius semper est vitiosus, immo radix omnium vitiorum.

138. Resp.

138. Resp. ad I. C. M. N. min. Ad *prob.* D. A. Metus causat involuntarium simpliciter, N. Involuntarium secundum quid, T. A. N. C. Sicuti voluntarium simpliciter sufficit ad peccandum, ita etiam ad honeste & supernaturaliter operandum. Adde, quod metus in noſtro casu augere potius voluntarium dicendus sit quam minuere, quia impellit ad illud ipsum, id est, ad vitandam gehennam & peccatum, ad quod voluntas de facto inclinat. Cum enim metus gehennæ non tantum actionem externam, sed affectum etiam internum coerceat; voluntas efficaciter timentis gehennam nullum servat affectum ad peccatum, quia depositio omnis affectus ad peccatum neceſsaria est ad vitandam gehennam. Ergo voluntas attriti ad fugam gehennæ & peccati inclinat. Ergo metus gehennæ movet secundum præsentem inclinationem voluntatis, ideoque neque involuntarium secundum quid causat. Ad II. O. M. N. min. Quamvis pœnitens deteſtetur culpam propter pœnam, ex eo tamen minime sequitur, quod pœnam magis deteſtetur; licet enim pœna sit finis proximus, non tamen excludit finem ultimum, qui eſt Deus, ad cujus gloriam culpæ deteſtatio ac metus pœnæ eſt referibilis: & quamdiu non excluditur, ex se in illum tendit ac refertur. Peſsima certe omnium judicio foret hæc illatio: Servus diligit Dominum propter cibum quem ab eo expectat. Ergo magis diligit cibum quam Dominum. Fideles Deum diligunt propter retributionem. Ergo retributionem magis diligunt quam Deum. Ad III. N. A. Qui peccatum detestatur ex solo metu gehennæ, utrumque simul & culpam & pœnam deteſtatur: pœnam quidem immediate & ratione sui; culpam vero mediate & ratione pœnæ, eoquod hæc utpote sensus afficiens, phantasiam magis moveat, & appetitum sensitivum, quam illa quæ solum afficit rationem. Neque ex eo sequitur, quod homo non eſset detestaturus peccatum, si Deo tantum, & non etiam homini eſset malum. Talis enim detestatur peccatum quia causat gehennam, non excluden-

do voluntatem detestandi quia Deo malum est, sed quasi ab eo præscindendo. Immo qui detestetur peccatum propter gehennam, vi præcise hujus actus nec magis peccatum detestatur ac refugit quam gehennam, nec gehennam magis quam peccatum; sed ab affectu utrinque magis appretiativo præscindit, ac præcise unum detestatur ac refugit propter aliud, culpam propter gehennam. Ad *prob.* D. A. Ceſsante omni motivo detestandi, ceſsat omnis detestatio, C. A. Ceſsante aliquo tantum motivo, ceſsat omnis detestatio. N. A. & D. C. Ergo si ceſsaret pœna, non detestaretur peccatum vi hujus actus, quo detestatur peccatum ex motivo pœnæ, C. Consec. Vi alterius actus quem forte eſset habiturus, & motivi quod non excluditur per motivum pœnæ, N. C. Si legitima eſset adversariorum argumentatio, sequeretur, actum quo nunc amo Deum considerata sola illius misericordia, eſse inhonestum; nam ceſsante motivo misericordiæ ceſsaret meus amor, quo nunc Deum prosequor. Ergo virtualiter dico: non amarem Deum, si non eſset misericors. Ad IV. D. M. Si majus bonum postponatur bono minori, aut si destruatur vel amittatur bonum majus propter bonum minus, C. M. Si hoc non fiat, N. M. Qui culpam detestatur propter pœnam, neque culpam pœnæ postponit, neque culpam idcirco contrahit, neque refert fugam culpæ ad vitationem pœnæ tamquam ad finem ultimum, in quo conquiescat; sed dumtaxat ad finem proximum ulterius referibilem. Immo neque excludit motivum perfectius, ex quo culpa vitari poſsit; sed solum a motivo præstantiore præscindit, & illa attritio ex se ordinatur in Deum tamquam in finem ultimum. Nam omnes actus boni supernaturales ex se semper ordinantur in Deum tamquam finem ultimum, propter specialem illam connexionem, quam motivum quodlibet supernaturale habet cum Deo, quamvis ab agente expreſse non ordinentur ad Deum. Ad V. D. A. Attritio fundatur in amore proprio ordinato, qui exigit, ut homo amoliri a se conetur

netur summam miseriam, C. A. In amore proprio inordinato, qui est contra legem Dei, & radix omnium vitiorum, N. A.

In attritione includi voluntatem peccandi neque Patres asserunt.

139. Obj. IV. contra II. Conclusionem Auctoritas Patrum. S. August. Lib. de natura & gratia, Cap. LVII. scribit: *Sub lege est, qui timore supplicii quod lex minatur non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber nec alienus a voluntate peccandi.* Et Enarratione in Psal. LXXVII. Num. X. *Ex sorde nullo modo fieri potest, quod formidine fit pœnæ, non dilectione justitiæ. Nam quantum attinet ad facta quæ forinsecus aguntur, & qui timent pœnam & qui amant justitiam non furantur; & ideo pares sunt manu, dispares corde; pares opere, dispares voluntate.* II. S. Gregorius M. Lib. I. Moralium, Cap. XXIII. *Ecclesia simplicitatis suæ & rectitudinis vias timore inchoat, sed charite consummat; cui tunc est funditus a charitate recedere, cum ex amore Dei cœperit jam nolle peccare: cum vero adhuc timore bona agit, a malo penitus non recessit; quia eo ipso peccat, quod peccare vellet, si peccare inulte potuisset.* III. S. Bernardus Epist. XI. *Nec timor quippe, nec amor privatus convertit animam: mutant interdum voluntatem vel actum, affectum numquam.* IV. S. Thomas I. IIdæ Quæst. CVII. Artic. I. ad II. *Lex vetus dicitur cohibere manum, non animum; quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abstinet, non simpliciter ejus voluntas a peccato recedit, sicut recedit voluntas ejus, qui amore justitiæ abstinet a peccato.* Et IIda IIdæ Quæst. XIX. Artic. IX. *Timor servilis non est numerandus inter septem dona Spiritus Sancti; quia ut Augustinus dicit in Lib. de natura & gratia, potest habere annexam voluntatem peccandi.* Resp. ad I. S. Augustinum Lib. de natura & gratia, Cap. LVII. agere de timore Judaico in veteri Lege satis frequente, quem utpote vitiosum S. Doctor reprobat, non autem de timore Christiano in nova Lege, quem sæpius ut honestum commendat. Judæi a violandis legibus abstinebant, non autem plurimum ab amore & voluntate

tate interna peccandi: continebant se a prohibito opere externo metu pœnæ quam oderant, nulla habita ratione criminis quod amabant. At non est hujusmodi Christianus æterni supplicii timor, qui revocat Christianum hominem tum a pravo opere externo, tum ab inhonesto amore ac desiderio interno; cum vera Religio doceat contra utrumque constitutum esse supplicium æternum. Enarratione in Psal. LXXVII. S. Doctor negat, ex corde ullo modo fieri posse, quod fit formidine pœnæ; siquidem hæc conjuncta sit cum amore & voluntate culpæ, ut manifeste patet ex verbis citatis. At vero formidinem pœnæ semper conjunctam esse cum voluntate culpæ, nusquam id Augustinus docuit, immo contrarium vice non una asseruit. Ad II. Resp. S. Gregorium M. loqui de exclusione peccati perfecta & cosummata, & de timore serviliter servili. Ad III. Eadem datur responsio, sermonem nempe ibi esse de timore serviliter servili, qui affectum peccati numquam excludit. Ad IV. Resp. S. Thomam priori loco loqui de timore serviliter servili; posteriore autem textu de timore solum remisso, debili, inefficaci, qui conjunctam habet simplicem quamdam atque inefficacem displicentiam peccati: atque hunc inter septem dona Spiritus Sancti numerandum non esse censet S. Thomas. Cæterum Card. Bellarminus Lib. II. de Sacram. Pœnit. Cap. XVII. ex SS. Augustino & Gregorio M. ostendit, timorem hunc inter dona Spiritus Sancti numerandum esse, si sola ejus substantia, non autem modus spectetur. Substantia illius est horror & fuga mali pœnæ, quatenus a Deo supremo Judice infligendæ: atque hic horror omnino bonus est, quia sæpe cum charitate conjungitur, malorum operum consuetudinem pellit, cupiditatem a peccato saltem exteriori coercet, & liberum charitati aditum facit. Modus hujus timoris, sive servilitas, est inefficax peccati displicentia, & affectus ipse peccati intus in voluntate conclusus, quo fit, ut nisi pœna timeretur, peccatum non fugeretur. Atque hæc servilitas

vilitas nullo modo est donum Spiritus Sancti, sed vitium timentis.

140. Obj. V. Ratio. Detestatio peccati concepta ex solo metu gehennæ, involvit necessario affectum peccati latentem & conditionatum. Ergo non potest excludere omnem voluntatem peccandi. P. A. Homo ille non detestaretur peccatum, si nullum esset gehennæ periculum. Ergo saltem virtualiter vellet peccare, si non esset gehenna. P. C. Qui in periculo naufragii projicit merces in mare, est ita dispositus ut nollet projicere, nisi urgeret naufragii periculum. Ergo a pari, qui ex metu gehennæ vult deserere ac vitare peccatum, est ita dispositus ut nollet peccatum vitare, nisi esset gehenna. Resp. N. A. Qui atteritur ex metu gehennæ appretiative maximo, habet propositum absolutum & efficax numquam peccandi, adeoque incompossibile cum peccato actuali. Atqui peccatum est non tantum absoluta, sed etiam conditionata voluntas, seu deliberata illa velleitas peccandi. Ergo. Ad *prob.* D. A. Homo ille non detestaretur peccatum in tali casu ex motivo gehennæ, C. A. Non posset detestari, & fortasse etiam non detestaretur culpam ex alio motivo, N. A. & Consec. Etiamsi non daretur gehenna, posset homini illi occurrere aliud motivum, a quo adspirante Dei gratia, efficaciter moveretur ad detestanda peccata. Ad hujus *probat.* C. A. N. C. Ad evitandum naufragium, aut pœnam temporalem ab hominibus infligendam, non est necessaria depositio omnis affectus etiam conditionati ad merces vel ad culpam: at vero ad evitandum periculum gehennæ necessaria est depositio omnis affectus deliberati, tam absoluti quam conditionati ad peccatum; volitio enim illa non vitandi peccatum, si abesset periculum gehennæ, foret novum peccatum, & impediret ne evitetur periculum gehennæ. Ergo attritio efficax & appretiative summa excludit omnem affectum peccati etiam conditionatum; quia effectum suum consequi nequit, nisi illo absente.

Neque ratio Theologica evincit.

141. Di-

141. Dices I. Attritio ex metu pœnæ concepta, non removet ab attrito complacentiam circa peccatum. Ergo non excludit omnem peccati affectum. Resp. D. A. Attritio non removet omnem complacentiam efficacem & deliberatam, N. A. Complacentiam simplicem ac indeliberatam, C. A. N. C. Complacentia illa simplex & indeliberata, seu difficultas in superanda delectatione peccati nihil officit honestati attritionis; immo eam potius commendat, majorisque meriti occasio est, ut patet in contritione perfecta, quæ etiam conjungi potest cum simili complacentia simplici & indeliberata circa peccatum.

142. Dices II. Qui filium amat propter patrem, ille ita animo comparatus est, ut mallet perdere filium quam patrem. Ergo qui efficaciter atteritur de peccatis propter pœnam, ita comparatus est, ut mallet peccare quam pœnam subire. Ergo attritio non excludit omnem peccati affectum. Resp. D. A. Si nullum aliud sit amandi motivum quam præcise pater, C. A. Si aliud adsit motivum aliunde magis amandi filium, N. A. & Consec. Pro odio peccati semper adest aliud motivum quam præcise pœna; ideo enim pœna absterret a peccato, quia peccatum cognoscitur habere malitiam distinctam, qua causat pœnam. II. Qui efficaciter vult vitare gehennam, debet omnem voluntatem peccandi deponere, nullumque ad peccata affectum retinere. Ergo vere & efficaciter attritus ex timore gehennæ non potest esse ita comparatus, ut mallet peccare quam pœnam subire; alias hoc ipso non esset attritus ex voluntate efficaci vitandi periculum gehennæ, quod propter hunc ipsum affectum ad peccatum incurreret. III. Ut attritio omnem voluntatem peccandi excludere dicatur, sufficit quod illam excludat pro quocunque casu possibili juxta rei veritatem, atque ordinem rerum a Deo statutum; & circa casus alios mere præcisive se habeat attritus, nihil circa illos apud se statuendo. Atqui secundum rei veritatem & ordi-

nem

nem rerum a Deo statutum numquam contingere potest, ut gehenna vitari nequeat nisi peccando.

143. Dices III. Attritus ex metu gehennæ paratus est ad peccandum saltem pro eo casu, quo ex conscientia erronea judicaret, vel peccandum sibi esse, vel subeundam gehennam. Ergo in hoc casu attritio efficax non excluderet affectum peccati. Resp. I. Ergo attritio efficax excludit affectum peccati, quando attritus conscientiam non habet erroneam, quæ aut probabilius numquam, aut certe vix umquam locum habuit. Resp. II. N. A. Talis vi attritionis efficacis ex metu gehennæ neque peccatum neque gehennam eligeret: non gehennam; quippe quam viribus omnibus nititur vitare: non peccatum; quia illud æque appretiative detestatur propter gehennam quam inducit. Ergo per alium actum sese ad alterutrum aſsumendum determinaret.

144. Dices IV. Qui grave peccatum committere mallet quam gehennam subire, graviter hoc ipso peccaret: neque amplius per attritionem ex metu gehennæ peccatum hoc retractare poſset. Ergo attritio etiam appretiative maxima non semper excludit affectum peccati. P. A. Si poſset peccatum illud retractari, tunc neceſse foret ut attritus diceret: mallem subire gehennam, quam peccatum grave committere. Atqui id attritus dicere nequit, ut per se patet; quia non alia de causa peccatum detestatur, quam quod gehennam inducat. Resp. N. alteram partem antecedentis. Ad *prob.* N. A. Nam I^mo. Neceſse non est, ut actum illum retractet expreſse & formaliter; sed sufficit si retractet virtualiter & implicite, detestando absolute & efficaciter ob timorem gehennæ appretiative maximum omnia mortalia a se admiſsa, & proponendo seriam emendationem. II. Etiamsi vellet actum illum formaliter & expreſse retractare, non foret neceſse ut diceret: mallem subire gehennnam quam graviter peccare; sed satis esset, si diceret: pœnitet me quod habuerim voluntatem potius graviter peccandi, quam gehennam subeundi;

eundi, vellemque non habuisse talem voluntatem, quæ ad vitandam gehennam mihi nihil prodesse potuit, sed magis obfuit; cum propter illam gehennæ reatum incurrerim.

145. Dices V. Potest aliquis efficaciter velle gehennam effugere, quin efficaciter velit vitare omnia peccata mortalia. Ergo attritio ex metu pœnæ æternæ concepta non excludit positive omnem voluntatem peccandi. P. A. Potest aliquis efficaciter velle de peccato quod nunc committit, postea pœnitentiam agere. Ergo. Resp. D. A. Potest aliquis efficaciter velle &c. volitione qualicunque & restricta, quin efficaciter velit vitare omnia mortalia, O. A. Volitione absoluta, efficaci, ac de præsenti, N. A. & Consec. Ad *prob.* D. A. Ita tamen ut talis de præsenti non velit vitare omne periculum gehennæ absolute & efficaciter, C. A. Ut velit illud de præsenti vitare, N. A. & Consec. Qui peccatum actu committit, potest quidem postea velle pœnitentiam agere, & gehennam vitare; at non potest prudenter velle eodem tempore quo peccat vitare periculum gehennæ, quam certe incurreret, si tunc repente moreretur.

146. Dices VI. Affectus peccati vere ac proprie non extinguitur nisi odio peccati vere ac proprie tali. Atqui attritio ex metu gehennæ concepta, non est odium peccati vere ac proprie tale. Ergo vere ac proprie non extinguit affectum peccati. P. min. Illud proprie non habetur odio, quod non propter se sed propter aliud odio habetur. Atqui peccatum non habetur odio propter suam malitiam, sed propter pœnam. Ergo peccatum proprie non habetur odio. Resp. C. M. N. min. Ad *prob.* N. M. Hæc si vera forent, sequeretur proximum vere ac proprie non amari, quando amatur propter Deum: neque vere ac proprie odio haberi, quando illum aversamur propter injuriam aut damnum ab ipso illatum. Igitur ut peccatum vere ac proprie odio haberi dicatur, sufficit, quod illud detestemur sive propter

propriam

propriam peccati malitiam, præscindendo ab ejus damno, sive propter pœnam quæ causatur a malitia peccati. Quamvis enim displicentia peccati propter pœnam non opponatur directe peccato secundum se; opponitur tamen ei directe, in quantum peccatum secundum se pœnam inducit, quæ efficaciter displicet.

147. Dices VII. Voluntas peccandi positive numquam excluditur, nisi excludatur voluntaria aversio a Deo. Atqui voluntaria aversio a Deo non excluditur per solum metum gehennæ. Ergo neque excluditur voluntas peccandi. P. min. Voluntaria aversio a Deo non excluditur nisi per seriam conversionem ad Deum. Atqui seria & voluntaria conversio ad Deum non potest haberi per solum metum pœnæ æternæ. Ergo. Resp. C. M. N. min. Ad *prob.* D. M. Voluntaria aversio a Deo non excluditur nisi per seriam conversionem formalem & perfectam ad Deum, N. M. Per conversionem ad Deum saltem imperfectam & virtualem, C. M. Et sic dist. minore, N. C. Hoc ipso, quod homo ex metu pœnæ æternæ voluntarie se avertat a peccato, convertitur saltem virtualiter, imperfecte, & in actu exercito ad Deum, eo proportionaliter modo, quo prius per peccatum averterat se a Deo: neque enim homo per quodvis peccatum grave formaliter se avertit a Deo, ipsum positive odio habendo, aut contemnendo formaliter & expresse.

CONTROVERSIA V.

AN CONFESSIO SACRAMENTALIS DISTINCTA OMNIUM MORTALIUM SACERDOTIBUS FACIENDA SIT, ET QUIDEM EX PRÆCEPTO CHRISTI?

CONTRA WICKLEFFUM ET PROTESTANTES.

148. *Confessio*, de qua modo quæstio instituitur, est Sacramentalis accusatio peccatorum suorum, quæ post Baptismum commissa sunt, facta Sacerdoti a pœ- *Confessio Sacramentalis quid sit?*

a pœnitente, ad eorum veniam virtute clavium Ecclesiæ obtinendam. Dicitur I. *Accusatio;* non historica quædam narratio, excusatio, aut ostentatio; sed accusatoria enumeratio peccatorum, eo animo facta, ut ea etiam in nobis vindicare cupiamus. II. *Peccatorum quæ post Baptismum commissa sunt;* peccata enim quæ Baptismum præcesserunt, vi & efficacia Baptismi perfecte condonantur, absque clavium ministerio. III. *Sacerdoti facta;* quia soli Sacerdotes legitimi sunt Sacramenti Pœnitentiæ ministri, solique potestatem habent remittendi peccata, ut Tomo VI. Artic. I. Controversia V. Conclus. IV. ostendimus. IV. *Ad obtinendam peccatorum veniam;* quibus verbis vis atque efficacia Confessionis exprimitur, ac per hoc distinguitur a confessione quæ fit in judicio civili ac forensi, ubi non culpæ venia, sed pœna confitentibus est constituta. V. *Virtute clavium*; quia Sacerdos potestate sibi a Christo tradita vere absolvit, & judiciariam exercet potestatem.

Quid Exomologesis?

149. *Exomologesis* Greca vox, quæ idem significat ac declaratio & manifestatio, non a Græcis modo, verum etiam a Latinis Scriptoribus Ecclesiasticis frequenter est usurpata. Quandoque significat ea vox totam laboriosæ & publicæ pœnitentiæ actionem, præsertim vero tertium ipsius gradum qui dicebatur *substratio;* quique totus in fletu, mœrore, jejuniis, aliisque carnis macerationibus transigebatur, ut patet ex Tertull. Lib. de Pœnitentia, Cap. IX. *Exomologesis prosternendi & humilificandi disciplina est.* Et Lib. de Orat. Cap. VII. *Exomologesis est petitio veniæ; quia qui veniam petit, delictum confitetur:* quandoque autem veram & Sacramenti propriam peccatorum expositionem significat, ut liquet ex S. Cypr. Epist. XIII. ad Presbyteros & Diaconos Carthaginenses, in qua de lapsis, qui a Martyribus libellos obtinuerunt, hæc scribit S. Doctor: *Si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra apud Presbyterum quemcunque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit,*

cœperit, apud Diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint; ut manu eis in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt. Ubi vides Exomologesis nomine non Canonicam pœnitentiam, a qua infirmitas lapsos illos dispensabat, sed confessionem peccatorum aperte denotari. Cæterum quando vox *Exomologesis* a Patribus usurpatur, quem sensum habeat, priorem illum an hunc posteriorem, ex ipso narrationis contextu dijudicandum est.

Quotuplex sit confessio?

150. Confessio peccatorum duplex esse potest, alia nimirum publica, alia secreta. *Publica* foret, si pœnitens peccata sua præsente hominum multitudine enunciaret: ac talem apud veteres fideles publicorum criminum reos in usu olim fuisse multi ex Eruditis contendunt, dissentientibus aliis. *Secreta*, atque *auricularis* est, qua pœnitens remotis arbitris, soli Sacerdoti intimas animi sui latebras pandit, omnia errata sua, saltem gravia, manifestando, eo scilicet modo, quo non antiquis tantum sed nostris etiam temporibus Fideles peccata sua confiteri solent. Catholici plerique, quamvis Confessionem Sacramentalem lapsis post Baptismum in grave aliquod peccatum necessariam esse jure divino unanimi consensu omnes fateantur; putant tamen ad substantialem Sacramenti veritatem perinde esse, sive publica sit confessio sive secreta: id est, jure divino præcipi quidem confessionem, at non illius modum. Atque ita sentire videtur Trident. quod Sess. XIV. Cap. V. ait: *Cæterum quoad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit; non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda.* Ex quo colliges, infirmam esse Protestantium exceptionem, qui ad eludenda veterum Scriptorum pro necessitate Confessionis

nis testimonia, respondent, illos de publica tantum loqui Confeſsione, quæ pars erat pœnitentiæ publicæ in usu tunc temporis receptæ; minime autem de secreta & auriculari, qualis nunc apud Catholicos obtinet. Quamvis enim id adversariis liberaliter daretur, quia tamen modus Confeſsionis non pertinet ad ejus substantiam, sufficitque sive secreta sive publica sit; saltem inde evincitur, Veteres illos agnoviſse, jure divino neceſsariam eſse Sacramentalem Confeſsionem spectatam quoad substantiam, ab obtinendam virtute clavium remiſsionem peccatorum.

Errores Sectariorum.

151. Non defuere ex Sectariis, qui Sacramentalem Confeſsionem ejusque neceſsitatem evertere conati sunt. Hos inter recensentur a quibusdam Waldenses; at immerito, si de veteribus illis sermo sit, qui ante sæculum XVI. vixerunt. Errarunt illi quidem in multis contra Pœnitentiæ Sacramentum, eoquod sopitam jam Donatistarum hæresin excitantes contenderent, potestatem peccata solvendi nec penes Summum Pontificem, nec in Episcopis, nec in Romanæ Ecclesiæ Sacerdotibus eſse, quod illi mores suos ad exemplum Apostolorum non conformarent; Confeſsionis tamen neque neceſsitatem negabant, neque illius usum penitus sustulerant, ut ex Reynero aliisque antiquis historicis certo constat: in eaque sententia Waldenses perstiterunt, donec sæculo XVI. A. 1536. opera Farelli, ministri Genevensis, Calvinianos errores amplexi veterem impietatem nova perfidia cumularunt. Meliori jure hostibus Confeſsionis Sacramentalis accensendus est Joannes Wickleffus, qui, ut refert Thomas Waldensis, aſserere ausus fuit, Sacramenti Pœnitentiæ & absolutionis fundamentum in Scriptura Sacra nullum eſse: Confeſsionem auricularem novitium eſse inventum, ab Innocentio III. institutum, ac merito medium nuncupari ab Antichristo vel membro ejus excogitatum ad omnia arcana noscenda, & poſseſsiones sæcularium exquirendas. Constantiense Seſs. VII. hunc Wickleffi Articulum ordine VII. proscripsit: *Si homo fuerit*

fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis. Sæculo XV. Petrus de Osma Doctor Salmanticensis librum edidit, in quo asserebat, Confessionem peccatorum in specie Ecclesiæ universalis statuto, non divino jure esse sancitam; & peccata mortalia quoad culpam & pœnam alterius sæculi, absque confessione, sola cordis contritione, pravas autem cogitationes sola displicentia deleri. Errorem hunc Alphonsus Carillius Toletanus Archiepiscopus Compluti post accuratum examen damnavit: cujus sententiam ratam habuit Romæ Sixtus IV. edita Constitutione A. 1478.

152. Sæculo XVI. Erasmus Roterodamus in Annotationibus ad Epistolam S. Hieronymi ad Oceanum de obitu Fabiolæ, & aliis in locis docuit, secretam peccatorum Confessionem nec a Christo institutam esse, nec in veteri Ecclesia fuisse usitatam, in qua publicam tantum ob publica crimina peractam fuisse contendit. Erasmo consensit Beatus Rhenanus in Annotationibus ad librum Tertulliani de Pœnitentia. Lutherus Lib. de Captivit. Babylon. Cap. de Pœnitentia scripsit: *Occulta confessio quo modo celebratur, miro modo mihi placet, & utilis, immo necessaria est; nec vellem eam non esse, cum sit afflictis conscientiæ remedium.* Eodem tamen loco tres errores addidit. I. Confessionem non posse probari ex Scripturis. II. Non esse necessarium omnia peccata gravia confiteri, etiamsi eorum recordetur pœnitens. Siquis enim correptus a fratre, quem forte læsit, agnoscat coram illo peccatum suum, & veniam petat, docet Lutherus eum non teneri peccatum illud Sacerdotibus aperire. III. Damnat eos qui docent, circumstantias peccatorum, etiam illas quæ speciem mutant, in confessione esse detegendas; ait enim: *Ego quidquid est circumstantiarum consuluerim penitus contemnere.* Hinc duo Lutheri Articuli a Leone X. damnati sunt in Bulla *Exurge Domine*, nempe VIII. *Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est ut omnia mortalia cognoscas.*

gnoscas. Unde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur. Et IX. *Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.* Paulo post ulterius progressus est Lutherus. Sermone de Pœnitentia Confessionem cruentissimam appellat carnificinam. Sermone de Confessione & Eucharistia negat confessionem quæ fit coram Sacerdote, esse præceptam a Deo, sed tantum a Papa. In Lib. de Visitatione Saxonica repetit, eam non esse præceptam, licet sit utilis. Denique in Articulis Schmalcaldicis A. 1537. Artic. de Confess. dicit, enumerationem peccatorum debere esse liberam, ut quisque enumeret illa quæ voluerit. Neque alia fuit Calvini sententia. Lib. III. Institut. commendat ille Confessionis utilitatem, neque dissimulat antiquum esse Confessionis auricularis usum; verum nec necessariam esse, sed liberam: nec a Christo, sed ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi IV. institutam fuisse contendit. Unde *tormentum Innocentianum* a Calvinistis vulgo appellatur.

Antiquissimus usus Confessionis Sacramentalis omnium peccatorum gravium ostenditur ex Tertulliano.

153. Conclusio I. Antiquissimus & perpetuus fuit Sacramentalis Confessionis omnium peccatorum gravium, tam publicorum quam occultorum, usus in Ecclesia Christi, qualis nunc apud Catholicos usurpatur. Prob. Conclusio Imo. Auctoritate Patrum qui de Sacramentali Confessione omnium peccatorum gravium, tamquam de re frequenter a Christianis usurpari solita loquuntur, atque ad illam peragendam Fideles sæpe exstimulant. Sæculo II. Tertull. Lib. de Pœnitentia, Cap. IV. scribit: *Omnibus ergo delictis, seu carne, seu spiritu, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem & veniam per pœnitentiam spopondit.* Cap. IX. *Is actus qui magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi & humilificandi hominis*

disciplina

disciplina est - - - - mandat sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere - - jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum, Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari. Et Cap. X. *Plerosque hoc opus, ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores quam salutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt.* Ubi vides Tertullianum loqui non tantum de peccatis publicis, & de confessione soli Deo facta, sed quam maxime de peccatis occultis, & de confessione Deo facta in ministris; alias pœnitentes nullam habuissent erubescendi causam, cum delicta illa utique non fuerint Deo ignota.

154. Sæculo III. S. Cypr. Carthaginensis Episcopus Tract. de Lapsis scribit: *Confiteantur singuli, quæso vos fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.* Et paulo ante laudat illos, qui mali cogitationem, occultam utique, Sacerdotibus manifestant, ac pœnitentia eluunt. *Denique*, ait, *quanto & fide majores & timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes, exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse, Deus non deridetur.* *S. Cypriano.*

155. Origenes Hom. II. in Leviticum: *Est adhuc & septima, licet dura & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, & fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte; & cum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam.* Idem Hom. III. in Leviticum peccata omnia, etiam occulta & sola cogitatione admissa asserit confessione eluenda esse. *Audi* *Origene.*

quid

quid legis ordo præcipiat: Si peccaverit unum aliquid de iſtis, pronuntiet peccatum quod peccavit. Eſt aliquod in hoc mirabile ſecretum, quod jubet pronunciare peccatum. Etenim omni genere pronuntianda ſunt, & in publicum proferenda cuncta quæ egerimus; ſi quod in occulto gerimus, ſi quod in ſermone ſolo, vel etiam intra cogitationum ſecreta commiſimus, cuncta neceſſe eſt publicari, cuncta proferri. Proferri autem ab illo, qui & accuſator peccati eſt, & incentor. Hom. II. in Psalm. XXXVII. *Vide ergo quid edocet nos Scriptura divina, quia oportet peccatum non celare intrinſecus. Fortaſſis enim ſicut ii qui habent intus incluſam eſcam indigeſtam, aut humoris vel phlegmatis ſtomacho graviter & moleſte imminentia, ſi vomuerint, relevantur: etiam hi qui peccaverint, ſiquidem occultant & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus urgentur, & propemodum ſuffocantur a phlegmate vel humore peccati. Si autem ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſemetipſum & confitetur, ſimul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit cauſam. Tantummodo circumſpice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius medicum, cui debeas cauſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi noverit diſciplinam: ut ita demum ſi quid ille dixerit, qui ſe prius & eruditum medicum oſtenderit & miſericordem, ſiquid conſilii dederit, facias & ſequaris. Si intellexerit & præviderit talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari, multa hoc deliberatione, & ſatis perito Medici illius conſilio procurandum eſt.*

SS. Baſilio Gregorio Nyſſeno, Ambroſio, Paciano.

156. Sæculo IV. S. Basilius in Regulis brevioribus in Responsione ad Quæst. CCXXIX. *Omnino in peccatorum confeſſione eadem ratio eſt, quæ etiam in apertione vitiorum corporis. Ut igitur vitia corporis nequaquam quibusvis homines temere aperiunt, ſed iis tantummodo qui rationem qua ea curanda ſint teneat; eodem modo etiam peccatorum confeſſio fieri debet apud eos videlicet, qui ea poſſunt curare.* Et in Responsione ad Quæst. CCLXXXVIII.

CCLXXXVIII. *Necessario iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio Mysteriorum Dei.* S. Greg. Nyss. Orat. in eos qui alios acerbe judicant: *Quam ob rem major tibi in eum fiducia sit, qui te in Deo genuit, quam in illis a quibus corpore procreatus es. Audacter ostende illi quæ sunt recondita. Animi arcana tamquam occulta vulnera medico detege. Ipse & honoris & valetudinis tuæ rationem habebit.* Et Epist. ad Letoium Melitinensem: *Qui autem latenti ablatione sibi alienum usurpat, si deinde per declarationem peccatum suum Sacerdoti aperuerit, vitii studio in contrarium mutato, ægritudinem curabit.* S. Ambr. Lib. II. de Pœnit. Cap. IX. *Nonnulli ideo poscunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quam Sacerdotem ligare. Suam enim conscientiam non exuunt, & Sacerdotis induunt, cui præceptum est, nolite Sanctum dare canibus.* Et Cap. X. *An quisquam ferat, ut erubescas Deum rogare, qui non erubescis rogare hominem? Et pudeat te Deo supplicare quem non lates, cum te non pudeat peccata tua homini quem lateas confiteri?* S. Pacianus Barcinonensis Episcopus in Paræsi ad Pœnitentiam: *Vos ergo primum appello, fratres, qui criminibus admissis pœnitentiam recusatis: vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui peccare non erubescitis, & erubescitis confiteri: qui cum mala conscientia Dei sancta contingitis, & altare Domini non timetis.* At quare erubescebant illi peccata confiteri? nimirum quia occulta erant.

157. Sæculo V. S. Joannes Chrysost. Hom. XXX. in Genesin Antiochiæ habita ad finem Quadragesimæ, *Quemadmodum*, inquit, *naucleri, & cursores, & athletæ, ubi ad finem veniunt, magis enituntur & vigilant, eodem modo & nos facere oportet: quia in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maxime & jejunii cursus intendendus, & magis continuandæ sunt preces, faciendaque diligens & pura peccatorum Confessio.* Ubi vides Chrysostomum loqui de Confessione, quam fideles cæteri Paschali Communioni præ- *S. Chrysostomo.*

mittebant, non quæ a publice pœnitentibus peragenda erat; hi quippe jam initio Quadragesimæ confessi erant, quando fuit illis imposita publica pœnitentia. Idem Orat. de muliere Samaritana scribit: *Qui homini detegere peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubescit, neque confiteri vult, & pœnitentiam agere, in die illa non coram uno vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur.* Et Hom. IX. in Cap. VI. ad Hebr. distinctam singulorum peccatorum confessionem exigit; ait enim: *Sin autem dicit, Sum peccator; ea autem per species non cogitat, & non dicit, Hoc & illud peccatum admisi, numquam cessabit, semper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis.*

SS. Innocentio, Hieronymo, Leone M.

158. Eadem fuit Latinorum sæculi V. sententia. S. Innocentius I. Epist. ad Decentium, Cap. VII. ait: *Cæterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad Confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis: ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.* At nisi omnia peccata pandantur, quale judicium Sacerdos ferre poterit de pondere delictorum? S. Hieron. Comment. in Cap. X. Ecclesiastis: *Si quem serpens diabolus occulte momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit; si tacuerit qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & Magistro voluerit confiteri, Magister qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus Medico confiteri, quod ignorat medicina non curat.* Et Comment. in Cap. XVI. Matth. *Episcopus & Presbyter - - - pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus.* S. Leo M. Epist. CXXXVI. alias LXXX. ad Episcopos Campaniæ: *Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri: ne videlicet de singulorum peccatorum genere, libello scripta professio publicetur: cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari Confessione secreta.*

159.

159. Aperte his suffragatur S. Aug. qui Serm. CCCXCII. alias Hom. XLIX. inter L. Cap. III. conjugatos adulteros sic alloquitur: *Qui post uxores vestras vos illicito concubitu maculastis, si præter uxores vestras cum aliqua concubuistis; agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat: Occulte ago, apud Deum ago: novit Deus qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est: Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo? Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Evangelium, frustramus verba Christi? Promittimus vobis quod ille negat? Nonne vos decipimus?* Ergo juxta S. Augustinum, ut verba Christi falsa & inania non sint, requiritur ut occulti etiam adulteri non tantum pœnitentiam agant apud Deum, sed etiam apud Ecclesiæ præpositos, ut a peccatis solvantur. Ergo idem dicendum de aliis peccatis gravibus, quæ non minus ac adulteria Ecclesiæ clavibus sunt subjicienda. Idem Enarratione in Psalm. LXVI. Num. VII. scribit: *Conscientia tua saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat: adhibet medicus fomenta verborum, & aliquando secat, adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis. Tu agnosce medici manum; confitere, exeat in Confessione, & defluat omnis sanies.* Et Serm. CCCLI. alias Hom. L. inter L. Cap. IV. *Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum - - - veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur: & tamquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum: ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus & supplex, id tamen agat quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus, non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem.* S. Augustino.

S. Gregorio M.

160. Sæculo VI. S. Gregor. M. Hom. XXVI. in Evangelia scribit: *Cauſæ ergo penſandæ ſunt, & tunc ligandi atque ſolvendi poteſtas exercenda. Videndum eſt quæ culpa, aut quæ ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam: ut quos Omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſtoris ſententia abſolvat.* Tum peccatorem Lazaro comparans, subjungit: *Lazaro ergo dicitur, Veni foras: ac ſi aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? Foras jam per Confeſſionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id eſt, culpam confiteatur peccator. Venientem foras ſolvant diſcipuli, ut Paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeant amovere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.* Nihil expreſsius ac luculentius hoc Magni Gregorii testimonio excogitari potest. Exigit enim a quocunque peccatore, sive occulto sive publico, *Ac ſi aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur*, Confeſsionem secretam illam & auricularem, (publicam enim, quam aliqui in Campania inducere nitebantur, S. Leo Magnus CL. annis ante S. Gregorium M. reprobaverat,) Sacerdotibus faciendam, qui discuſsa causa solvendi & ligandi potestatem exercerent. Atque hæc Patrum a II. ad VII. usque sæculum testimonia invicte ostendunt, antiquiſsimum eſse usum & doctrinam Confeſsionis auricularis in Ecclesia Dei, eosque Protestantes aut in veterum Patrum libris peregrinos eſse, aut splendide mentiri, qui institutionem illius Innocentio III. in Concilio Lateranensi IV. A. 1215. tribuunt; ibi enim Can. XXI. *Omnis utriusque ſexus fidelis &c.* ipsa Sacramentalis Confeſsio instituta non fuit, sed tempus determinatum est, ut saltem semel in anno fiat. Vide Robertum Card. Bellarminum Lib. III. de Sacramento Pœnitentiæ. Natalis Alexandri Diſsert. XIV. in Hist. Eccles. Sæculi XIII. & XIV. Tournely in Prælect. Theolog. de Sacram. Pœnitentiæ, Quæst. VI. Artic. II. Renatum Le Drouven de Re Sacramentaria, Lib. VI. Quæst. V. Cap. I.

161.

161. Prob. II. Auctoritate Conciliorum. Laodicenum A. 372. Can. II. ait: *De his qui diversis facinoribus peccaverunt, & perseverantes in oratione Confessionis & pœnitentiæ, conversionem a malis habuere perfectam, pro qualitate delicti, talibus post pœnitentiæ tempus impensum, propter clementiam & bonitatem Dei communio concedatur.* Carthaginense III. A. 397. Capit. XXXI. statuit, *ut pœnitentibus, secundum peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.* Cabilonense I. A. 650. Can. VIII. *De pœnitentia vero peccatorum, quæ est medela animæ, utilem hominibus esse censemus: & ut pœnitentibus a Sacerdotibus data confessione indicatur pœnitentia, universitas Sacerdotum nosciitur consentire.* Trullana Synodus A. 692. Can. CII. *Oportet autem eos, qui solvendi & ligandi potestatem a Deo accepere, peccati qualitatem considerare, & ejus qui peccavit ad conversionem promptum studium, & sic morbo convenientem afferre medicinam.* Turonense III. A. 813. Can. XXII. *Episcopis & Presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus abstinendi adscribant, ut juxta modum peccati pœnitentibus abstinentia indicatur: quoniam varie ab aliquibus Sacerdotibus & indiscrete hæc judicia proferuntur. Ideo necessarium videbatur nobis, cum omnes Episcopi ad sacrum palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cujus antiquorum liber pœnitentialis potissimum sit sequendus.* Similia leguntur in Cabilonensi II. A. 813. Can. XXXII. Rhemensi A. 813. Can. XII. & XVI. Vormatiensi A. 868. Can. XXV. Atqui Sacerdotes causam cognoscere ac prudenter æstimare non potuissent, ac congruam medicinam præscribere, nisi illi ipsi qui commiserunt, peccata omnia sigillatim exposuissent. Ergo temporibus illis in usu erat Confessio secreta, sive auricularis.

Idem ostenditur auctoritate Conciliorum.

162. Prob. III. Auctoritate veterum librorum Pœnitentialium. Joannes Jejunator, qui in Eutychii Patriarchæ Constantinop. locum A. 586. suffectus est, in suo libello pœnitentiali a Morino edito in calce

Veterum librorum pœnitentialium.

calce Commentarii de administratione Sacramenti Pœnitentiæ, Sacerdotem sic loquentem inducit: *Spiritualis fili, ego confessionem tuam primario ac præcipue non recipio, nec tibi absolutionem concedo, sed per me Deus. - - - Revela igitur & declara coram Sanctis Angelis, nihilque me cela eorum, quæ a te clam facta sunt, velut si Deo occulta cordium cognoscenti confitereris, & ipse occultorum cognitor delebit omnia quæ revelaveris - - Licet enim hoc pudendum & probrosum tibi videatur opera probris & pudori obnoxia revelare; attamen eximie & accurate tibi persuasum esto, per præsentem pudorem te a futuro liberari, & mandatis obediendo non modo indulgentia, sed etiam coronis te dignum fieri.* Tum inducitur Sacerdos de numero & circumstantiis peccatorum ita interrogans: *Quomodo Domine frater, vel soror, virginitas tua corrupta est? Per fornicationem, vel legitimum matrimonium, vel per mollitiem, aut aliquid eorum quæ sunt contra naturam? Consentientem vero & dicentem sic & sic, ipsum interrogat, in quot mulieres inciderit, antequam uxorem duceret: Num aliquæ earum essent ancillæ, quantæ viduæ, & quantæ nuptæ?* Egbertus Eboracensis sæculo VIII. in Pœnitentiali suo apud Morinum hanc criminum confessionem fieri mandat: *Nimis peccavi in cogitationibus nefandissimis, delectando eis & consentiendo illis, & meditando atque disponendo in sensu & in memoria, atque voluntate mea, qualiter explere potuissem opera quæ male cogitabam.*

Et exemplo eorum, qui Confessionem Sacramentalem peregerunt, aut eam exceperunt.

163. Prob. IV. exemplo eorum, qui Confessionem Sacramentalem peregerunt, aut eamdem in veteri Ecclesia exceperunt. S. Irenæus Lib. I. adv. Hær. Cap. IX. narrat, quasdam mulieres a Marco hæretico & præstigiatore oppressas, cum ad Ecclesiam rediissent, crimen suum fuisse confessas: *Hæ sæpissime conversæ ad Ecclesiam Dei, confessæ sunt. - - Cum esset uxor ejus* (Diaconi cujusdam) *speciosa, & sententia & corpore corrupta esset a Mago isto, & secuta eum esset multo tempore, post deinde cum magno labore fratres eam convertissent, omne tempus in Exomologesi consummavit,*

plangens

plangens & lamentans ob hanc quam paſſa eſt ab hoc Mago corruptelam. S. Cypr. Tract. de Lapsis, cujus verba Num. 154. exhibuimus, commendat eos, qui peccatum defectionis a fide, sola cogitatione admissum, Sacerdotibus manifestarunt. Eusebius Hist. Eccles. Lib. VI. Cap. XXXVI. narrat, Serapionem in persecutione lapsum, mortique proximum, advocasse Presbyterum, ut ab eo beneficium reconciliationis obtineret. Socrates Hist. Eccles. Lib. V. Cap. XIX. scribit: *Mulier quædam nobilis ad Presbyterum Pœnitentiarium accedit: peccata quæ poſt Baptismum commiſerat, particulatim confitetur.* Ejusdem rei, quæ sæculo IV. ad finem vergente Constantinopoli contigit, meminit etiam Sozomenus Lib. VII. Hist. Eccles. Cap. XVI. De S. Ambr. Mediolan. Episcopo scribit Paulinus Diaconus in ejus Vita: *Quotiescunque illi aliquis ob percipiendam Pœnitentiam lapſus ſuos confeßus eßet, ita flebat, ut & flere illum compelleret. Videbatur enim ſibi cum jacente jacere. Cauſas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur; bonum relinquens exemplum poſteris Sacerdotibus, ut interceßores apud Deum magis ſint, quam accuſatores apud homines.* S. Audœnus Rothomagensis Episcopus, sæculi VII. Scriptor, in Vita S. Eligii Noviomensis Episcopi Cap. VII. de illo narrat: *Non poſt longum ſpatium, cum jam Eligius virilem ageret ætatem, cupiens ſe vas Deo exhibere ſanctificatum, & metuens ne aliqua ſuum delicta pectus fruſtrarent, omnia ab adoleſcentia ſua coram Sacerdote confeßus eſt acta.* Joannes Mabillonius in Actis SS. Ord. S. Benedicti ab A. 700. ad 800. ostendit, rem perquam vulgarem ea jam ætate fuisse, ut Principibus personis Confessarii ex munere, uti fere hodiernis temporibus, a sacris Confessionibus essent: idque speciatim notat de Martino quopiam Monacho Corbejensi; hic enim Caroli Martelli etiamnum junioris confessiones exceperat. Idem docet de S. Ausberto Fontenellæ in Normandia Abbate, ac postea Episcopo Rothomagensi, eumdem Theodorico III.

Fran-

Franciæ Regi a Confeſsionibus fuiſse. Theodorus Studites in Vita S. Platonis scribit: *Quod laudabilius eſt, occultas mentis cogitationes & acta cuidam eorum qui præerant, confitebatur: quæ res magnum religionis illius erat indicium. Idque cum perfecte facere ſolitus eſſet, qui confeſſionem ipſius audiebat, admirationem ac ſtuporem afferebat.* Sæculo IX. Annales Fuldenses ad A. 895. de Arnulpho Germaniæ Rege Romam obsidente memorant: *Solemnitate Martyrum celebrata, exercitum unanimiter interrogavit, quid facto opus ſit? Conveniunt omnes cum lacrymis fidem promittentes, Confeſſionem coram Sacerdotibus publice agentes.* Wilhelmus Malmesburiensis Lib. III. de Geſtis Anglorum, Cap. XV. laudat milites Normannos, *quod tota nocte Confeſſioni peccatorum vacantes, Dominico Corpori communicaverint, antequam pugnam cum Anglis inirent.* Francici Annales apud Du Chesne Tomo II. Hiſt. Franc. memorant, Drogonem Metensem Episcopum solitum fuiſse confeſsiones Ludovici Pii Imp. excipere. In Concilio OEcumenico Constantinopolitano IV. Actione IX. habita pridie Idus Februarii A. 870. Legati Pontificis Hadriani II. dixerunt Theodoro Protospathario: *Feciſti confeſſionem, & accepiſti pœnas de peccato illo pœnitens? Theodorus dixit: Etiam. Vicarii dixerunt: Cui confeſſus es? Theodorus dixit: Neſcio, defunctus eſt; id tantum ſcio, quia chartularius & Monachus, qui XL. annos habitavit in columna: meum illi ſcelus confeſſus ſum, a quo pœnam epitemii irrogatam accepi, quam adhuc hodie ſubeo. Vicarii dixerunt: Sacerdos erat? Theodorus dixit: Neſcio, Abbas erat, & habebam fiduciam in homine.* S. Petrus Damianus Opusculo LVI. refert, Agnetem Auguſtam, Henrici IV. Imperatoris Matrem, Romæ ante Aram Principis Apostolorum generalem totius vitæ Confeſsionem peregiſse. *Per lugubres*, inquit, *gemitus & amara ſuſpiria, ab ipſa quinquenni infantia quidquid ſubtile vel minimum potuit in viſceribus titillare, quidquid in cogitationibus vanum, quidquid ſubrepere potuit in ſermone ſuperfluum, fidelibus relationibus evolvit.*

164.

164. Conclusio II. Confeſsio Sacramentalis diſtincta omnium peccatorum gravium eſt lapsis poſt Baptismum neceſsaria, & præcepta jure divino. Prob. Conclusio hæc dogmatica I. Auctoritate Scripturarum. Joan. Cap. XX. Postquam Christus insufflavit in Apostolos, ait illis: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ex quibus verbis hoc argumentum inſtruitur. Chriſtus Apoſtolos eorumque succeſsores miniſtros Ecclesiæ, inſtituit tamquam judices & medicos morborum animæ, sine quorum sententia & curatione nemo lapsus poſt Baptismum reconciliari poteſt & sanari. Ergo Chriſtus omnibus poſt Baptismum lapsis in peccatum grave obligationem imposuit confitendi miniſtris Ecclesiæ diſtincte ac singillatim omnia peccata gravia; alias illi rite non poſsent fungi officio judicis & medici, quia causæ notitiam sibi aliunde comparare nequeunt, niſi ex spontanea reorum confeſsione: neque incognita causa congruam morbo medicinam afferre, aut cæco modo judicium ferre poſsunt, peccata pro libito remittendo aut retinendo. P. A. Poteſtas remittendi & retinendi, seu non remittendi peccata, in suo conceptu involvit poteſtatem judiciariam, sive poteſtatem sententiam ferendi juxta æquitatem causa cognita. Ergo cum Chriſtus miniſtris Ecclesiæ tamquam vicariis suis hanc potestatem dederit, eo ipso illos conſtituit peccatorum judices.

Confeſsionem Sacramentalem diſtinctam omnium peccatorum gravium jure divino præceptam eſſe, oſtenditur ex Scripturis

165. Ac profecto judiciariam in Sacerdotibus poteſtatem Patres agnoverunt, quorum pauca tantummodo testimonia proferemus. S. Joan. Chrysost. Lib. III. de Sacerdotio, Cap. V. ait: *Habent quidem & terreſtres Principes vinculi poteſtatem, verum corporum ſolum. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad cœlos uſque pervadit: uſque adeo ut quæcunque inferne Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus ſuperne rata habeat, ac ſervorum ſententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud eſſe dicas, niſi omnem rerum cœleſtium poteſtatem illis a Deo*

Quæ poteſtatem judiciariam Sacerdotibus tribuunt.

conceßam? Quorumcunque enim, ait, peccata remiſeritis, remittuntur eis: & quorumcunque retinueritis, retenta ſunt. Quænam obſecro poteſtas hac una major eſſe queat? S. Innocent. I. Epist. ad Decentium, Cap. VII. *De pondere æſtimando delictorum Sacerdotis eſt judicare.* S. Aug. Lib. XX. de Civit. Dei, Cap. IX. explicans illud Apocalypsis: *Et vidi ſedes, & ſedentes ſuper eas, & judicium datum eſt*, ita loquitur: *Non hoc putandum eſt de ultimo judicio dici; ſed ſedes Præpoſitorum, & ipſi Præpoſiti intelligendi ſunt, per quos Eccleſia nunc gubernatur. Judicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quam id quod dictum eſt: Quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in cœlo; & quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cœlo. Unde Apoſtolus, Quid enim mihi eſt, inquit, de his qui foris ſunt, judicare? Nonne de his, qui intus ſunt, vos judicatis?* S. Greg. M. Hom. XXVI. in Evang. exponens illa verba Domini: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* ait: *Principatum ſuperni judicii ſortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent.* Vide dicta Num. 59.

Quidquid Proteſtantes obganniant.

166. Replicant Protestantes I. Verba illa Joan. Cap. XX. intelligenda sunt de potestate remittendi & retinendi peccata per Baptismum, aut ministerium prædicationis, qua fides excitatur in animis audientium. II. Sacerdotes sunt tantum ministri & dispensatores Mysteriorum Dei, non autem judices & prætores; cum solus Deus peccata dimittat. III. Sacerdotes si peccata vere remitterent, eſsent Monarchæ, & Mediatores Deum inter & homines. IV. Quamvis Sacerdotes judiciariam exercerent potestatem erga illos, qui se sponte ipsorum judicio subjiciunt, lex tamen non evincitur omnibus imposita subjiciendi se Sacerdotibus. Ergo non probatur neceſsitas confitendi sigillatim omnia mortalia. P. A. Peccatores poſsunt per se ipsos in gratiam cum Deo redire absque Confeſsione, eliciendo nimirum actum perfectæ contritionis; sicut litigantes poſsunt Regem ipsum adire.

adire. V. Sacerdotes in Baptismo peccata remittunt, quin necesaria sit distincta peccatorum confesio. Ergo neque post Baptismum est necesaria. VI. Quamvis Sacerdotes sint judices peccatorum venialium, non idcirco necesaria est illorum confesio, sed libera omnino. Ergo etiam libera est confesio peccatorum gravium.

Quorum exceptiones enervantur.

167. Resp. ad I. N. A. Verba illa neque de Baptismo aut ejus memoria, neque de ministerio prædicationis intelligi queunt: non de Baptismo, tum quia potestas clavium exerceri non potest nisi in subditos Ecclesiæ, quales non sunt Catechumeni: tum quia lapsi post Baptismum carerent remedio, cum Baptismus semel tantum conferatur. Non de memoria Baptismi; alias ministri non haberent potestatem retinendi peccata, quia impedire non posunt ne fideles recordentur Baptismi jam olim suscepti. Non de ministerio prædicationis; alias nihil speciale Christus Apostolis concesisset, cum omnes etiam laici posint in aliis fidem de remisione peccatorum excitare: neque potestatem haberent Ecclesiæ ministri retinendi peccata; quia hæc fides excitari potest ministris etiam invitis. Ad II. ajo, Sacerdotes esse Christi ministros, dispensatores Mysteriorum Dei, verosque Judices, non primi, sed secundi ordinis, a primo & supremo Judice Christo dependentes, qui solus tamquam causa principalis, suprema & independens, remittit peccata. Ad III. Resp. Sacerdotes non esse Monarchas, quia non suprema auctoritate atque ad arbitrium agunt, more regio; sed juxta leges a Christo latas peccata vel remittunt, vel retinent: quas si non observaverint ministri, & peccant, & nihil efficiunt. Mediatores iidem dici posunt secundarii, atque etiam Servatores hominum, non solutione pretii, sed ministerio; quia pretium sanguinis Christi, quo redempti sumus, nobis applicant. Ad IV. N. A. Ad *prob.* Resp. Contritionem perfectam esse non posse, nisi in illa includatur propositum servandi omnia Dei præcepta, adeoque etiam confitendi singillatim

omnia peccata gravia. Ergo sine Confeſsione & ministerio Sacerdotum, vel in re vel saltem in voto, peccator in gratiam cum Deo redire nequit. Litigantes poſsunt equidem ipsum Regem adire, si id per Regem liceat: at si Rex decreviſset, nullam finiendam eſse litem, nisi per judices a se institutos, neceſse foret ad illos recurrere. Jam vero Christus Joan. Cap. XX. voluit, ut qui peccatorum veniam sperant, Sacerdotum se judicio subjiciant; alias falsum foret peccata retineri quæ Sacerdotes retinuerint, seu non remiserint: & frustra Christus Apostolis dediſset potestatem absolvendi, sicut frustra darentur alicui claves, si alia non minus facili immo & faciliori via pateret introitus. Ad V. C. A. N. C. In Baptismo nudum exercetur ministerium regenerandi Christo Catechumenos; nullum vero de peccatis remittendis vel retinendis judicium exercetur, quia Ecclesiæ nulla competit in illos qui adhuc foris sunt, jurisdictio. At vero in Sacramento Pœnitentiæ verum judicium a Sacerdotibus exercetur, quod causæ cognitionem exigit. Ad VI. N. C. Peccata venialia sunt materia Confeſsionis libera, quia gratiam & charitatem non extinguunt, neque a cœlestis regni aditu arcent hominem; sed illum non nihil dumtaxat ab ejus consecutione remorantur, aliisque remediis, Oratione nempe Dominica, eleemosynis, variisque misericordiæ operibus expiari poſsunt. At vero peccata gravia mortem spiritualem animæ inferunt, regnum cælorum claudunt, & Christo ita volente non remittuntur, nisi in Sacramento Pœnitentiæ, aut certe non sine illius voto: adeoque non nisi causa cognita, & facta, aut certe facienda Sacerdoti eorum declaratione.

Idem oſtenditur auctoritate Patrum.

168. Prob. II. Auctoritate Patrum. S. Hilarius Can. XVIII. in Matth. scribit: *Ad terrorem autem metus maximi, quo in præſens omnes continerentur, immobile ſeveritatis Apoſtolicæ judicium præmiſit*, (Christus) *ut quos in terris ligaverint, id eſt, peccatorum nodis innexos relinquerint, & quos ſolverint, confeſſione videlicet veniæ receperint*

receperint in ſalutem; hi Apoſtolicæ conditione ſententiæ in cœlis quoque abſoluti ſint aut ligati. S. Leo M. Epist. LXXXII. alias XCI. ad Theodorum Forojuliensem: *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Vide alia Patrum testimonia, quæ in Probatione prioris Conclusionis laudavimus, præcipue Origenis Hom. III. in Leviticum, & Hom. II. in Psalm. XXVII. S. Basilii in Resp. ad Quæst. CCLXXXVIII. S. August. Serm. CCCXCII. &c.

169. Prob. II. Auctoritate Concilii Trident. cujus Canones de Confeſsione Sacramentali exhibemus. Canon VI. Seſs. XIV. *Si quis negaverit, Confeſſionem Sacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino; aut dixerit, modum ſecrete confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum; anathema ſit.* Can. VII. *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino, confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumſtantias quæ peccati ſpeciem mutant; ſed eam confeſſionem tantum eſſe utilem ad erudiendum & conſolandum pœnitentem, & olim obſervatam fuiſſe tantum ad ſatisfactionem Canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum; aut demum non licere confiteri peccata venialia; anathema ſit.* Can. VIII. *Si quis dixerit, Confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam, a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes & ſingulos utriusque ſexus Chriſti fideles, juxta magni Concilii Lateranenſis conſtitutionem, ſemel in anno, & ob id ſuadendum eſſe*

Et Concilii Tridentini

Chriſti

Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ; anathema sit.

Atque ex difficultate, & constanti usu Confessionis.

170. Prob. IV. Ex difficultate Confessionis, atque antiquissimo & constanti illius usu apud Christianos. Confessio Sacramentalis distincta omnium peccatorum gravium Sacerdotibus facienda, permolestum ac grave onus est, quo gravius in Catholica Ecclesia vix ullum ostendi potest. Molestissimum enim accidit plurimis, præcipue autem Viris Principibus, atque in dignitate constitutis, Sacerdoti peccata sua omnia quamtumvis occulta, enormia ac fœdissima detegere, illius stare judicio, mulctamque sibi ab illo injunctam subire. Nihilo tamen minus Confessionis Sacramentalis usus antiquissimus ac constans fuit in Ecclesia Dei, ut Conclusione I. ostendimus. Ergo jam a primis Ecclesiæ temporibus communis ac concors fuit fidelium opinio, Confessionem Sacramentalem omnium peccatorum gravium jure divino præceptam esse. P. C. Si Ecclesia onus hoc imposuisset, maximæ illico lites & turbæ exortæ fuissent, ut fieri amat, quando novi ritus inducuntur molesti & graves. Atqui altum est apud Historicos omnes, tam Ecclesiasticos quam profanos, de ejusmodi querelis aut turbis silentium. Ergo non Ecclesiastico jure aliquo, sed divino imposita fuit Christianis obligatio singillatim ac distincte confitendi Sacerdotibus omnia peccata gravia. Atque hoc argumentum, etiamsi cætera omnia abessent, palmare mihi videtur, nullaque commoda responsione a Protestantibus enervandum. Merito itaque in præsenti etiam Controversia illud S. Aug. Lib. IV. de Baptismo contra Donatistas, Cap. XXIV. usurpamus: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

Confessio Sacramentalis peccatorum gravium quot annis facienda,

171. Quæres I. An Confessio Sacramentalis omnium peccatorum gravium sit omnibus Christianis, qui ad annos discretionis pervenerunt, jure etiam Ecclesiastico præscripta? Resp. affirmative, quantum ad determinationem temporis, ut nimirum saltem fiat

semel

semel in anno. Patet id ex Canone XXI. Lateranensis IV. A. 1215. sub Innnocentio III. *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.* Ubi observo I. Confessionem semel in anno præscribi, quocunque anni tempore; neque illum violatæ legis Ecclesiasticæ argui posse, qui omissa Confessione Paschalem Communionem percepit absque conscientia peccati gravis. II. Per Confessionem sacrilegam præcepto Ecclesiastico Confessionis annuæ non satisfieri; cum enim Ecclesia non nisi determinet tempus divini præcepti, sequitur non alia Confessione Ecclesiastico quam divino præcepto satisfieri. Atqui per sacrilegam Confessionem certum est divino præcepto non satisfieri. Ergo nec Ecclesiastico. Hinc Alexander VII. jure proscripsit propositionem hanc, ordine XIV. *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* III. Pœnas, quæ in Can. XXI. Lateranensis IV. continentur, non esse latæ sed ferendæ sententiæ. Quapropter Parochus ab ingressu Ecclesiæ arcere non potest, nec privare Ecclesiastica sepultura parochianum, qui in Paschate Sacramentaliter confessus non fuit, nisi intervenerit superioris Judicis, nempe Episcopi sententia.

est etiam Juris Ecclesiastici.

172. Quæres II. An præcepto Ecclesiastico Confessionis annuæ urgeantur, qui levia solum peccata illo anno commiserunt? Resp. negative. Prob. assertio I. Auctoritate Tridentini, quod Sess. XIV. Cap. V. docet: *Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte & utiliter, citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen*

Non tamen peccatorum levium.

men

men citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. II. Ratione. Præceptum hoc Ecclesiasticum solummodo determinat tempus, quo Confessio jure divino præcepta peragi debeat. Ergo cum jure divino nemo obligetur ad confessionem venialium, utpote quæ amicitiam cum Deo non dissolvunt, nemo pariter ad id tenetur jure Ecclesiastico.

Corollaria hujus doctrinæ.

173. Ex his sequitur I. Eos qui sæpius per annum confessi sunt tantum venialia, si postea in mortale labantur, teneri adhuc illo anno confiteri; quia per Confessionem venialium præcepto Confessionis annuæ nondum satisfecerunt. II. Voces illas Canonis Lateranensis, *Omnis fidelis*, *Omnia peccata*, intelligendas esse de iis peccatoribus, qui jure divino noxas Sacramentali Confessione tenentur eluere; alioquin adversarii admittere deberent, eos qui in confessione annua omnia lethalia confitentur, unum alterumve peccatum veniale studiose reticendo, sacrilege confiteri; adeoque præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis minime satisfacere.

Nomine proprii Sacerdotis venit solus Parochus.

174. Quæres III. Quinam in Can. XXI. Lateranensis Concilii veniat nomine *proprii Sacerdotis*, apud quem singulis annis Confessio Sacramentalis sit facienda? Resp. Solus Parochus; salva tamen Summi Pontificis in tota Ecclesia, & Episcoporum in suis diœcesibus auctoritate. Prob. I^ma pars assertionis. I. Auctoritate Concilii Lateranensis IV. quod alibi, nempe Can. XXXII. proprii Sacerdotis nomine non alium, nisi solum Parochum intelligit; ait enim: *Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem, de proventibus Ecclesiæ, quæ curam proprii Sacerdotis debet habere, pensionem alii quasi pro beneficio conferre præsumat.* Eumdem Parochum nomine proprii Sacerdotis denotarunt Conc. provincialia, Tolosanum A. 1228. Can. XIII. Biterense A. 1246. Can. XLVI. Arelatense A. 1260. Can. XVI. Senonense A. 1269. Can. IV. Arelatense alterum A. 1275. Can. XIX. & XX. Coloniense A. 1280. Cap. VIII. Rothomagense A. 1299. Can. VI. Nemausense A. 1284.

1284. Tit. de Pœnitentia. Lingonense A. 1452. Narbonense A. 1551. Can. L. Mediolanense A. 1565. Parte II. Tit. VI. Rhemense A. 1583. Cap. de Pœnitentia. Aquense A. 1585. Burdigalense A. 1624. Can. III. Prob. II. ex scopo Lateranensis IV. in hoc Canone edendo. Nimirum tunc temporis abusus irrepserat, ut Parochi extra parochiæ suæ limites excurrentes, alienos parochianos ad se pertraherent, & ad Paschalem Communionem admitterent lucri desiderio; erat enim tunc communiter receptum, decimas esse persolvendas ei qui Sacramenta tempore Paschali administrasset. Huic abusui ut occurreret Lateranensis Synodus, mandavit ut Parochiani suo proprio Sacerdoti, hoc est, Parocho sua semel in anno confiteantur peccata, eique decimas solvant.

175. Prob. altera pars assertionis Imo. In eodem Lateranensi Can. X. statutum fuit, ut Episcopi in Cathedralibus, aliisque Conventualibus Ecclesiis viros idoneos ordinent, quibus uti possint tamquam cooperatoribus in officio prædicationis, administrando Pœnitentiæ Sacramento, aliisque quæ ad salutem animarum pertinent. II. Est omnino incredibile, Summum Pontificem & Episcopos voluisse in gratiam Parochorum a se abdicare potestatem, quam habent jure divino in Parochos, & ipsorum parochianos. III. Absurdum est dicere, quod Papa & Episcopus teneantur facultatem a Parocho petere excipiendi confessiones fidelium Parocho subditorum. IV. Papa in tota Ecclesia, Episcopi in suis diœcesibus ex antiquo more Ecclesiæ potestatem sibi reservant, extra mortis periculum, absolvendi fideles a gravioribus quibusdam criminibus. Ergo exercent immediatam jurisdictionem in Parochos æque ac eorum parochianos. Ergo sunt proprii Sacerdotes suorum subditorum.

Salva tamen Rom. Pontificis & Episcoporum auctoritate.

176. Quæres IV. An Canoni *Omnis utriusque sexus* satisfaciant ii fideles, qui annuam Confessionem faciunt Sacerdoti non Parocho, sive sæculari sive

Fideles satis faciunt præcepto annuæ con-

fessionis, modo confiteantur Sacerdoti approbato.

Regulari, non requisito Parochi consensu, immo eo etiam contradicente? Resp. Eos satisfacere, modo confiteantur Sacerdoti a Summo Pontifice, vel ab Episcopo delegato & approbato sine ulla restrictione temporis ac loci. Prob. assertio I^mo. Auctoritate Pontificum, qui Regularibus facultatem dedere excipiendi valide & licite Confessiones quorumcunque sæcularium, etiam tempore Paschali, ut Joannes XXII. Alexander V. Eugenius IV. Nicolaus V. Callixtus III. Sixtus IV. Leo X. Paulus III. Paulus IV. Clemens VIII. Innocentius X. Clemens X. Constitutione *Superna.* II. Auctoritate Lateranensis V. Concilii, in quo Sessione XI. A. 1516. lecta fuit & approbata, octo tantum Episcopis centradicentibus, Constitutio Leonis X. *Dudum intra mentis arcana*, de Confessione Paschali apud Regulares facta ita statuens: *Possint illi per eosdem Episcopos & Prælatos super sufficienti litteratura, & aliqua saltem hujusmodi Sacramenti peritia dumtaxat examinari; talibusque præsentatis admissis, vel etiam indebite recusatis, confitentes Constitutioni quæ incipit, Omnis utriusque sexus, quoad Confessionem dumtaxat satisfeciſſe censeantur.* Ubi noto, has particulas *vel etiam indebite recusatis*, revocatas fuisse a Tridentina Synodo Sess. XXIII. Cap. XV. de Reformatione, atque ab Alexandro VII. qui propositionem hanc ordine XIII. proscripsit: *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.* III. Auctoritate Cleri Gallicani, qui A. 1655. in Comitiis generalibus, in Epistola Encyclica adversus Theologi cujusdam librum asserit: *Fideles, qui Paschalis Communionis gratia confitentur non solum suis Episcopis, eorum Vicariis Generalibus, & Pœnitentiariis, verum etiam quibuslibet Sacerdotibus sæcularibus vel Regularibus, ab Episcopis ad hanc functionem approbatis, ejusdem Lateranensis Concilii præceptum de annua Confessione adimplere.* IV. Ratione Theologica. Ut valide excipiantur fidelium confessiones, præter potestatem Ordinis requiritur & suffi-

cit

cit jurisdictio & approbatio. Atqui delegati a Papa vel ab Episcopo, hoc ipso approbantur, & jurisdictionem acquirunt in fideles illos, qui Papæ vel Episcopo sunt subditi. Ergo. Vide Natalem Alexandrum in Dissert. IV. in Histor. Ecclesiast. Sæculi XIII. Josephum Biner in Apparatu Eruditionis, Parte VIII. Lib. III. Cap. III. Artic. XXII.

177. Quod si dicas, inutilem atque otiosum tali modo videri Lateranensem Canonem, si proprii Sacerdotis nomine intelligatur Episcopus, atque ab eo approbati Confessarii; quia apud omnes semper indubitatum fuit, ad valide excipiendas confessiones requiri jurisdictionem. Resp. Canonem hunc minime inutilem aut otiosum tunc fuisse; illis enim temporibus Parochus jurisdictionem dabat iis, qui fuerant ab Episcopo approbati: ideoque invalide ab aliis Sacerdotibus, utpote jurisdictione destitutis, excipiebantur tunc Confessiones absque facultate & consensu Parochi. Verum postea immutata est disciplina, & Episcopi simul cum approbatione jurisdictionem concesserunt; quam immutationem ratam habuit Trident. Synodus Sess. XXIII. Cap. XV. de Reformat. Ex quo sequitur, Parocho etiam nesciente ac invito, valide nunc Fideles confiteri etiam tempore Paschali cuicunque Sacerdoti, ab Episcopo sine restrictione temporis aut loci approbato.

178. Quæres V. An publica Confessio occultorum criminum fuerit umquam Ecclesiastica lege præcepta? Resp. negative. Prob. assertio tum ex eo, quod lex aliqua Ecclesiastica id præcipiens ab adversariis proferri nequeat, tum etiam argumentis positivis. Ac Imo. quidem auctoritate Trident. quod Sess. XIV. Cap. V. ait: *Nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent Confessione aperienda.* Ergo Ecclesia, quæ ob assistentiam Spiritus Sancti nihil temere & imprudenter præcipere potest, nulla id umquam lege sancivit. II. Auctoritate Patrum. S. Basilius Epist. Canonica ad Amphilochium, Can. XXXIV. ait: *Adul-*

Confessio publica occultorum criminum numquam fuit Ecclesiastica lege præcepta.

terio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocunque convictas, publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam præbeamus: eas autem stare sine Communione jusserunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ. Ergo si mulieres illæ non percurrebant omnes gradus pœnitentiæ, ne venirent in suspicionem patrati criminis, multo minus obligabantur ad publicam confessionem. Idem in Regulis brevioribus, Interrogatione CCXXIX. quærit: *An oporteat vetitas actiones citra verecundiam omnibus detegere, aut aliquibus dumtaxat, & quinam hi sint?* Respondet, servandam esse rationem eamdem in peccatorum confessione, quæ in detegendis corporis morbis adhibetur. *Quemadmodum igitur corporis morbos non omnibus patefaciunt homines, neque quibusvis, sed iis qui horum curandorum periti sunt: ita fieri quoque debet peccatorum confessio coram iis qui curare hæc possint.* S. Leo M. hanc profitendorum publice scelerum consuetudinem, tamquam Apostolicæ regulæ contrariam, palam ac diserte improbavit Epist. CXXXVI. alias LXXX. ad Episcopos Campaniæ scribens: *Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovimus a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri; ne videlicet de singulorum peccatorum genere, libellis scripta professio publicetur: cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari Confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur; tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo; ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta referari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa Confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.* Ergo Ecclesia universa,

universa, ac præcipue Romana, quæ numquam præscribere potest praxim administrandæ pœnitentiæ contrariam Apostolicæ regulæ, numquam obligavit fideles ad publicam occultorum criminum manifestationem, sive ab ipsis pœnitentibus faciendam, sive ut illorum pudori consuleretur, a Sacerdotibus memoriter aut ex scripto pœnitentium crimina in populum efferentibus. III. Ex institutione Presbyteri Pœnitentiarii, de qua scribit Hermias Sozomenus Hist. Eccles. Lib. VII. Cap. XVI. *Grave ac molestum ab initio jure merito visum est Sacerdotibus, tamquam in theatro, circumstante totius Ecclesiæ multitudine, crimina sua evulgare. Itaque ex Presbyteris aliquem qui vitæ integritate spectatissimus esset, & taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio præfecerunt: ad quem accedentes ii qui deliquerant, actus suos confitebantur. Ille vero pro cujusque delicto quid aut facere singulos aut luere oporteret pœnæ loco indicens, absolvebat pœnitentes, a se ipsis pœnas criminis exacturos.* At vero quid opus erat Presbytero taciturno & silentii amante, si velut in theatro traducendus fuisset pœnitens, & ab ipsomet, vel a Sacerdote occulta illius peccata publicanda? IV. Ratione. Christus Sacramentum Pœnitentiæ ita instituit, ut noluerit ea onera imponi pœnitentibus, quæ non essent ejus administrationi necessaria, & quæ difficultate sua pœnitentes frequentissime absterruissent a necessaria ejus receptione. Atqui publica occultorum delictorum confessio non est administrationi Pœnitentiæ necessaria, ut patet ex præsenti Ecclesiæ disciplina; plurimosque pœnitentes ab hoc Sacramento absterruisset. Ergo.

179. Dixi, publicam occultorum peccatorum Confessionem nulla fuisse umquam Ecclesiastica lege præceptam. Non enim inficias imus fuisse interdum aliquos, qui abundantia quadam doloris ac pietatis delicta sua quamtumvis occulta coram omnibus exponerent. Atque hos inter fuit Potamius Episcopus Bracarensis, qui in Concilio Toletano X. A. 656. ut refert Cæsar Card. Baronius, nemine accusante,

sante, lacrymas inter occultum peccatum carnis a se commiſsum in conventu Episcoporum publice confeſsus est, & dimiſso Episcopatu pœnam subiit quam Canones ejus culpæ reis imponebant. Quin ex consilio prudentis Sacerdotis, inter occulta peccata quædam interdum fuiſse selecta, quæ pœnitens ad majorem vindictam criminum & demiſsionem animi publice aperiebat, haud obscure colligitur ex Hom. II. Origenis in Psalm. XXXVII. atque ex S. August. Serm. CCCLI. alias Hom. L. inter L. Utrumque locum exhibuimus Num. 155. & 159.

180. Dices I. S. Basilius Epist. ad Amphilochium, Can. XXXIV. prohibet occultum fœminæ adulterium publicari, ne a marito interficeretur. Ergo cætera occulta crimina, ex quorum manifestatione nullum oriebatur pœnitenti amittendæ vitæ periculum, populo denuntiabantur. II. Origenes Hom. III. in Leviticum scribit: *Si quod in occulto gerimus, ſi quid in ſermone ſolo, vel etiam intra cogitationum ſecreta commiſimus, cuncta neceſſe eſt publicari, cuncta proferri.* III. Patres, præcipue Tertullianus, S. Ambrosius, S. Pacianus, S. Chrysostomus hortantur peccatores, ut devicto præpostero ac noxio pudore, peccata sua etiam occulta foras proferant, fratrum suorum conspectum non pertimescentes. Ergo peccatores crimina sua quamtumvis occulta publice tenebantur enuntiare; alias nullam habuiſsent erubescendi causam. Resp. ad I. N. C. S. Basilius speciali lege vetuit, ne adulteria illarum mulierum publicarentur, non quia cætera publicari poſsent; sed partim ideo quia ex illorum manifestatione longe majora mala oriri poterant quam ex denuntiatione aliorum criminum populo facta: partim ne Confeſsarii suaderent prædictis fœminis, ut ipsæ publice adulteria sua proferrent, sicque eas consilio, quamvis sponte acceptato, in vitæ discrimen impellerent. Ad II. Resp. Juxta Origenem cuncta eſse publicanda, cuncta proferenda, non populo quidem, sed soli Sacerdoti; ita ut publicare ac proferre idem sit ac manifestare,

proferre

proferre exterius, & ut ipse Origenes scribit Hom. II. in Psalm. XXXVII. *Non celare intrinsecus.* Ad III. N. C. Multi nostris etiam temporibus dantur peccatores qui noxia verecundia detinentur, quo minus animæ suæ vulnera soli Sacerdoti aperiant, licet optime intelligant, se nulla Ecclesiæ lege, aut Sacerdotis sive præcepto sive consilio ad publicam criminum suorum Confessionem adigendos.

181. Quæres VI. An publicorum saltem criminum publica Confessio fuerit Ecclesiastica lege præcepta? Resp. probabilius iterum negative. Prob. assertio I^mo. Lex hæc Ecclesiastica ab adversariis ostendi nequit. II. Ex Tridentino priori assertione citato; siquidem vox illa *præsertim* hanc habet vim, ut cæterorum quoque publica confessio parum consulte præcipi censeatur: adeoque quæ de illis publice confitendis lata fuerit lex, inconsulta sit minimeque prudens; etsi altera, quæ de occultis peccatis idem statueret, minus habeat prudentiæ. III. Ex Epist. CXXXVI. S. Leonis M. superius laudata, qua nullo facto peccata publica inter & occulta discrimine, consuetudo profitendorum publice scelerum Apostolicæ regulæ contraria asseritur. IV. Ratione. Confessio publica publicorum criminum absque ullo emolumento pœnitentis præcepta fuisset ab Ecclesia. Adversarii ajunt, ob publice profitentis pudorem ac verecundiam id factum esse, ut reliqui etiam ab ejusmodi criminibus absterrerentur. Sed quis ille tantus pudor fuerit non video; cum ignota quæ palam flagitiosi homines profiterentur, essent nemini, utpote palam & omnibus consciis admissa. At vero, seclusa publica Confessione, publicus ille pœnitentium luctus, cui juxta Canones publici peccatores subjiciebantur, abjectio ipsa sui, sordes, lamentatio, supplicatio, cæteraque id genus, satis magnam verecundiam præter sensum doloris afferebant, quibus refrænari a vitiis, & in officio homines possent contineri: quam & ipsam fateor publicam quamdam peccati confessionem fuisse. Ad quam accesserit sane non

Quin immo neq; etiam publica confessio publicorum criminum.

non numquam etiam expreſsa verbis altera, & publica; sed quam non aliqua Ecclesiæ lex præscriberet, ac ne permitteret quidem fortaſse, sed vehemens potius dolor ac pietatis sensus extunderet. Vide Dionysium Petavium in Animadversionibus Epiphanianis ad Hær. LIX. quæ est Novatianorum. Balthassarem Francolinum in Veteris Ecclesiæ severitate a calumniis vindicata, Lib. I. Disput. VI.

Argumenta contraria refutantur.

Proteſtantes fruſtra nobis objiciunt silentium Scripturarum.

182. Objicitur I. Silentium Scripturarum. In Scripturis novi Testamenti Apostoli nullibi excepiſse leguntur Confeſsiones fidelium. B. Paulus in Epistolis ad Titum & Timotheum, in quibus ex instituto Ministrum Evangelii instruit, neceſsarium illud Confeſsiones exigendi & audiendi officium omnino prætermittit. Idem Epist. I. ad Corinthios, multa conquestus de indigna corporis & sangvinis Domini sumptione, ne verbo quidem fideles admonet, ut priusquam ad Mensam Dominicam accedant, Sacramentali Confeſsione conscientiam expient. Ergo Confeſsio illa ævo Apostolorum non erat in usu. Resp. I. retorquendo. In Scripturis novi Instrumenti nullibi legitur baptizatos fuiſse infantes ab Apostolis, aut ratum eſse Baptismum servata debita materia & forma ab hæreticis collatum. Et quæ plura sunt hujusmodi. Ergo ævo Apostolico infantes non baptizabantur? &c. Resp. II. T. A. N. C. Non omnia quæ Apostoli geſserunt, litteris sunt consignata. Sacramentalem omnium peccatorum Confeſsionem a Christo Joan. Cap. XX. præceptam fuiſse paulo ante ostendimus Num. 164. ideoque æquius ac verius hoc argumentum instruimus. Quod Christus instituit ac præcepit, id Apostoli a fidelibus exegiſse merito censentur, Scripturarum silentio minime obstante. Atqui Christus Joan. Cap. XX. Sacramentalem Confeſsionem omnium peccatorum gravium instituit ac præcepit. Ergo illam Apostoli a fidelibus exegiſse

merito

merito censentur, quamvis Scripturæ nullam hujus rei mentionem faciant. Cæterum dixi, Trans. Antecedens. Mandatum enim de Confessione Sacramentali præmittenda susceptioni Eucharistiæ ab iis qui lethalis peccati conscientiam habent, involvitur ac significatur illis Apostoli verbis I. ad Cor. Cap. XI. *Probet autem se ipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* S. Lucas Actuum Cap. XIX. refert: *Multique credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus suos. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* Quæ verba plurimi Theologorum & Scripturæ Interpretum de Confessione Sacramentali intelligunt; licet palmare argumentum ex illis confici nequeat, eoquod Cajetanus, Estius, Maldonatus, Lorinus, aliique eruditi Theologi putent agi ibidem de confessione illa generali tantum, seu professione publica pœnitentiæ, quam Baptismo præmittebant ii, qui Evangelio crediderant.

Praxim hodiernam Græcorum, & Orientalium

183. Obj. II. Praxis hodierna Græcorum & Orientalium. Græci jam ab aliquot sæculis Confessionis nomen vix non ignorant; pauperes enim Confessionis causa Sacerdotes suos numquam accedunt, atque ab hoc onere immunes vulgo existimantur. Nobiles, Episcopi, & Sacerdotes rarissime confitentur. De Armenis, Ægyptiis Jacobitis, aliisque per Orientem populis testantur fide digni Scriptores, Alphonsus a Castro, Jacobus de Vitriaco, Joannes Mandevillæus, nullum esse apud illas Gentes Confessionis usum. Ergo Confessio in Oriente etiam prioribus sæculis non nisi paucissimis erat nota. Resp. I. N. C. Neque enim ex præsenti quæ apud populos quosdam viget consuetudine antiquam illorum disciplinam semper metiri ac dignoscere possumus; cum experientia constet, saluberrima instituta post aliquas annorum decades quandoque subrui, atque in desuetudinem abire. Resp. II. Confessionis Sacramentalis usum apud veteres Græcos viguisse manifeste evincunt libri a Patribus & Scriptoribus Ecclesiasticis conscripti, Ca-

nones Conciliorum, & antiqui libri Pœnitentiales, ille præcipue Joannis Jejunatoris Patriarchæ CPolitani sæculo VI. Eamdem circa neceſsitatem Confeſsionis apud hodiernos Græcos, quamtumvis Schismaticos, perseverare doctrinam oſtendunt eorum Euchologia, Responsio Jeremiæ CPolitani ad Protestantes, & Concilia CPoli & Jerosolymis sub Cyrillo, Parthenio, Methodio, Dionysio, ac Dositheo Patriarchis priori sæculo habita adversus errores Cyrilli Lucaris: ac denique nobiliores recentesque eorum Scriptores, Alexius Rharturus, Damascenus Studita, Meletius Syrigus, Gregorius Protosyncellus, Gabriel Philadelphiæ Metropolita, &c. Usum quod attinet Confeſsionis, fateor eum non ita frequentem eſse apud Græcos ac apud Latinos; eſse tamen aliquem negari ab adversariis minime poteſt. Pauperibus raro admodum ac vix umquam Sacramentum hoc adminiſtratur, non quod illi a confitendi onere immunes judicentur; sed quia turpiſsima Græcorum Sacerdotum avaritia eam plerumque pecuniæ vim ab illis exigit, quam miseri illi repræsentare nequeunt. Vide hac de re Josephum Biner in Apparatu Eruditionis, Parte XII. Lib. I. Cap. XII. Petrus Arcudius Corcyræus Lib. IV. de Concordia, Cap. II. scribit, Episcopos ac Sacerdotes Græcos raro confiteri, non quidem ex errore, quasi existiment Confeſsionem jure divino neceſsariam non eſse; sed ex metu pœnarum quæ a Canonibus certis peccatis imponuntur. Illud certum est, in eorum Euchologio Sacerdoti celebraturo præcipi, ut non ante ad altare accedat, quam peccatorum quorum sibi conscius est, confeſsionem emiserit. Quod ergo plures eorum hanc regulam non semper observent, non magis hinc sequitur jure divino neceſsariam non putari, quam siquis inde inferret, usuram v. g. aut fornicationem non credi a nobis jure naturali ac positivo divino prohibitam, quia apud Christianos non adeo pauci his sceleribus indulgent. De Æthiopibus & Ægyptiis Jacobitis, quidquid alii vano rumore incertisque sermonibus

monibus decepti scripserint, testatur Vanslebius testis oculatus in Historia sua Alexandrina seu Jacobitarum Coptorum, Parisiis Gallico idiomate edita, apud eas Gentes Sacramentalem Confessionem vigere, licet longe minus frequentem ac apud Latinos. Hæc tamen infrequentia non ex contemptu Sacramenti; sed partim ex crassa ignorantia & rudi Gentis ingenio oritur: partim ex metu diuturnioris atque severioris satisfactionis, quam ipsis imponunt eorum Sacerdotes; dierum enim duodecim intervallo leviores pœnitentiæ apud illos peraguntur.

Silentium veterum Biographorum, & Apologistarum.

184. Obj. III. Silentium veterum Biographorum & Apologistarum. Veteres, qui Sanctorum Vitas v. g. Cypriani, Gregorii Neocæsariensis, Nazianzeni, Nysseni, Martini, Basilii, Augustini, Fulgetii &c. conscripserunt, quamvis omnia ab illis gesta referant & commendent, nullam tamen de exceptis oviculârum suarum confessionibus mentionem faciunt. Ergo ævo illo fideles non confitebantur. II. In Patrum Orationibus Encomiasticis, v. g. Nazianzeni in Gregorium patrem suum, Cæsarium, Gorgoniam, Athanasium, Basilium: Hieronymi in Marcellam, Asellam, Lætam, Paulam, Fabiolam: item in Vitis Sanctorum Episcoporum Cypriani, Ambrosii, Martini, Augustini, &c. numquam reperitur, Sanctos illos viros ac fœminas Confessionem de peccatis apud aliquem Sacerdotem fecisse. Ergo Confessio apud cæteros etiam fideles non erat in usu. III. Qui Apologias pro Christianis scripsere, ut S. Justinus M, Tertullianus, Origenes, Minucius Felix, Arnobius &c. Confessionis nullibi meminere. IV. Apud veteres Scriptores, Eusebium, Tertullianum, Cyprianum, Victorem Vitensem &c. nuspiam reperitur, Martyres confessionem peccatorum peregisse, antequam ad capitale supplicium pro Christo abstraherentur. Ergo hæc disciplina temporibus illis nondum erat apud Christianos in usu. Resp. ad I. N. C. In Vitis Sanctorum ea plerumque recenseri solent quæ singularia sunt & insignia, non quæ communia & vulgaria. Præterea

Episcopi, qui moderandæ Ecclesiæ, verbi divini prædicationi, refellendis & expugnandis hæresibus, componendis litibus fidelium, curæ Virginum, Viduarum, & Pauperum toti erant dediti, vix per se ipsos vacare poterant excipiendis Confessionibus fidelium, qui in Canonica crimina lapsi non erant; ideoque secretæ pœnitentiæ procurationem, & Confessarii munus aliis Presbyteris demandabant: quamquam ipsi etiam Episcopi hanc quandoque functionem exercebant, ut de S. Ambrosio Mediolanensi nobis constat ex ejus Vita, a Paulino Diacono auctore coævo conscripta. Ad II. Resp. Jd factum esse, tum quia Sancti viri illi ac fœminæ lethalia peccata post Baptismum non admiserant, ideoque confessione necessario non indigebant: tum quia venialium Confessio ex usu Ecclesiæ non adeo frequens erat priscis illis ac nostris temporibus; sed oratione potissimum, eleemosynis, jejuniis, aliisque operibus bonis, in quibus assidui erant Sancti homines, venialia peccata expiabantur. Ad III. Resp. Non omnia fidei nostræ capita & Christianæ Religionis ritus universi expositi fuerunt in Apologeticis libris; sed ea tantum fuere in medium prolata, quæ ad idololatriæ vanitatem, ad Christianæ legis & professionis sanctimoniam demonstrandam, præsertim contra Ethnicorum calumnias necessaria erant. Et quia infanticidii ac promiscuæ libidinis in suis Synaxibus incusabantur Christiani, operæ pretium erat ea exponere in Apologiis pro nostra Religione editis, quæ Christiani suis in conventibus agebant, & ritum quo Christo initiabatur, & Eucharistia consecrabatur. At vero necessarium non erat pœnitentiæ, Confessionisque negotium hac in causa explicare. Ad IV. T. A. N. C. Martyres peccatis lethalibus non erant polluti, quæ Confessione expianda essent. Quod si lapsi fuissent ex humana imbecillitate ac vi tormentorum in idololatriam, & resumptis fidei viribus ad certamen redirent, confessione apud Sacerdotem edita, pace & absolutione donati Eucharistia communiebantur, ut liquet ex Epistolis

S. Cy-

S. Cypriani. Sacerdotes carceres cum Diaconis lustrabant, offerebant Sacrificium coram Confessoribus, eisque necessaria ministerii sui officia impendebant. Adde, quod martyrium vicem Baptismi, multoque magis Confessionis suppleat, quia perfectæ charitatis est opus. Unde Tertull. Cap. ult. Apologetici ait: *Omnia huic operi delicta condonantur.*

185. Obj. IV. Communio frequens veterum Christianorum. Fideles priscis temporibus frequentissime communicabant. Ergo Communioni non præmittebant Confessionem, quia solus Episcopus tantæ multitudini tam frequenter expiandæ non sufficisset. Resp. Eucharistiæ perceptionem in rei Christianæ primordiis frequentissimam ac quotidianam fuisse. At primi Christiani sanctissimam plerumque vitam agebant; ideoque Sacerdotum ministerio non indigebant illi, ut cum Deo reconciliarentur, a quo numquam recesserant post Baptismum. Fuere quidem primis etiam illis temporibus aliqui, qui lethalibus noxis inquinati, nulla præmissa confessione, accedere nihilominus Eucharisticam mensam non verebantur: sed pessime illos egisse, ac malo suo, ipse insinuat Apostolus I. ad Cor. Cap. XI. scribens: *Probet autem se ipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Deferbuit dein paulo post, præsertim in Oriente mos ille percipiendi Eucharistiam quotidie, adeo ut S. Chrysost. Hom. III. in Epist. ad Ephes. scripserit: *Frustra habetur quotidiana oblatio, frustra stamus ad altare. Nemo est qui simul participet.* Quin Hom. XVII. in Epist. ad Hebr. conqueritur, multos semel tantum in anno, & aliquos rarius accedere. Ut vero omnes de Oblatione saltem aliquo modo participarent, eis qui Eucharistiæ Sacramentum non sumpserant, vel quia ob lethalem noxam nondum Confessione purgatam incapaces erant, vel ob dilatum Baptismum, ut Catechumeni, distribuebatur panis benedictus, cujus particulas

Communionem frequentem veterum Christianorum.

ticulas *Eulogias* vocabant Veteres: atque hæc participatio in latiori quodam sensu dicebatur Communio. Verum quidquid sit de Communionis frequentia veterum Christianorum, eos si in grave peccatum lapsi fuissent, divino præcepto ad Confessionem obligari aperte asserit S. Cypr. dum in Tractatu de Lapsis invehitur in illos, qui spreta Apostoli sententia, *Ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu Sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini & minantis*, Eucharistiam suscipiunt. Ratio in objectione allata omnino evanida est; non enim solus Episcopus confessiones omnium excipiebat, sed aucto Christianorum numero, id officii aliis quoque Presbyteris demandatum est: immo post Decianam persecutionem, labente paulatim disciplina & vitiis crebrescentibus, institutus fuit præcipue in majoribus Ecclesiis Presbyter Pœnitentiarius, qui Episcopum multis distentum negotiis sublevaret, Canonica singulorum crimina publicæ pœnitentiæ obnoxia discutiendo, reosque precationibus aliisque pœnitentiæ laboribus probando; donec impletis omnibus officiis ab Episcopo reconciliarentur, & Communione donarentur.

Neglectum Theologiæ Casuisticæ apud veteres.

186. Obj. V. Neglectus Theologiæ Casuisticæ seu Moralis apud Veteres. Prioribus sæculis XII. vix alii inveniebantur libri ad Moralem facultatem quoquo modo pertinentes, quam Canonum pœnitentialium collectiones: at posterioribus temporibus post Lateranensem Synodum sub Innocentio III., pleno velut agmine eruperunt Summæ, Confessariorum specula, Instructiones, Aphorismi, Directoria, Casuum conscientiæ decisiones &c. quibus capiendis vastæ Bibliothecæ vix pares sunt. Ergo ante sæculum XII. Confessio vel non erat in usu, vel saltem dicendum erit, Sacramentum Pœnitentiæ male fuisse administratum a Sacerdotibus, qui tot præsidiis erant destituti. Resp. C. A. N. C. Prioribus sæculis pauciores erant Confessarii, iique doctrina præstantes; populi non ita subtiliter in moribus ac disciplinis eruditi: Confessio

longe

longe rarior; leges & Decreta quibus Confeſsarius adstringitur, & quæ illi nefas est ignorare, longe pauciora: denique in difficilioribus casibus enodandis defectum qualemcunque librorum & instructionis copiosiori lumine Deum compensaſse merito existimamus. At vero post Lateranensis IV. Synodi tempora Confeſsio cœpit adhortatione Regularium præcipue, apud fideles eſse longe frequentior; ideoque auctus fuit etiam Confeſsariorum numerus, quorum plurimi, ut evenit in magno numero, cum animo & ingenio ita comparati non eſsent, ut vellent aut poſsent indefeſso studio morum disciplinæ vacare, libris indigebant quibus facile ac distincte docerentur quæ numeri huic cum fructu obeundo eſsent neceſsaria. Hinc Directorium quoddam conscripsit S. Bonaventura, quod Confeſsionale appellavit, Summam vero Theologicam S. Raymundus de Pennafort. Hos secuti sunt posteriorum temporum Theologi, modo universam Casuisticam Theologiam, modo partem aliquam vaſtæ hujus disciplinæ Commentariis suis complexi, quibus plurima poſteriorum Pontificum Decreta illuſtrantur, difficilioresque expediuntur quæſtiones; maximo sane juvenum Confeſsariorum commodo quibus alias difficile sane foret, dubia a magno pœnitentium numero litteris jam exculto proposita, commoda responsione diluere.

187. Dices. Scrupulorum morbus, præsertim circa Confeſsiones prius factas, noſtris temporibus adeo familiaris, antiquis fidelibus erat ignotus; nec Patres in curandis cæteris animi morbis adeo diligentes, de expellendo noxio hoc timore sermonem faciunt. Ergo fideles tunc temporis vel omnino non confitebantur, vel graviora tantum quædam peccata Sacerdotibus manifestabant. Resp. N. C. Quamvis eadem sit humani corporis structura, eædemque causæ conservantes; morbo tamen antiquis ignoto sæpe laboramus, ab illius infestatione viciſsim liberi, quem Majores nostri convivam, ut ita dicam, & domesticum experti sunt. Quare ut corporum, ita etiam

animo-

animorum morbi latentes habent causas, internas externasque, liberas sæpe ac voluntarias. Illud mihi verisimile videtur, ex eo tempore, quo circa mores de præceptorum obligationibus & diligentius disputari, & exactius scribi cœptum est, quosdam vitio suo ad timores dubiaque pronos, quæstiones has legentes vel audientes, oblata velut occasione, ad inanes quasdam dubitationes dilapsos esse, ubique laqueos, atque animæ suæ exitium suspicantes. Atque hanc esse causam existimo, ob quam scrupulorum morbus, qui olim paucorum erat, ideoque contemnebatur, nostris temporibus plures invaserit. Cui malo, utpote jam pervulgato, ut medicinam facerent Mysticæ Theologiæ Magistri, tractatus aliquos de ratione hanc scabiem curandi conscripsere. Vide Balthassarem Francolinum Lib. II. de Disciplina Pœnitentiæ, Cap. VI. VII. & VIII.

Frustra obtendunt auctoritatem Scripturarum.

188. Obj. VI. contra II. Conclusionem, Scripturarum auctoritas; quæ promittunt omni fideli vere pœnitenti remissionem peccatorum. Nam I. Ezech. Cap. XVIII. dicitur: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam: vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* II. Christus Joan. Cap. XIV. ait: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Ergo si peccatores remissionem peccatorum in nomine Christi a Deo petant, haud dubie eam obtinebunt, etiam absque confessione Sacerdoti facta. III. Matth. Cap. VI. jubemur orare: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Ergo sicut nos injurias nobis illatas proximo dimittimus, quin illum teneri velimus ad eas alteri manifestandas: ita Deus nobis peccata remittit, quin nos obliget ad confessionem Sacerdoti faciendam. IV. Magdalena, Zachæus, Petrus, aliique, leguntur in Evangelio veniam peccatorum obtinuisse, absque Sacramentali confessione. Resp. ad I. Deum omnibus veniam polliceri, si secundum statutas ab

eo le-

eo leges pœnitentiam agant, & remedia sibi procurent, quæ pro vario generis humani statu ejus providentia variis temporibus alia atque alia præparavit. Sicut ergo in veteri Lege interior mentis conversio satis non erat ad veniam criminum obtinendam, nisi præscriptis a Lege sacrificiis & purificationibus peccata expiarentur; ita in nova Lege non sufficit conversio mentis & contritio, sed necesse est ut peccator delicta sua Sacerdoti confiteatur, aut saltem confiteri firmiter proponat; secus falsa atque adulterina erit contritio illa. Ad II. Resp. Eos qui peccata sua Sacerdoti confiteri nolunt, non petere illorum veniam in nomine Christi; quia nolunt facere voluntatem Christi, & mediis uti ab illo institutis ad obtinendam veniam. Ad III. C. A. N. C. Dimissio est eadem; modus vero debita dimittendi alius in Deo est, alius in hominibus. Deus se diligentibus peccata dimittit, excitante gratia eos præveniens, & sanctificantem gratiam infundens: exigit tamen ab homine Confessionem Sacramentalem. At vero tenemur nos injuriam etiam inimicis condonare: non operamur quidem in ipsorum animis injuriam condonando; at neque illos cogimus ad condonatam injuriam alteri manifestandam. Ad IV. Resp. Sacramentum Pœnitentiæ eo tempore a Christo nondum institutum fuerat. Præterea quamvis institutum fuisset Pœnitentiæ Sacramentum, adeoque & Confessio, non negamus quin Christus, cujus potestas non est Sacramentis alligata, absque Sacramento gratiam conferre potuerit. Sed perperam inde colligitur, quod secundum ordinem ab ipso institutum, veniam & gratiam absque Sacramentis & ministerio Sacerdotum impetremus.

189. Obj. VII. Auctoritas S. Chrysost. Hom. XXI. ad populum Antiochenum, quæ *Catecheſis ad illuminandos* inscribitur, ait S. Doctor: *Neque hoc tantum eſt admirabile, quod nobis peccata dimittit; verum & quod ipſa non revelat, nec manifeſta facit aut conſpicua, nec cogit in medium procedentes quæ peccavimus enuntiare,* *S. Chryſoſtomi.*

re, ſed ſibi ſoli rationem reddere jubet, & ſibi confiteri. II. Hom. LVI. quæ est VIII. de Pœnitentia: *Non revelavit ulcus, non in commune theatrum accuſationem produxit, non delictorum teſtes ſtatuit. Intus in conſcientia, adſtante nemine præter eum qui cuncta videt Deum, inſtitue judicium, & peccatorum examen, atque inquiſitionem.* III. Hom. XXX. quæ est V. de incomprehensibili Dei natura, ait: *Quamobrem vos hortor & oro, crebrius & aſſidue Deo confiteamini. Neque enim te in theatrum duco conſervorum tuorum; non hominibus detegere peccata cogo. Conſcientiam coram Deo explica, & ipſi oſtende vulnera, & ab eo pete medicamenta. Oſtende ei qui non exprobrat, ſed curat: licet enim taceas, ille novit omnia. Dic ergo ut lucreris. Dic ut hic depoſito onere, abeas illuc purus & immunis, & intolerabili illa publicatione libereris.* Et Hom. IV. de Lazaro: *Nihil tam exitiale peccato, quam peccati accuſatio, condemnatioque pœnitudine lacrymisque conjuncta. Condemnaſti tuum peccatum, depoſuiſti ſarcinas. Quis hæc dicit? Ipſe Judex Deus. Dic tu peccata tua prior ut juſtificeris. Cur igitur te quæſo, pudeſcis, & erubeſcis dicere peccata tua? Num enim homini dicis, ut te probro afficiat? Num enim conſervo confiteris, ut in publicum proferat? Immo vero ei qui Dominus eſt, ei qui Medicus eſt, oſtendis vulnera. Neque enim ignorat, etiamſi tu non dixeris, qui ſciebat antequam perpetrares. - - - Non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere teſtes. Mihi ſoli dic peccatum privatim, ut ſanem ulcus, teque dolore liberem. Ideo nobis inſevit conſcientiam, eamque quovis patre amantiorem. Nam pater ubi ſemel, iterum ac tertio, decieſque filium increpaverit, ſi viderit incorrigibilem manere, deſperans abdicat, expellit e familia, a cognatione reſecat. At non ſic conſcientia.* Ergo S. Chrysostomus nullam agnovit neceſsitatem Confeſsionis Sacerdoti faciendæ.

190. Resp. ad I. Orationem illam Antiochiæ ad Catechumenos fuiſse habitam, ut ipsa inscriptio ostendit, quibus sufficit, cum nulla lege Confeſsionem Sacerdoti facere teneantur, si coram Deo delicta sua agnoscant

agnoscant & detestentur, ac spem firmam in divina clementia reponant, quæ in Baptismo omnia ipsis peccata dimittet. Ad II. Resp. S. Doctorem ibi loqui de quotidiana pœnitentia, sive de examine conscientiæ singulis diebus a fidelibus instituendo: item de contritione & lacrymis, quæ examinis illius comites esse debent. Hæc Confessio soli Deo facta, peccata leviora delet absque ministerio Sacerdotis; ad lethales autem noxas expungendas disponit quidem peccatorem, sed sola non sufficit absque Sacramentali Confessione apud Sacerdotem facta, vel ejus saltem proposito. Ad III. Resp. Solam ibi excludi necessitatem confessionis publicæ, coram omnibus faciendæ; non vero secretæ illius, quæ tantum coram Deo fit, ejusque Vicario Sacerdote. Duplici autem de causa ait S. Chrysostomus soli Deo aperienda esse peccata, non homini. Imo. Quia non publice, sed clam Sacerdoti erant declaranda; ita ut nullum omnino pœnitenti opprobrium aut detrimentum timendum esset, ob Sacramentalis sigilli sanctitatem quam Sacerdoti violare nefas est. II. Quia Sacerdos non suo, sed Christi nomine confessionem excipit. Quæ autem per Dei ministrum fiunt, Græci ipsi Deo tribuebant. Patet id tum exemplo ipsius Chrysostomi, qui Hom. L. in Matth. dicit, hominem non operari aut conficere Eucharistiam, quia operatur ut Minister Christi: tum ex libello Pœnitentiali Joannis Jejunatoris, in quo Sacerdos ita pœnitentem alloquitur: *Spiritualis fili! Ego confessionem tuam primario & præcipue non recipio, nec tibi absolutionem concedo; sed per me Deus (illius enim est opus ejusmodi) peccatorum tuorum confessionem suscipit, & per nostram vocem horum remissionem dispensat & largitur.* Itaque illis loquendi formulis excludere censendus non est S. Chrysostomus Confessionis apud Sacerdotes edendæ necessitatem, divina lege & Ecclesiæ moribus impositam cujuscunque peccati lethalis post Baptismum commissi reis, quam Lib. II. de Sacerdotio, Cap. III. & Lib. III. Cap. V. item Hom. XXX. in Gene-

sim, & Hom. XIX. in Epistolam ad Hebræos tam diserte adstruxit.

Aliorumque Patrum.

191. Obj. VIII. Auctoritas aliorum Patrum. S. Greg. Nyss. Epist. Canonica ad Letoium scribit, avaritiæ peccata absque cura prætermisa esse a Patribus, & sufficere ut publico doctrinæ sive instructionis sermone curentur. Ergo fideles peccata illa non confitebantur. II. S. Hilarius Enarratione in Psalm. LI. S. Ambr. Lib. X. in Lucam. S. Basil. in Psalm. XXXVII. S. Maximus Taurinensis Hom. V. de Pœnitentia Petri, docent exemplo Petri & Davidis sola contritione, sine oris confessione, peccatorum remissionem a Deo impetrari. III. Julianus Pomerius Lib. II. de Vita Contemplativa, Cap. VII. scribit: *Porro illi, quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri aut emendare noluerint, Deum quem habent testem, ipsum habituri sunt & ultorem.* IV. S. Aug. Lib. X. Confessionum, Cap. III. scribit: *Quid mihi ergo est cum hominibus, ut audiant confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam.* V. Ven. Beda Lib. V. in Lucam, Cap. LXIX. ait: *Quisquis hæretica pravitate, vel superstitione Gentili, vel Judaica perfidia, vel etiam schismate fraterno, quasi vario colore per Christi gratiam caruerit, necesse est ad Ecclesiam veniat, coloremque fidei verum, quem acceperit, ostendat. Cætera vero vitia, tamquam valetudines, & quasi membrorum atque sensuum, per semetipsum interius in conscientia & intellectu Dominus sanat & corrigit.* Ergo dicit, sola peccata idololatriæ, hæresis, Judaismi, ac schismatis Sacerdotibus esse aperienda.

192. Resp. ad I. S. Gregorium Nyssenum hoc dumtaxat sensu dicere, avaritiæ peccata absque cura prætermisa fuisse a Patribus, quod ii nullas pœnas canonicas adversus avaros decrevissent: non autem quod nulla pœnitentia secreta, a Sacerdote in Confessione

Sacra-

Sacramentali imposita, expianda esse existimassent. Illico enim S. Doctor subjungit: *Qui autem latenti ablatione sibi alienum usurpat, si deinde per declarationem peccatum suum Sacerdoti aperuerit, vitii studio in contrarium mutato, ægritudinem curabit.* Ad II. Resp. Laudatos Patres de contritione perfecta loqui, cujus tanta vis est, ut ante vocalem confessionem, non tamen absque ejus voto, peccata dimittat in Lege nova. Cæterum quod distinctam mentionem Confessionis non fecerint, minime mirandum est; tum quia de pœnitentia Davidis & S. Petri verba faciunt, quibus utique confessio illa necessaria non fuit, utpote nondum instituta: tum quia aliis locis Catholicam de Confessionis necessitate doctrinam aperte tradiderunt. Ad III. N. C. Verbis illis, *Si ea confiteri aut emendare noluerint*, significatur dumtaxat Confessionis aut emendationis defectum ad damnationem sufficere; quia nec prodest sine morum emendatione Confessio, nec sincera est absque Confessione emendatio. Unde licet utraque necessaria sit ad veniam promerendam, alterutrius tamen defectus atque omissio satis est ad divinam in peccatores ultionem provocandam. Ad IV. Resp. S. Augustinum non loqui de Sacramentali, sed de publica peccatorum suorum confessione, quam ipse scriptis suis vulgaverat. Ad V. Resp. N. C. Ven. Beda non asserit sola illa vitia esse apud Sacerdotes confitenda, cætera vero absque Confessione expiari; sed solum docet, necesse esse ut qui infidelitatis aliqua labe vel schismatis fraterni fuerint infecti, ad Ecclesiam redeant, palamque ejuratis erroribus, & suscepto Baptismate, vel schismate abdicato, fidei & unitati Ecclesiæ adhærere se publica fidei professione, & Sacramentorm communione testentur. Cætera vero crimina Dominum per se ipsum interius in conscientia sanare ait & corrigere: non quod Confessione Sacramentali non egeant, cujus necessitatem & usum vel solus Pœnitentialis illius liber satis ostendit; sed quod solemni receptione in Ecclesiam admitti necesse non sit eos, qui cætera

peccata

peccata commiserunt; quia sunt Ecclesiæ membra, licet mala valetudine laborantia. Certe peccata omnia lethalia Sacramentali Confefsione indigere agnovit Ven. Beda tum alibi sæpius, tum etiam in Commentario in Epistolam B. Jacobi; ait enim ibi: *In hac ſententia* (Confitemini alterutrum peccata vestra) *illa debet eſſe diſcretio, ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, eorumque credamus oratione ſalvari. Porro gravioris lepræ immunditiam juxta Legem Sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium, qualiter & quanto tempore juſſerit, purificari curemus.* Ubi vides, nomine gravioris lepræ intelligi omnia peccata gravia; quod omnia illa quotidianis levibusque delictis opponatur. Vide Natalis Alex. Diſsertat. XIV. de Sacramentali Confeſ. adversus Joannem Dallæum, in Hist. Eccles. Sæculi XIII. & XIV.

Ac veterum Theologorum, & Canoniſtarum.

193. Obj. IX. Auctoritas veterum Theologorum & Canonistarum. Petrus Lombardus Magister Sententiarum Lib. IV. Dist. XVII. littera C, proposita hac quæstione, utrum sufficiat peccata confiteri soli Deo, an vero opporteat confiteri etiam Sacerdoti, ait: *Quibusdam viſum eſt ſufficere, ſi ſoli Deo fiat Confeſſio, ſine judicio Sacerdotali & Confeſſione Eccleſiæ.* II. Gratianus Decr. Parte II. Distinct. I. de Pœnit. Causa XXXIII. Quæst. III. quærit, *Utrum ſola cordis contritione, & ſecreta ſatisfactione, absque oris confeſſione quisquam poſſit Deo ſatisfacere?* Tum propositis in utramque partem rationum momentis nihil pronuntiat, sed Lectori reservat judicium. *Quibus*, inquit, *auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque ſententia ſatisfactionis & Confeſſionis innitatur, in medium breviter expoſuimus. Cui autem harum potius adhærendum ſit, Lectoris judicio reſervatur. Utraque enim fautores habet, & religioſos viros.* III. Joannes Semeca Gratiani gloſsator in Tit. de Pœnit. Dist. II. ait: *Melius dici, Confeſſionem inſtitutam fuiſſe a quadam univerſali Eccleſiæ traditione potius quam ex novi & veteris Teſtamenti auctoritate.* Resp. ad I. Petrus Lombardus,

bardus, quamvis hæreseos notam contrariæ sententiæ non inurat, quia Ecclesiæ judicio nondum erat damnata; Catholicam tamen sententiam de necessitate Confessionis Sacramentalis aperte propugnat: illico enim subjungit cit. Distinct. XVII. littera D. *Ex his aliisque plurimis indubitanter ostenditur, oportere Deo primum, & deinde Sacerdoti offerri Confessionem; nec aliter posse perveniri ad ingressum Paradisi, si adsit facultas.* Cæterum quamvis Magistri sententiarum temporibus Theologi quidam Confessionem Sacramentalem jure divino necessariam esse negarent, eorumque opinionem toleraret Ecclesia; eam tamen sententiam Theologi graviores & doctiores constanter rejecerunt, ut S. Anselmus Cantuariensis Enarratione in Cap. XVII. S. Lucæ. Ivo Carnotensis Serm. XIII. in Capite jejunii, & Epist. CLVI. Goffridus Vindocinensis Lib. V. Epist. XVI. Rupertus Tuitiensis Lib. X. in Evang. S. Joannis, Cap. II. & Lib. I. in Levit. Cap. XXXVIII. Hugo Victorinus Lib. II. de Sacram. Fidei, Parte XIV. Cap. I. S. Bernardus Serm. III. de S. Andrea. Richardus a S. Victore in Tract. de Potestate ligandi & solvendi, Cap. V. VII. & VIII. Joannes Sarisberiensis Lib. V. Polycratici, Cap. V. Petrus Blesensis Lib. de Confessione Sacramentali. Ad II. Resp. Gratianum non loqui de præcepto seu necessitate Confessionis, sed de ipsius efficacia & effectu, ut patet ex inscriptione illius Distinctionis. Eo enim tempore magna contentione disceptabatur inter Theologos, an scilicet peccata dimittantur in Sacramento Pœnitentiæ, vel jam per contritionem prævium sint dimissa. Ad III. Resp. Semecam uti alibi sæpius, ita etiam hic lapsum esse ex imprudentia, vel imperitia in rebus Theologicis; ideoque emendandum esse & corrigendum, sicut admonent Editores Gratiani in Præfatione.

194. Obj. X. Nectarii CPolitani celebre factum. Quod jure divino institutum est, nullo umquam tempore ab Ecclesia abrogari potest. Atqui ad

Aut Nectarii CPolitani celebre factum

finem

finem sæculi IV. in Ecclesia Græca abrogata fuit Confessio Sacramentalis a Nectario Episcopo CPolitano, occasione nobilis ejus fœminæ, quæ se in Ecclesia a Diacono quodam vitiatam fuisse confessa est, ut referunt Socrates Hist. Eccles. Lib. V. in Cap. XIX. & Sozomenus Lib. VII. Cap. XVI. Ergo Confessio Sacramentalis non est jure divino instituta. P. m. Qui Presbyterum abrogavit excipiendis confessionibus destinatum, Confessionem ipsam penitus sustulit. Atqui Nectarius Presbyterum Pœnitentiarium abrogavit. Ergo ipsam Confessionem penitus sustulit. Resp. C. M. N. min. Ad *prob.* D. M. Qui abrogavit Presbyterum destinatum excipiendis confessionibus omnium & quorumcunque, is Confessionem ipsam penitus sustulit, C. M. Qui abrogavit Presbyterum destinatum excipiendis confessionibus eorum tantum, quibus publica erat agenda pœnitentia, quod in canonica crimina lapsi essent, N. M. Et sic dist. min. N. C. In Ecclesiæ primordiis ab ipsis plerumque Episcopis ferme omnia administrata sunt, quæ ad pœnitentes attinebant, cum & pauciores adhuc Christiani essent, & rariora delicta quæ publicam pœnitentiam exigerent. Posteaquam vero & fidelium numerus & majoris illa pœnitentiæ seges excrevit, graviora scilicet capitaliaque crimina; cum unus par omnibus esse non posset Episcopus, vicarium sibi Presbyterum substituit, quocum labores partiretur, quique iis potissimum audiendis vacaret, qui publica pœnitentia ex Canonum sanctione tenerentur. Atque hic Pœnitentiarius Presbyter vocabatur, cujus munus erat, censoria quadam & publica auctoritate morum sanctitati invigilare, excipere depositiones testium qui de patrato facinore reum accusabant, reum ad se vocare, cum testibus conferre; præesse denique publicis pœnitentibus, ac diligenter observare, ut qua par est cura pœnitentiæ stadium decurrerent. Pro reliquis fidelibus, qui publicam agere pœnitentiam non tenebantur, quod canonica crimina non admisisent, minutiores alii Sacerdotes constituti sunt, apud quos

peccata

peccata sua deponerent. Et sane plures fuisse in majoribus saltem urbibus Sacerdotes quibus fideles confitebantur, ex Hom. II. Origenis in Psalm. XXXVII. luculentissime patet, in qua vetustus hic Scriptor monet: *Tantummodo circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere.* Ubi enim unus supponitur huic officio destinatus, delectui locus non relinquitur. Et profecto quis inducat in animum, unicum dumtaxat Sacerdotum suffecisse excipiendis tot confessionibus in amplissima civitate CPolitana?

195. Dices I. Illud sustulisse Nectarius censendus est, ex quo scandalum & murmur populi exortum est. Atqui illud exortum est ex confessione illius delicti. Ergo. P. min. Socrates Hist. Eccles. Lib. V. Cap. XIX. scribit: *Mulier longius in confitendo progressa, alterius culpæ se ipsa insimulat: docet, Diaconum Ecclesiæ cum ipsa dormivisse.* Resp. N. min. ad *prob.* N. A. Christophorsonus antiquior Socratis interpres, Scriptoris Græci mentem non est assecutus; vox enim προβαινσα, quemadmodum Petavius & Valesius adnotarunt, non significat *ulterius in confitendo progredi*, sed *progressu temporis*, vel *tempore procedente.* Hunc citati loci sensum esse patet ex Sozomeno Lib. VII. Hist. Eccles. Cap. XVI. *Donec Matrona quædam nobilis, ob peccata, quæ confessa fuerat, jussa ab hoc Presbytero jejunare, ac Deum suppliciter orare; dum hujus rei causa in Ecclesia moraretur, a Diacono se stupratam esse prodidit. Quo cognito plebs omnis vehementer succensuit, eoquod contumelia illata esset Ecclesiæ.* Atque ex Theophane in Chronographia: *Nectarius vero CPolitanus Presbyterum sustulit, qui præpositus erat pœnitentiæ, ob flagitium a Diacono quodam in Ecclesia perpetratum cum fœmina, quæ in pœnitentia versabatur.* Ex quibus evincitur, mulierem hoc peccatum commisisse post peractam apud Pœnitentiarium Confessionem, dum causa injunctæ pœnitentiæ in Ecclesia moraretur.

196. Dices II. Crimen illud non potuit populo innotescere, nisi occasione Confessionis, vel quia a fœmina jussu Sacerdotis evulgatum est, vel quia Sacerdos ipse illud in publicum protulit. Ergo scandalum illud ortum est ex Confessione. Resp. N. A. Crimen illud nec a Sacerdote ipso, nec a fœmina illius jussu divulgatum esse ullus Veterum memoriæ prodidit, nec Sacramentalis sigilli sanctitas id patiebatur. Quod si molestius quæras, undenam aut quomodo hoc scelus dimanarit? Ajo, potuisse fœminam ad Pœnitentiarium accedere, & laicorum quorumdam ibi adstantium præsentiam nihil veritam, Diaconi crimen aperuisse, ut scelestus ille puniretur. Ajo, præ sceleris detestatione & dolore, illam amicæ mulieri Diaconi audaciam forte prodidisse; hanc vel aliis, ut fœminæ secreti tenaces sunt, vel Pœnitentiario Presbytero, istum Episcopo. Sed quis fœminei facti rationem dabit silente historia?

197. Dices III. Si Diaconi flagitium absque Pœnitentiarii culpa populo innotuisset, munus illud Nectarius non abrogasset. Atqui abrogavit. Ergo. N. M. Si qua Pœnitentiarii culpa interceſsisset, graviter pro eo ac par est, fuisset in ullum animadversum, gravissimaque coorta fuisset indignatio populi ob fractum Sacramentale sigillum. Atqui altum est de his apud Historicos omnes silentium. Itaque longe verisimillimum est, re vulgata, in Pœnitentiarium qui Matronam illam in Ecclesia morari jusserat, contumelias probraque jacta fuisse; eumque velut morosum, difficilem, incautum, imprudentem, violentum hominem vulgi sermonibus traductum: aliis non tam hominis hujus, quam quod gerebat muneris effecta hæc esse garrientibus, & periculosum adeo officium abolendum omnino esse seditioso rumore dictitantibus. Cesit tumultui Nectarius, & Pœnitentiarii munus abrogavit, ac cum eo pœnitentiam publicam suppressit, quam canonicorum criminum rei peragere tenebantur, & ad quam urgendam Pœnitentiarii munus institutum fuerat.

198.

198. Dices IV. Ecclesia notorios peccatores, cum expedire judicavit, semper coegit ad publicam pœnitentiam. Ergo Nectarius non potuit illam abrogare. Ergo Confessionem secretam sustulit. Resp. C. A. D. C. Nectarius non potuit abrogare jus Ecclesiæ cogendi peccatores notorios ad publicam pœnitentiam, C. Cosec. Non potuit usum illius juris abrogare. N. C. Quamvis nostris temporibus sublata sit pœnitentia publica, Ecclesia tamen semper retinet jus animadvertendi pœnis canonicis in publicos peccatores, ut Tridentina Synodus docet Sess. XXIV. Cap. VIII. de Reform.

199. Dices V. Pœnitentia publica viguit in Oriente etiam post tempora Nectarii. Ergo Nectarius usum pœnitentiæ publicæ non sustulit. P. A. ex S. Chrysostomo Nectarii successore, qui Hom. III. in Epist. ad Ephesios. Hom. IX. & XII. in Epist. ad Hebr. publicæ pœnitentiæ mentionem facit: item ex ejus discipulo S. Nilo Lib. III. Epist. CCXLIII. ad Charicium Presbyterum, atque ex Trullana Synodo A. 692. quæ Can. LXXXVII. de adulteris ait: *A Patribus enim nostris statutum est, ut qui sunt ejusmodi, annum defleant, biennio audiant, triennio substernantur, & sic oblatione digni habeantur.* Resp. D. A. Pœnitentia publica viguit, id est, illa quæ quatuor gradibus seu stationibus constat, nempe fletu, auditione, substratione, & consistentia, iisque exercitationibus quæ singulis gradibus respondebant, N. A. Pœnitentia longe mitior, & cum priore nequaquam conferenda, C. A. Decreto Nectarii fletus, auditio, atque impositio manuum sive substratio abrogata fuere, sola aliquamdiu retenta pœnitentium a Templo dimissione, ne Sacrificio interessent. Neque etiam videtur Nectarius pœnitentes a Dominici corporis communione exclusisse; eoquod a Socrate permisisse dicatur, ut unusquisque pro arbitrio & pro animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem accederet. Verum quidquid de Nectario hac in re dicatur, mos hic privandorum sacra Eucharistia pœnitentium in

ipsa CPolitana Ecclesia videtur revixisse; nihil enim apud posteriorum temporum Græcos usitatius erat, quam peccatores Eucharistica communione prohibere. Ad *prob.* & auctoritatem SS. Chrysostomi & Nili patet responsio ex dictis. Trullani Patres Can. LXXXVII. veterem disciplinam citant & laudant; at illam non innovant aut præcipiunt. Sic etiam in Capitularibus Caroli Magni, Ludovici Pii, Caroli Calvi &c. plurimi Canones antiqui referuntur, immo eorum observantia commendatur; non tamen ut eodem modo quo antiquitus observentur, sed pro more a Conciliis illa ætate constituto, qui plurimas antiquæ observationis circumstantias sustulerat.

200. Dices VI. Nectarius, suadente Eudæmone, permisit unumquemque pro arbitrio & pro animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem accedere. Ergo Confessionem etiam secretam sustulit; alias fideles non pro suo, sed Sacerdotis Confessarii arbitrio ad Communionem accessissent. Resp. C. A. N. C. Hæc facultas pro arbitrio Eucharistiam sumendi non intelligenda est absolute, ut judicium etiam Confessarii excludat, sed comparate ad priora tempora. Nimirum prioribus temporibus præter privatum auricularis ac secretæ Confessionis judicium, qui in canonica crimina lapsi erant cogebantur publicum Ecclesiæ adire tribunal; neque fas illis erat Eucharistiam suscipere priusquam cum Ecclesia publice reconciliarentur. Igitur cum publicum illud judicium a Nectario sublatum fuerit, suo fere arbitrio relicti videbantur; non absolute quidem, ac si secreta Confessarii sententia standum non fuisset; sed comparate ad priora tempora, quæ publicum insuper Ecclesiæ judicium exigebant.

201. Dices VII. Socrates Hist. Eccles. Lib. V. Cap. XIX. conqueritur collapsam ex hoc Nectarii facto disciplinam, laxioremque morum corruptelam invectam fuisse. *Ansam*, inquit, *ex eo singulis datam esse video, ut delicta sua invicem amplius non coarguant.* Et Sozomenus Lib. VII. Cap. XVI. *Antea minora*

erant

erant peccata, tum ob verecundiam eorum qui ſua ipſi delicta enuntiabant, tum ob ſeveritatem Judicum qui ad id erant conſtituti. Ergo satis indicant, sublatam a Nectario fuiſse Confeſsionem secretam. Resp. N. C. Leviora prius fuiſse peccata dicitur, quod & illa confiteri oportuerit, & a Pœnitentiario inflictas pœnas excipere: sublata autem per Nectarium publica pœnitentia, tametsi nihilo secius fideles peccata confiterentur; publice tamen nullam peccati sui significationem dabant, nec publicam illam infamiam subibant. Quamobrem aut nulla, aut certe longe leviori verecundia deinceps affecti sunt, quod scirent publica se ignominia ac diuturno cruciatu carituros, nullosque amplius fore delatores ac teſtes, qui graviorum criminum reos coram Pœnitentiario arguerent. Vide pereruditam Diſsertationem Francisci Ant. Zachariæ, de Pœnitentia Conſtantinopoli a Nectario sublata, insertam Tomo XI. Thesauri Theologici.

CONTROVERSIA VI.

AN ABSOLUTIONEM SACRAMENTALEM NECESSARIO PRÆCEDERE DEBEAT SATISFACTIO.

CONTRA JANSENIANOS.

Janſenianorum rigor erga pœnitentes.

202. Pervulgata eſt apud Jansenianos doctrina, executionem pœnitentiæ, sive satisfactionis a Sacerdote injunctæ, neceſsario ex institutione Christi, atque inviolabili Sacramenti natura præmittendam eſse Sacramentali absolutioni, ita ut absolutionem minime validam eſse pronuntient, nisi illam satisfactio præcedat. Hinc in foro Sacramentali incredibilis omnino atque exotitus eſt eorum rigor erga pœnitentes, quos etsi nulla prava consuetudine irretitos, ac seriam vitæ emendationem spondentes, peracta Confeſsione illico absolvere recusant, atque ab Eucharistica mensa quam diutiſsime arcent, quod abstinentiam ab Eucharistia potiſsimam eſse pœnitentiæ publicæ

partem

partem arbitrentur, ab omnibus ob quæcunque peccata gravia neceſsario peragendæ. Hic tamen rigor potiſsimum erga pauperes & ignotos ab iis exercetur; familiaribus enim, vel quorum opibus, opera ac patrocinio indigent, tam benignos se præbent, atque in absolutionis impertiendo beneficio tam liberales, quam illi e Religiosis Mendicantibus, quos veluti laxos & reconciliationis prodigos apud credulum vulgus traducunt. Ita complures sancte testati sunt, qui ab his deceptoribus circumventi, ad ipsos a Catholicis defecerant: inceſsit male sanos transfugas admiratio, quod tales rigoris exotici infamia laborarent, in quibus nihil ipsi deprehendere poterant a præcedentium Confeſsariorum methodo alienum.

Catholicorum doctrina.

203. Catholici omnes docent equidem ad subſtantialem Sacramenti Pœnitentiæ integritatem perinde eſse, sive absolutionem satisfactio præcedat, sive illam subsequatur: ideoque Janseniſtarum temeritatem execrantur, præsentem Ecclesiæ praxim palam improbantium; putant tamen eorum aliqui cum Morino, Petavio, Tournelio, Natale Alexandro &c. in veteri Ecclesia poſt institutam publicam pœnitentiam, lapsis in canonica crimina Sacramentalem absolutionem a peccatis lege communi & ordinaria datam non fuiſse ante expletam pœnitentiam publicam, ut Chriſtiani in persecutione continuis expositi aut martyrii aut apoſtasiæ periculis, contra lapsum munirentur difficultate reconciliationis, & ne Montaniſtis aut Novatianis ansa daretur Ecclesiam nimiæ benignitatis incusandi in recipiendis pœnitentibus. Alii tamen communius existimant, absolutionem illam quam olim Ecclesia post expletos pœnitentiæ labores publicis pœnitentibus publice concedebat, canonicam dumtaxat fuiſse & cæremonialem cum Ecclesia reconciliationem, hoc est, solutionem a pœnis canonicis; neutiquam vero Sacramentalem a peccatis absolutionem, quæ lapsis in canonica crimina, post acceptatam ab illis publicam pœnitentiam aut illico aut saltem paulo post impendebatur. Utrum vero tunc tem-

temporis Sacramentalis illa absolutio post expletam pœnitentiam simul conceſsa fuerit cum canonica, res ipsis videtur incerta, quam non putant antiquis monumentis satis clare poſse definiri.

Satisfactionem jure divino præmittendam non eſſe abſolutioni, oſtenditur auctoritate Scripturarum.

204. Conclusio I. Neque ex neceſsitate Sacramenti, neque ex præcepto Christi, per se loquendo neceſsarium est, ut satisfactio a pœnitente ante absolutionem impleatur. Dixi, *per ſe loquendo;* quia si Confeſsarius advertat pœnitentem in adimplenda satisfactione negligentem eſse, aut de ejus legitima dispositione dubitet, ut fieri solet in consuetudinariis, ipsum ad præmittendam saltem ex parte satisfactionem adstringere potest ac debet. Prob. Conclusio I. Exemplo Christi, qui tot absolutionibus post confeſsionem peccati a se benigniſsime impertitis Ecclesiam, ac futurorum temporum ministros edocere voluit misericordiæ suæ magnitudinem & auxiliantis gratiæ virtutem, ne ubi Paterfamilias liberalis est, dispensator sit tenax. Lucæ Cap. XXIII. culpam suam ut agnovit Latro, & ad Christum ait: *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum*, statim dici sibi audivit: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Publicanus Lucæ Cap. XVIII. percutiebat pectus suum, dicens: *Deus propitius eſto mihi peccatori;* statimque Christum nactus est justificationis auctorem pariter & testem. *Dico vobis, deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam.* Filius prodigus vix ad patrem reversus veniam erroris petiit, & illico obtinuit. Lucæ Cap. XV. *Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad ſervos ſuos: Cito proferte ſtolam primam.* Lucæ Cap. VII. Magdalena pedibus Domini affusa illico audivit: *Remittuntur tibi peccata.* Lucæ Cap. V. posteaquam Christus vidit fidem paralytici, dixit: *Homo remittuntur tibi peccata tua.* Joan. Cap. VIII. Christus mulieri adulteræ peccata sua confitenti ait: *Nec ego te condemnabo.* Ex quibus verbis S. Aug. Tract. XXX. in Joan. & Ven. Beda in Cap. VIII. Joan. colligunt,

gunt, mulierem illam fuisse consecutam a Christo beneficium reconciliationis.

Patrum. 205. Prob. II. Auctoritate Patrum. S. Aug. Tract. XXII. in Joan. ait: *Mortuus in corde tuo tamquam in sepulcro jacebas, & tamquam saxo malæ consuetudinis gravaberis. Surge, & procede. Quid est, Surge, & procede? Crede, & confitere. Qui enim credit, surrexit: qui confitetur, processit. Quare processisse diximus confitentem? Quia antequam confiteretur, occultus erat: cum autem confitetur, procedit de tenebris ad lucem. Et cum confessus fuerit, quid dicitur ministris? quod dictum est ad funus Lazari: Solvite illum, & sinite abire.* Et quidem statim, quemadmodum statim solvi jussus est Lazarus, qui peccatoris confitentis typum gessit. S. Greg. M. Hom. XXVI. in Evangelia: *Illos debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare. Quæ nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in ipsa jam cognoscitur confessione peccati.* S. Chrys. in Hom. de S. Philogonio, ad populum habita diebus quinque ante Christi Nativitatem, ait: *Neque mihi quisquam dixerit, Vereor, habeo conscientiam peccatis oppletam, sarcinam circumfero gravissimam. Sufficit enim horum quinque dierum tempus, si sobrius fueris, si attentus, si vigilaveris ut multitudinem peccatorum reddas contractiorem. Nec illud perpende, quod breve est tempus; sed illud considera, quod benignus est Dominus: quandoquidem & Ninivitæ tridui spatio tantam iram Dei a se depulerunt. Nec obstitit illis temporis angustia, sed animi promptitudo amplectens Domini benignitatem totum peragere valuit. Et meretrix illa brevi temporis momento, cum ad Christum accessisset, omnia probra diluit.* S. Eligius Hom. XIII. *Si hodie pariter confessus, ac devote conversus fuerit peccator, ut valeat dignus interesse solemnitati præsentis diei, quæ quia in ea Dominus cum Apostolis suis cœnavit, Cœna vocatur, videat summopere ut Sacramenta corporis & sanguinis Domini digne recipere queat, quatenus potius salutem quam damnationem sibi acquirat.* Ubi vides,

vides, peccatoribus scelera sua vere detestantibus ævo S. Eligii non dilatam fuisse absolutionem; cum nulla mentio hic fiat satisfactionem illi præmittendi: neque peccatores hortatus sit S. Episcopus, ut a Sacerdote non absoluti Eucharistiam sumant.

Ac Pontificum.

206. Prob. III. Auctoritate Pontificum. Sixtus IV. hanc Petri de Osma Salmaticensis Doctoris propositionem damnavit: *Non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia eis injuncta.* Alexander VIII. A. 1690. complures propositiones ex Libro Antonii Arnaldi de frequenti Communione excerptas, tacito auctoris & libri hujus nomine, solemni Decreto proscripsit. XVI. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.* XVII. *Per illam praxim mox absolvendi ordo Pœnitentiæ est inversus.* XVIII. *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.* Clemens XI. in Bulla *Unigenitus* plures Quesnelli errores Apostolico mucrone confixit, atque hos inter etiam illum, quo Sacramentalem absolutionem omnibus indiscriminatim peccatoribus differendam esse, nec ipsis absque prævia satisfactione concedendam docebat. Propositio LXXXVII. damnata ita sonat: *Modus plenus sapientiæ, lumine & charitate est, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.* LXXXVIII. *Ignoramus, quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.*

Ex præsenti Ecclesiæ disciplina.

207. Prob. IV. Ex præsenti Ecclesiæ disciplina quæ hodiedum viget, & apud Latinos quidem jam a VII. sæculis; apud Græcos vero a temporibus Necta-

rii Constantinopolitani semper viguit, absolvendi peccatores rite dispositos statim post confessionem Sacerdoti factam. Ergo cum Ecclesia circa Sacramentorum substantiam nihil statuere aut mutare possit, atque a Spiritu Sancto non minus ac antiqua Ecclesia perpetuo regatur, juxta illud Matth. Cap. XXVIII. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Et Joan. Cap. XIV. *Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*, satisfactio neque ex necessitate Sacramenti, neque ex præcepto Christi, per se loquendo præmittenda est absolutioni.

Et praxi veteris Ecclesiæ.

208. Prob. V. Ex praxi veteris Ecclesiæ, quæ etiam post institutam publicam pœnitentiam, in quibusdam saltem casibus, peccatores publicæ pœnitentiæ obnoxios absolvebat ante impletam satisfactionem. Ac I^mo quidem, cum urgebat mortis periculum, aut quando in discrimine versabatur pœnitentis salus. Ita cautum legimus in Nicæno I. Can. XIII. Carthaginensi IV. Cap. LXXVI. Arausicano Can. III. Epaonensi Can. XXXVI. a S. Innocentio I. Epist. ad Decentium, Cap. VII. S. Leone M. Epist. LXXX. alias XCII. ad Theodorum Forojuliensem. II. Cum periculum erat, ne propter dilatam absolutionem pœnitentes ad hæreticos vel schismaticos deficerent, ut patet ex S. Cypriani Epistola LII. ad Antonianum data. III. Cum instabat persecutio Tyrannorum, ut idem S. Cypr. scribit Epist. LIV. ad Cornelium. IV. Cum Martyres datis libellis postulabant, ut lapsis pœnitentia relaxaretur, ac pax & communio iisdem concederetur. Atque hujus disciplinæ aperte pluribus locis meminit Cyprianus, quamvis de nimia Martyrum facilitate in dandis promiscue his libellis conqueratur. V. Cum lapsi post scelus commissum, arduum aliquid & eximium edebant, aut patiebantur pro Christi gloria. Atque ideo S. Cypr. Epist. XX. ad Caldonium Episcopum scribit: *Recte sensisti circa impertiendam fratribus nostris pacem, quam sibi ipsi vera pœnitentia, & Dominicæ confessionis*

fessionis gloria reddiderunt, sermonibus suis justificati, quibus se ante damnaverant. Cum ergo abluerint omne delictum, & maculam primam assistente sibi Domino posteriore virtute deleverint, jacere ultra sub diabolo quasi prostrati non debent; qui extorres facti, & bonis suis omnibus spoliati, erexerunt se, & cum Christo stare cœperunt. VI. Cum pœnitentes vehementem & intensum de peccatis suis dolorem demonstrabant. Ita S. Gregor. Nyssenus Epist. ad Letoium, Can. V. *In iis quoque*, inquit *pœnitentis voluntate examinata, ut sit fide digna conversio, non servetur annorum numerus, sed temporis prolixitate resecata, ad Ecclesiæ restitutionem & boni participationem compendio deducatur.* Et Ancyrana Synodus A. 314. Can. V. *Statuimus, ut Episcopi modo conversionis examinato, potestatem habeant vel utendi clementia, vel plus temporis adjiciendi. Ante omnia autem & præcedens vita, & quæ consecuta est, examinetur, & sic eis indulgentia impertiatur.* VII. Cum ex reditu lapsorum ingens aliquod bonum in Ecclesiam redundabat, ut schismatis extinctio vel imminutio, aut multorum ad Ecclesiam reductio. Sic S. Cornelius Papa, ut ipse scribit ad S. Cyprianum Epistola inter Cyprianicas XLVI, Maximum, Urbanum, Sidonium, Macarium, ac plerosque fratres, qui se Novatiano adjunxerant, ad Ecclesiæ unitatem redeuntes benigne suscepit, condonata eis statim omni pœna, Maximo etiam Presbytero in gradum honoremque pristinum recepto. De eodem S. Cornelio scribit S. Cypr. Epist. LII. ad Antonianum, susceptum ab eo fuisse Trophimum redeuntem ad Ecclesiam cum multis fratribus, quos ab ea secum abstraxerat, nulla alia ipsi satisfactione imposita, quam quod Sacerdotii dumtaxat gradu illum dejecerit, solamque ipsi permiserit communionem laicam, id est, perceptionem Eucharistiæ extra cancellos altaris una cum laicis. Atqui si vetus Ecclesia judicasset, satisfactionem sive ex præcepto divino, sive ex necessitate Sacramenti præmittendam esse absolutioni, pro nullo casu validam eam ac ratam habuisset, quando a Sacerdoti-

bus ante peractam pœnitentiam impendebatur pœnitenti.

Ac ratione.

209. Prob. VI. Ratione. Satisfactio eſt dumtaxat pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ; quia si non semper, saltem sæpiſsime administratum fuit, atque adhuc administratur hoc Sacramentum etiam ante satisfactionem, ut patet ex iis quæ paulo ante attulimus. Atqui integralis non debet neceſsario præmitti parti eſsentiali ejusdem rei: & sine illa stat tota eſsentia compositi. Ergo satisfactio non debet neceſsario præmitti absolutioni.

Ultima absolutio, quæ olim pœnitentia functis concedebatur, fuit potiſſimum reconciliatoria cum Eccleſia.

210. Conclusio II. Verisimilius est, quo tempore in usu fuit pœnitentia publica, Sacramentalem a peccatis absolutionem lege communi & ordinaria datam fuiſse aut statim aut paulo post Confeſsionem, ante expletam pœnitentiam: ideoque ultimam illam absolutionem, quæ pœnitentia perfunctis concedebatur, fuiſse potiſsimum reconciliationem cum Ecclesia quoad oblationes & participationem Eucharistiæ. Dixi, *potiſſimum;* si quis enim contenderet, geminas fuiſse datas absolutiones Sacramentales, primam quando peccator rite dispositus secreta confeſsione delicta sua Sacerdoti aperuit; alteram ab Episcopo expleta jam pœnitentia publica, simulque cum illa absolutionem a pœna canonica pro foro externo, plenamque cum Ecclesia reconciliationem; id haud gravate concedimus, cum hodiedum etiam nihil sit usitatius quam pœnitentem ab eodem peccato sæpius in Sacramento Pœnitentiæ absolvi: modo nobis concedatur, etiam ante expletam pœnitentiam publicam, imposito tamen onere illam peragendi ob notoria crimina, pœnitentibus rite dispositis aut statim, aut paulo post Confeſsionem, datum fuiſse beneficium absolutionis a culpa peccatorum, id quod in præsentiarum evincere contendimus.

Eccleſia enim nullam habuit rationabilem causam

211. Prob. Conclusio I^mo. Ecclesia nullam habuit rationabilem causam differendi omnibus publicis pœnitentibus absolutionem, donec pœnitentiam publicam expleviſsent: contra vero multa suadebant be-

nefi-

neficium absolutionis citius esse concedendum. Ergo cum Ecclesia imprudenter atque inconsulte agere nequeat, tamdiu illis non distulit absolutionem. Prob. I. pars Anteced. Ecclesiæ satis constabat de sufficienti dispositione pœnitentis, hoc ipso quod ille gravissimam eamque publicam pœnitentiam in Confessione se subiturum polliceretur, aut si ita velis, eam reipsa actu inchoaret, submittens se publice in sacco & cinere pedibus Episcopi, aut vicarii Sacerdotis. Gravis illa ac diuturna pœnitentia medium erat satis efficax ad deterrendos fideles a publicis delictis canonicis; nullaque Montanistis ac Novatianis dabatur ansa nimiam Ecclesiæ benignitatem in recipiendis pœnitentibus incusandi, cum viderent tam diuturnis gravibusque pœnis in illos animadverti. Ergo Ecclesia nullam habuit prudentem rationem tamdiu differendi absolutionem. Prob. etiam altera pars Anteced. Si tamdiu dilatum fuisset Sacramentalis absolutionis beneficium, pœnitentes sæpe per longius tempus vixissent spoliati gratia sanctificante, privati meritis, merendique copia, æternæ salutis amittendæ periculo expositi, si repentina morte abriperentur. Ergo rationabile gravis damni periculum mitius cum illis agendum esse suadebat. Neque dicas, relictum illis fuisse remedium charitatis & contritionis perfectæ, cujus ope gratiam justificantem obtinerent: nam hoc medium arduum est, & volatus multis nimium sublimis. Profecto medicina saluberrima, Salvatoris sanguine parata, tamdiu differenda non erat, ut sæpius ægri obirent, & perirent æternum, antequam immites medici eamdem applicarent.

tamdiu illis differendi absolutionem Sacramentalem.

212. Prob. II. Evertendo præcipuum fundamentum adversariorum. Ecclesia vetus non semper absolvit pœnitentes a culpa simul & a pœnis quibusdam canonicis: adeoque duæ erant absolutiones, quas vetus Ecclesia usurpabat. Ergo ex eo quod post expletam pœnitentiam lapsi legantur fuisse absoluti, legitime inferri nequit, Sacramentalem absolutionem tamdiu eis fuisse dilatam. P. A. Imo. Ex Sozomeno, qui

Atque alias conflat, duas olim ab Ecclesia usurpatas fuisse absolutiones.

qui Hist. Eccles. Lib. VII. Cap. XVI. duarum absolutionum aperte meminit, ubi de Pœnitentiario Presbytero, ejusque officio scribit: *Ad quem accedentes ii qui deliquerant, actus suos confitebantur; ille vero pro cujusque delicto quid aut facere singulos, aut luere oporteret, pœnæ loco indicens, absolvebat confitentes, a se ipsis pœnas criminum exacturos.* En prima absolutio Sacramentalis ante satisfactionem. Posteaquam vero ritum in pœnitentia publica observari solitum descripsit, secundam absolutionem, seu reconciliationem cum Ecclesia commemorat: *Ubi vero præstitutus dies advenit, tamquam debito quodam persoluto, a pœna commissi sceleris liberatur, & reliquo Ecclesiæ populo sociatur. Hæc Episcopi Urbis Romæ jam inde ab ultima vetustate ad nostram usque ætatem custodiunt.* Neque verisimile est, Hermiam Sozomenum, qui Historiam suam circa A. 440. conscripsit, post abrogatam Constantinopoli a Nectario pœnitentiam publicam annis circiter L. in re notissima a vero aberrasse, præcipue cum nullam habuerit mentiendi causam; Novatianus enim secta cum fuerit, finxisset potius nullam datam fuisse absolutionem. II. Ex eo, quia reconciliatio illa ultima jam sæculo III. urgente necessitate, & ex dispensatione Episcopi dabatur etiam a Diaconis. Ergo cum Diaconi in nullo casu possint esse ministri Sacramenti Pœnitentiæ, reconciliatio illa ultima erat mere cæremonialis. Anteced. ostenditur ex S. Cypriano Epist. XIII. *Occurrendum puto fratribus nostris; ut qui libellos a Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra apud Presbyterum quemcunque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint; ut manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverant.* Idem evincitur ex Can. XXXII. Synodi Eliberitanæ: *Apud Presbyterum, siquis gravi*

lapsu

lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, ſed potius apud Epiſcopum: cogente tamen infirmitate neceſſe eſt Presbyterum communionem præſtare debere; & Diaconum, ſi ei juſſerit Sacerdos. III. Pœnitentibus in mortis periculo constitutis, & delictorum veniam exposcentibus, quamvis denegaretur reconciliatio canonica cum Ecclesia, conceſsa tamen fuit Eucharistia: ideoque antequam illa porrigeretur, administratum iis fuit Sacramentum Pœnitentiæ. Quod si vim morbi evasiſsent, tenebantur solita pœnitentium onera subire, ut reliqui omnes pœnitentes nondum cum Ecclesia reconciliati. Patet id ex Carthaginensi IV. A. 398. Capit. LXXVI. *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſsus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſin verſus fuerit; dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia. Si ſupervixerit, admoneatur a ſupradictis teſtibus, petitioni ſuæ ſatisfactum; & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probaverit.* Et Capit. LXXVIII. *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint.* Item ex Arausicano I. A. 441. Can. III. *Si ſupervixerint, ſtent in ordine pœnitentium: & oſtenſis neceſsariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant.* Ergo duæ erant absolutiones, quas vetus Ecclesia usurpabat; Sacramentalis una a peccatis, altera cæremonialis a pœnis canonicis.

Argumenta contraria refutantur.

213. Objicitur I. contra I. Concl. Auctoritas Pontificum. Zephyrinum Romanum Pontificem Tertullianus Lib. de Pudicitia, Cap. I. ita loquentem inducit: *Ego mœchiæ & fornicationis delicta pœni-*

Janſenianis non favet auctoritas Pontificum.

pœnitentia functis dimitto. S. Innocentius I. Epist. ad Decentium, Cap. VII. scribit: *Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis: ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.* S. Leo M. Epist. LXXXII. alias XCI. ad Theodorum: *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Ergo satisfactio præmitti necessario debet absolutioni. Resp. D. C. Satisfactio præmitti debet necessario necessitate Sacramenti, aut præcepti divini, N. C. Necessitate præcepti Ecclesiastici, quod tunc vigebat quidem, sed modo sublatum est, subdist. Satisfactio præmitti debebat reconciliationi pœnitentis cum Ecclesia, C. Consec. Reconciliationi cum Deo per absolutionem Sacramentalem, N. C. S. Zephyrinus hoc responso suo non quid a Deo præceptum fuerit, sed disciplinam Ecclesiæ indicat; nec de absolutione Sacramentali, sed de cæremoniali a pœnis canonicis loquitur. S. Innocentius vel congruæ satisfactionis nomine intelligit fletus & lacrymas pœnitentis, qui animo contrito commissa detestatur peccata cum serio melioris vitæ proposito, vel de communione Ecclesiastica intelligendus est, ad quam nemo admittebatur, nisi expleta pœnitentia canonica. Eadem responsio datur ad locum illum ex S. Leone.

S. Cypriano. 214. Obj. II. Auctoritas S. Cypriani. S. Doctor Tract. de Lapsis scribit: *Emersit, fratres dilectissimi, novum genus cladis; & quasi parum persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam.* Ergo S. Cyprianus existimavit, jure

divino

divino absolutioni præmittendam esse satisfactionem; alias non dixisset, *contra Domini ac Dei legem* laxari communicationem, neque *irritam ac falsam* pacem pronuntiasset. II. Tractatu eodem paulo post laudata verba pergit S. Doctor: *Operiuntur morientium vulnera: & plaga lethalis altis & profundis visceribus infixa, dissimulato dolore contegitur. A diaboli aris revertentes, ad Sanctum Domini sordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini corpus invodunt. . . . Ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu Sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini & minantis, pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non est pax illa, sed bellum.* Ergo persuasissimum fuit Cypriano, absolutioni præmittendam esse satisfactionem. III. Idem Epist. LIX. ad Fidum, Therapii factum, qui Victori cuidam Presbytero, antequam is pœnitentiam plenam egisset, præpropera festinatione pacem dederat, vehementer improbavit. Resp. ad I. Id unum S. Cyprianus revocat ad jus divinum, quod Deo exhibenda sit satisfactio, quia jure divino ad laboriosam pœnitentiam obstringimur. Atque hinc merito insurgit adversus lapsos in persecutione, qui propter libellos a Martyribus obtentos audacter postulabant ab omni onere pœnitentiæ liberari, ac statim se Ecclesiasticæ communioni restitui. At vero pœnitentiam prius explendam esse quam cum Ecclesia reconcilientur, & communionem obtineant, non revocat ad Christi legem, aut necessitatem in institutione & natura Sacramenti fundatam; sed ad usum & disciplinam, quæ vigebat ea ætate in Ecclesia Africana. Ad II. N. C. Cypriano persuasissimum erat, non Sacramentali absolutioni, sed Eucharisticæ communioni & reconciliationi cum Ecclesia præmittendam esse satisfactionem, juxta dispositionem Canonum & legum Ecclesiasticarum illius temporis. Cyprianus itaque loco cit. invehitur tum in eos, qui suppli-

ciorum metu in idololatriæ crimen lapsi erant, quod solis Martyrum libellis muniti, absque confeſsione & absolutione Sacramentali, Euchariſtiam sumere non verebantur; multaque ad eos deterrendos adducit divinæ ultionis in sacrilege communicantes exempla: tum etiam in ipsos Sacerdotes, qui nullam habentes ad reconciliandos tanti criminis reos auctoritatem (lapsus enim in idololatriam casus erat Episcopis reservatus, annexam habens excommunicationem pariter reservatam) ausi tamen erant, Episcopo non consentiente, Sacramentum reconciliationis illis administrare, quod merito S. Doctor vocat irritam & falsam pacem, periculosam dantibus, & accipientibus nihil profuturam. Adde, quod lapsi in idololatriam a perceptione Euchariſtiæ Ecclesiasticis legibus arcerentur, quas illi sine maximo piaculo infringere non poterant. Ad III. Resp. S. Cyprianus improbavit, non quod Therapius Episcopus Victorem Sacerdotem Sacramentaliter absolverit; sed quod ante impletum tempus pœnitentiæ publicæ eidem Victori pacem dederit per publicam cum Ecclesia reconciliationem. Profecto si S. Cyprianus existimaſset, jure divino, aut ex neceſsitate Sacramenti præmittendam eſse satisfactionem, illico pacem illam a Therapio datam reſciciſset tamquam irritam & inanem. At vero illam ratam habuit, ut ipse S. Cypr. testatur Epist. cit. *Quæ res*, inquit, *nos ſatis movit, receſſum eſſe a Decreti noſtri auctoritate, ut ante legitimum & plenum tempus ſatisfactionis, & ſine petitu & conſcientia plebis nulla infirmitate urgente, ac neceſſitate cogente pax ei concederetur; ſed librato apud nos diu conſilio, ſatis fuit objurgare Therapium Collegam noſtrum, quod temere hoc fecerit, & inſtruxiſſe, ne quid tale de cætero faciat. Pacem tamen quomodocunque a Sacerdote Dei ſemel datam non putavimus auferendam, ac per hoc Victori communicationem ſibi conceſsam uſurpare permiſimus.*

Aliorumque Patrum. 215. Obj. III. Auctoritas aliorum Patrum. S. Aug. dubitavit saltem de valore absolutionis moribundis datæ ante expletam satisfactionem. Sermone enim

enim CCLV. inter rejectos in Appendicem, alias LVII. de Tempore, scribit: *Parum eſt peccatorem pœnitere, niſi pœnitentiam peregerit: ad emendanda enim crimina vox pœnitentis ſola non ſufficit: nam in ſatisfactione ingentium peccatorum, non verba tantum, ſed opera quæruntur. Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non poteſt denegari; ſed auctores tamen eſſe non poſſumus, quod qui ſic petierit, mereatur abſolvi. - - Pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma eſt. Pœnitentia quæ a moriente tantum petitur, timeo ne ipſa moriatur.* Idem sensiſse videtur etiam S. Cypr. Epiſt. LII. ad Antonianum, immo tota Ecclesia, quæ pœnitentes gravi morbo urgente absolutos, poſtquam convaluerant, ad explendam publicam pœnitentiam urgebat. II. S. Greg. M. aut quicunque alius auctor Expositionis in Lib. I. Regum, Lib. VI. Cap. II. ait: *Signum veræ confeſſionis non eſt in oris confeſſione, ſed in afflictione pœnitentiæ. Tunc namque vere converſum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis auſteritate delere nititur, quod loquendo confitetur.* III. Patres sæpiſsime aſserunt, non tam facile placari Deum, sed longo fletu opus eſse, ut culpæ eluantur. Resp. ad I. S. Augustinum, si tamen Sermo ille legitimus est S. Doctoris fœtus, de valore absolutionis moribundis datæ non dubitaſse ex eo capite, quod hæc satisfactionem præceſserit; sed quia raro veram ac sufficientem contritionem habent peccatores illi, qui conversionem ad mortem usque differunt. Sermone enim CCLIV. inter rejectos in Appendicem, alias LXVI. de Tempore, scribit: *Pœnitentia quamvis ſit exigui temporis, ſi intima cordis amaritudine agitur, non deſpicitur apud Judicem juſtum Deum, qui cordis ſecreta conſiderat. Non enim longitudinem temporis tantum requirit Deus, quantum affectum ſinceritatis pœnitentis penſat.* Pari de causa conversio usque ad mortem dilata, displicuit S. Cypriano; quia sentiebat recte præsumi sinceram illam non eſse, sed mortis urgentis metu extortam. Non aliam habuiſse se metuendi causam, ipse S. Cypr.

aperte prodit Lib. contra Demetrianum. *In isto*, inquit, *adhuc mundo manenti pœnitentia nulla sera est. Patet ad indulgentiam Dei aditus, & quærentibus atque intelligentibus veritatem facilis accessus est. Tu sub ipso licet exitu, & vitæ temporalis occasu pro delictis roges: & Deum qui unus & verus est, confessione & fide agnitionis ejus implores; venia confitenti datur, & credenti indulgentia salutaris de divina pietate conceditur, & ad immortalitatem sub ipsa morte transitur.* Graves & publici peccatores in mortis periculo absoluti, si postea convaluissent, ad tertium pœnitentiæ gradum qui prostratorum erat, ab Ecclesia redigebantur: non quod illa datam absolutionem invalidam putaret, alias illos non absolvisset; sed quia adhuc eis incumbebat onus satisfaciendi pro pœna temporali nondum remissa per opera laboriosa pœnitentiæ. Ad II. C. A. N. C. Afflictationes corporis sunt veræ conversionis indices; at nec infallibiles, nec necessarii, ita ut sine illis vera conversio ex aliis etiam signis prudenter a Sacerdote præsumi ac detegi nequeat; alias Ecclesia pro nullo casu lapsos absolvisset ante præstitam satisfactionem, quod tamen ab illa sæpius factum esse eruditis omnibus est exploratum. Ad III. Resp. Patres sic loqui I^mo ad retundendam nimiam aliquorum securitatem, qui post brevem pœnitentiam tam certo se Deo reconciliatos putabant, ut suorum peccatorum penitus obliviscerentur, nec amplius veniam a Deo peterent, perinde ac si ea non commisissent. II. Quia privatio auxiliorum efficacium, quorum auxilio usque ad mortem perseveratur, est justissima pœna peccati præteriti, licet quoad culpam jam condonati. Atque ad hujus pœnæ remissionem Patres docent prærequiri longos fletus & labores.

Aut ratio Theologica.

216. Obj. IV. Ratio. Absolutio a peccatis est merces ac debitum: satisfactio est pretium ac solutio. Atqui mercedis natura postulat, ut non detur, nisi præmissa solutione. Ergo etiam natura absolutionis exigit, ut non detur ante satisfactionem. II. Absolutio est forma Sacramenti Pœnitentiæ, satisfactio

ctio est pars materialis. Atqui materia præmitti debet formæ. Ergo etiam satisfactio absolutioni. III. Reus in foro judiciali si potest, satisfacere tenetur antequam absolvatur. Ergo etiam in foro Sacramentali, quod judicii rationem habet. IV. Non potest a Sacerdote absolvi, qui non dignoscitur esse contritus. Sed nemo dignoscitur esse contritus, nisi ex fructibus pœnitentiæ. Ergo. Resp. ad I. D. M. Satisfactio est pretium & solutio pro remissione culpæ & pœnæ æternæ, N. M., hæc enim gratis a Deo remittitur in Sacramento Pœnitentiæ. Est pretium & solutio pro remissione pœnæ temporalis, C. M. Ex hoc argumento id unum sequitur, quod adversariis libenter damus, pœnam temporalem peccatis debitam non remitti ordinarie, donec debitum istud congrua satisfactione expungatur, quia illa est pretium & solutio pro obtinenda remissione pœnæ temporalis. Ad II. D. M. Satisfactio est pars materialis essentialis, N. M. Integralis, C. M. & D. min. Materia essentialis præmitti debet formæ, C. min. Materia integralis, N. min. Ad III. C. A. D. C. Ergo etiam in foro Sacramentali reus antequam absolvatur, tenetur satisfacere pro pœna temporali, C. Consec. Pro culpa & pœna æterna, N. C. Pro remissione culpæ & pœnæ æternæ aliam satisfactionem Deus non exigit quam Confessionem Sacerdoti factam cum serio dolore, peccatorum detestatione, ac firmo vitæ melioris proposito. Ad IV. Resp. C. M. N. min. Qui peccata sua demisse confitetur, seque de illis dolere asserit, paratus Deo pro peccatis suis satisfacere, etiam antequam pœnitentiæ fructus alios produxerit, prudenter judicatur a Sacerdote satis dispositus & contritus, nisi aliæ circumstantiæ ejus dispositionem dubiam reddant; alias neque moribundi, neque in propinquo mortis periculo constituti umquam absolvi possent.

Absolutionem Sacramentalem dilatam

217. Obj. V. contra II. Concl. Auctoritas Pontificum: S. Siricius Papa Epist. ad Himerium Tarraconensem, Cap. III. de Christianis idololatria pollutis,

fuisse ad finem usque pœnitentiæ canonicæ, non evincit auctoritas Pontificum.

tis, & subinde pœnitentibus ait: *Si resipiscentes forte aliquando fuerint ad lamenta conversi, his quamdiu vivunt, agenda pœnitentia est, & in ultimo fine suo reconciliationis gratia tribuenda: quia docente Domino, nolumus mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Ergo ultima illa reconciliatio non cæremonialis solum, sed etiam Sacramentalis erat, utpote necessaria ut peccator a morte excitetur, & vivat. II. S. Leo M. Epist. LXXXII. alias XCI. ad Theodorum jubet, ut pœnitens qui e vita excesit ante acceptam reconciliationem, mortuus non possit habere quod vivus non accepit, id est, non fruatur communione Ecclesiastica, nec consequenter preces ac sacrificia pro ipso publice in Ecclesia offerantur: *Quod manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est nos eorum qui sic obierunt, merita actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservaverit: ita potestatem suam timeri volens, ut hic terror omnibus prosit, & quod quibusdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali supplicatione solvatur.* Ergo excedentibus ante expletam pœnitentiam subito casu, non fuit data initio pœnitentiæ, statim vel paulo post confessionem criminum absolutio Sacramentalis; alias S. Leo eis post mortem communionem Ecclesiasticam non denegasset. Resp. ad I. Id omne posse adversariis concedi: fuerit ultima illa reconciliatio non cæremonialis tantum, sed etiam Sacramentalis; modo nobis concedatur, peccatores vel statim peracta confessione, vel saltem paulo post inchoatam pœnitentiam publicam fuisse Sacramentaliter absolutos, quod nullibi inficiatur Siricius. Quamquam si verba Siricii spectentur, *Docente Domino, nolumus mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat*, non videntur præcise referenda ad ultimam illam reconciliationem, sed ad totam etiam priorem pœnitentiam, privatam & publicam. Certe con-

conversio talis pœnitentis jam ante finem vitæ facta est; & tamen additur, *Ut convertatur.* Ergo etiam licet jam antea pro foro conscientiæ tantum fuerit absolutus a culpa peccati, addi nihilominus potuit; *Nolle Deum mortem peccatoris.* Ad II. Resp. I. N. C. S. Leo potuit illis post mortem denegare communionem Ecclesiasticam, non quia a peccatis absoluti non erant; sed partim quia dum viverent, meruerunt a precibus & oblationibus fidelium excludi; partim ad aliorum terrorem, ne ejusmodi criminibus conscientiam inquinarent. Adde, quod absque periculo æternæ salutis potuerint illi post mortem a precibus Ecclesiæ excludi; at non sine discrimine tamdiu eis beneficium absolutionis differri. Resp. II. S. Leonem non loqui de vere pœnitentibus, sed de his qui mortui erant sine absolutione, ex culpa & negligentia sua, ut satis indicare videntur verba S. Leonis superius laudata: *Et quod quibusdam tepidis aut negligentibus accidit.* Profecto verisimile non est, S. Leonem id denegasse, quod complura Concilia juste concesserunt, & concedendum esse dixerunt. Sic Carthaginense IV. A. 398. Cap. LXXIX. ait: *Pœnitentes, qui attente pœnitentiæ leges exsequuntur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.* Vasense sub Pontificatu S. Leonis habitum A. 442. Can. II. statuit: *Pro his qui pœnitentia accepta, in bonæ vitæ cursu satisfactoria compunctione viventes, sine communione inopinato nonnumquam transitu, in agris aut itineribus præveniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam Ecclesiastico affectu prosequendam; quia nefas est eorum commemorationes excludi a salutaribus sacris, qui ad eadem sacra fideli affectu contendentes, dum se diutius reos statuunt, indignos salutiferis mysteriis judicant: ac dum purgatiores restitui desiderant, absque Sacramentorum viatico intercipiuntur: quibus fortasse nec absolutissimam reconciliationem Sacerdos denegandam putasset.* Et Arelatense II. sub eodem S. Leone habitum A. 452. Can. XII. *De his qui in*

pœnitentia

pœnitentia positi vita excesserunt, placuit nullum communione vacuum debere dimitti; sed pro eo quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius suscipiatur.

Aut Patrum. 218. Obj. VI. Auctoritas Patrum. S. Ambr. Lib. II. de Pœnit. Cap. IX. scribit: *Non nulli ideo poscunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quam Sacerdotem ligare: suam enim conscientiam culpa non exeunt, & Sacerdotis induunt, cui præceptum est: Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas ante porcos.* II. Idem Lib. II. de Pœnit. Cap. III. ait: *Quotiescunque peccata donantur, corporis ejus Sacramentum sumimus; ut per sanguinem ejus fiat peccatorum remissio.* Ergo cum pœnitentibus porrecta non fuerit Eucharistia, nisi post expletam pœnitentiam publicam; ita etiam non nisi post illam data eis fuit absolutio. III. S. Pacianus Epist. I. ad Sympronianum: *Scio, frater, hanc ipsam pœnitentiæ veniam non passim omnibus dari; nec antequam aut interpretatio divinæ voluntatis, aut forsitan visitatio fuerit, relaxari: magno pondere magnoque libramine, post multos gemitus effusionemque lacrymarum, post totius Ecclesiæ preces, ita veniam veræ pœnitentiæ non negari.* IV. Gennadius Lib. de Dogmatibus Ecclesiasticis, Cap. XXIII. alias LIII. *Quem mortalia crimina post Baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, & ita Sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad judicium & condemnationem sui Eucharistiam percipere.* Similia habet S. Eligius Hom. VIII. in Cœna Domini. Resp. ad I. S. Ambrosium loqui de illis, qui pœnitentiam publicam petebant, statim sibi communionem reddi poscentes, contra Ecclesiasticos Canones, qui communionem publicis pœnitentibus vetabant. Et sane S. Ambrosium loco cit. agere de pœnitentia publica, patet tum ex iis, quæ citata verba immediate præcedunt: *Plerique futuri supplicii metu, peccatorum suorum conscii pœnitentiam petunt; & cum acceperint, publicæ supplicationis revocantur pudore. Hi videntur malorum petiisse pœnitentiam,*

tiam, agere bonorum. Non nulli ideo poſcunt pœnitentiam &c. Tum etiam ex Cap. X. subsequente: *Merito reprehenduntur, qui ſæpius agendam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Chriſto. Nam ſi vere agerent pœnitentiam, iterandam poſtea non putarent; quia ſicut unum baptiſma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur.* Ad II. N. C. S. Ambrosius veriſsime id dicit, sive de publice & solemniter, sive de secreto pœnitentibus loquatur. Etenim publice pœnitentes, expleta jam satisfactione ultima donabantur absolutione, quæ a Patribus absoluta condonatio vocatur, quia ea erat plena & totalis, & post illam non agebatur amplius cum pœnitente tamquam cum reo; atque ita cum aliis fidelibus ad Mensam Eucharisticam admittebatur: secreto autem pœnitentes post Confeſsionem secretam statim communicabant, nisi circumstantiæ aliud suaderent. Ad III. Resp. S. Pacianum nobis minime adversari; non enim ait culpam a Sacerdotibus non condonari, nisi post multos gemitus ac fletus; sed solum pœnitentiam non relaxari, sive illius peragendæ tempus non contrahi, nisi post luculenta intensæ contritionis indicia. Ad IV. Resp. Gennadius nullam hic absolutionis Sacramentalis, sed Communionis percipiendæ mentionem facit. Ad hanc si pœnitens injuſsu Episcopi acceſsiſset ante expletam pœnitentiam, graviter peccaſset grave præceptum violando, quo vetabatur id facere: sicque Eucharistiam ad judicium & condemnationem sumpsiſset. Eadem datur responsio ad Hom. VIII. S. Eligii, quam plurimi ex Eruditis putant eſse supposititiam.

219. Obj. VII. Ratio. Si statim post Confeſsionem, aut paulo post incœptam publicam pœnitentiam, absoluti fuiſsent a peccatis qui in publica & canonica crimina sunt lapsi, Ecclesia illis Eucharistiam non denegaſset, usquedum totum asperæ pœnitentiæ cursum confeciſsent. Atqui certum est denegatam illis fuiſse ab Ecclesia Eucharistiam. Ergo. P. M. I^mo. Ultima illa absolutio canonica fuiſset inanis quædam cæremonia, ob quam non oportuiſset tam- *Nec ratio Theologica*

diu fideles arcere a sacra mensa. II. Pax cum Ecclesia pluris habita fuisset quam cum Deo, ita ut hæc statim donaretur; ea vero non nisi multo labore multisque lacrymis compararetur. III. Ecclesia inhumane ac crudeliter egisset, reconciliatum jam cum Deo, adeoque penitus innocentem castigando gravissima pœnitentia tot annorum. Resp. N. M. Ad . Resp. Pœnitentes publici, quamvis ratione solius pœnitentiæ publicæ excommunicati non essent, multis tamen privabantur bonis, præsertim jure offerendi cum aliis fidelibus ad altare, & postea communicandi, usquedum cum Ecclesia reconciliarentur. Ex quo apparet, ultimam illam reconciliationem nequaquam inanem atque otiosam fuisse. Ad II. Resp. Asperam illam pœnitentiam fuisse partem integralem Sacramenti, eamque non solum impositam esse, ut pœnitens Ecclesiam a se offensam placaret, utque in gratiam cum illa redire mereretur; sed præcipue ut graviorum culparum reus divinæ justitiæ in hac mortali vita satisfaceret, ac pœnam temporalem, quam peccando promeruerat, averteret: utque præterea piis illis exercitationibus vacans virtuti assuesceret, & a relapsu præservaretur. Quamquam neque incongrua dicenda foret tam longa pœnitentia, etiamsi ex eo tantum capite fuisset imposita, ut soli Ecclesiæ satisfieret. Novum quippe & inusitatum non est, quod in hac vita severior sit humana vindicta quam divina, & pax cum Deo offenso minoris stet quam cum homine; id enim divinam bonitatem commendat, at humanam justitiam non damnat. Ad III. Resp. Falsum esse, quod nonnisi inhumane ac crudeliter puniatur innocens, si ita est innocens ut fuerit reus: ita absolutus a culpis, ut non fuerit absolutus a pœnis: ita reconciliatus, ut non fuerit in integrum restitutus. Sic autem plerumque reconciliantur pœnitentes cum ipso Deo, ut non tota simul pœna remittatur cum culpa. Vide plura hac de re apud Jacobum Fontaine in Constitutione Unigenitus Theologice propugnata, Tomo III. in Propositionem

Ques-

Quesnelli LXXXVII. Balthassarem Francolinum in Veteris Ecclesiæ severitate a calumniis vindicata, Disput. XI. Josephum Biner in Apparatu Eruditionis, Parte IV. Cap. III. Artic. IV. Paragrapho II.

CONTROVERSIA VII.

DE SATISFACTIONE.

CONTRA PROTESTANTES.

220. *Satisfactio* quam peccator Deo præstat, est pœnæ temporalis acceptatio vel voluntaria perpessio, quam pœnitens vel sibi ipsi sponte imponit, vel a Sacerdote injunctam habet, ad reparandam quantum fieri potest injuriam Deo per peccatum illatam, & expungendam pœnam temporalem. Dixi I. *Ad reparandam quantum fieri potest injuriam*; impossibile est enim a pura creatura condignam & adæquatam satisfactionem Deo præstari pro injuria illata; quia per nullum puræ creaturæ obsequium Deus tantum honorari potest, quantum fuit per offensam dehonoratus; ut solide ostendunt Theologi in Tractatu de Incarnatione. Dixi II. *Ad expungendam pœnam temporalem*; satisfactio enim pro culpa, & quæ eam necessario in hac providentia consequitur pœna æterna, ab homine præstari nequit; tum quia hæc acceptatione ipsius Dei necessario indiget, ideoque amicitiam illius præsupponit, qua tamen homo peccando excidit; tum quia injuria Deo per peccatum irrogata, suo modo est infinita ex parte objecti: honor autem, quem satisfactio hominis Deo exhibet, est finitus, nullam habens ex parte satisfacientis dignitatem; cum ante remissionem culpæ & pœnæ æternæ opera satisfactoria non fiant ab ipso homine ut membro Christi, & filio Dei adoptivo. Gratis itaque culpa & pœna æterna a Deo remittuntur, nullamque pro illis, si stricte loquamur, satisfactionem exigit Deus; quamvis teneatur peccator delicta sua contrito corde confiteri. *Quid sit satisfactio?*

Et Quotuplex?

221. Satisfactio pro pœna temporali peccatis debita, duplex est, Sacramentalis alia, & altera non Sacramentalis, eaque vel de condigno vel de congruo. Satisfactio *Sacramentalis* est actio laboriosa & pœnalis in Sacramento Pœnitentiæ a Sacerdote tamquam judice injuncta, & a pœnitente acceptata: atque hæc sola est pars Sacramenti, quia a clavibus proficiscitur; ideoque hæc sola ex opere operato remissionem causat pœnæ temporalis. Satisfactio *non Sacramentalis* est actio laboriosa & pœnalis, non a Ministro Sacramenti imposita, sed ab ipso pœnitente ultro suscepta, ad compensandam Dei injuriam, & expungendam pœnam temporalem. Satisfactio sive in Sacramento, sive extra illud, alia est de congruo, alia de condigno. Satisfactio pro pœna temporali *de congruo* caret æqualitate, & fundatur dumtaxat in titulo cujusdam convenientiæ. Satisfactio *de condigno* consistit in æqualitate quadam satisfactionis cum pœna, pro qua satisfit, & fundatur in titulo justitiæ saltem late talis, nempe in fidelitate Dei in servandis promissis, quibus Deus pollicitus est remissionem pœnæ temporalis, si exhiberetur talis satisfactio.

Conditiones ad satisfactionem de condigno.

222. Ad satisfactionem de condigno eædem requiruntur conditiones, quas ad meritum de condigno requiri diximus T. IV. Artic. III. Controv. II. Ac Imo quidem debet opus satisfactorium esse liberum, quia remittit pœnam temporalem per modum meriti, ad quod requiritur libertas actus; secus ac fit in satispassione, quæ etiam ab invito præstari potest. II. Debet opus hoc esse honestum, quia tale est, ut propter illud ex justitia quadam saltem late dicta non infligatur pœna debita. At opus malum, aut etiam indifferens, non potest esse tale. III. Ut sit pœnale; quia est actus justitiæ vindicativæ, qua homo in se vindicat ac punit injuriam Deo factam per peccatum: vindicta autem exercetur per opus pœnale. Quod si qui Viri sancti in exercendis asperis etiam pœnitentiæ operibus nullam aut exiguam difficultatem experiantur, id fit per accidens, nec oritur ex ipsis operi-

operibus, sed ex charitate & virtutibus acquisitis. Quare illorum bona opera non ideo minorem vim satisfactoriam, immo regulariter majorem habent; eo quod illa opera de se pœnalia & laboriosa ab illis facilius, promptius, alacrius atque intensius exerceantur, ac proinde sint perfectiora, majorisque æstimabilitatis. IV. Debet esse supernaturale, id est, fieri ex auxilio gratiæ, & ex motivo supernaturali per fidem proposito; secus nullam haberet proportionem ad remissionem pœnæ supernaturalem, & naturæ indebitam. V. Opus illud debet fieri in statu gratiæ; quia nullum opus, quamtumvis pium & honestum habet sine gratia sanctificante dignitatem illam moralem necessariam ad constituendam æqualitatem cum remissione pœnæ temporalis luendæ. Spiritualem certe vitam in Christo ante meritum & satisfactionem nostram videtur Tridentina Synodus præsupponere verbis illis Sess. XIV. Cap. VIII. *Omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ.* VI. Ex parte Dei requiritur, ut opus satisfactorium acceptetur, sive ut Deus promiserit, remissurum se pœnam temporalem intuitu operis boni. Ratio est, quia bona opera justorum multis aliis titulis Deo debentur, & exigi ab eo possunt titulo supremi dominii tamquam sibi debita, absque ulla remuneratione.

223. Genus bonorum operum, quibus Deo satisfit, triplex a Theologis enumeratur, Oratio, jejunium, eleemosyna; tum quia ea simul conjungit Scriptura Tobiæ Cap. XII. *Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna:* tum quia ad hæc tria cætera quæcunque satisfactionis opera facile possunt revocari, ut observat S. Aug. Lib. de Perfectione justitiæ, Cap. VIII. *Jejunio scilicet universam corporis castigationem significans,* (Christus) *eleemosynis omnem benevolentiam & beneficentiam, vel dandi, vel ignoscendi; & oratione insinuans omnes regulas sancti desiderii.* *Quotuplex genus satisfact. operum?*

224. Circa modum satisfaciendi observo Imo. Quamvis magis efficax sit satisfactio quæ fit ex indebitis; satis- *Circa modum satisfaciendi*

quid observandum?

satisfieri tamen posse divinæ justitiæ etiam per opera aliunde debita. Sic satisfacimus Deo per jejunia, quæ ex mandato Ecclesiæ debent observari: Martyr quoque Deo satisfacit per martyrium, etiam cum tenetur illud in defensionem fidei sustinere. Atque in eo elucet maxime Dei benignitas ac clementia, quod nobis ea ad præmium & mercedem imputet, quæ ex justitia a nobis potest exigere. Cæterum opera quæ sunt aliis titulis debita, ordinarie a Sacerdote injungenda non sunt pœnitentibus pro satisfactione Sacramentali: nam Confessarius tenetur injungere salutarem & convenientem pœnitentiam, quæ sit non solum ad novæ vitæ custodiam, sed etiam ad peccatorum præteritorum vindictam & castigationem, ut docet Tridentinum. At quomodo Sacerdos dici poterit talem pœnitentiam injungere, si ea tantum injungat opera, ad quæ implenda teneretur pœnitens, etiamsi non peccasset? Observo II. Satisfacere nos Deo etiam per voluntariam acceptationem & perpessionem ærumnarum, quibus cœlestis Pater nos erudit & castigat quamdiu in hac vita versamur, sive illæ a Deo positive immittantur, sive a causis naturalibus vel liberis, juste vel injuste nobis eveniant; eoquod omnia non sine permissione & præscientia divina contingant, & ab infinita ejus bonitate ad nostram salutem ordinentur. Observo III. Satisfieri Deo non tantum per opera laboriosa a Sacerdote injuncta, sed etiam per opera ab ipso pœnitente sponte atque ultro suscepta. De pœnis sponte assumptis innumera habemus in Scripturis exempla & testimonia. Job. Cap. XLII. *Ago pœnitentiam in favilla & cinere.* Psal. XXXIV. *Humiliabam in jejunio animam meam.* Psal. LXVIII. *Posui vestimentum meum cilicium.* III. Reg. Cap. XXI. ait Deus ad Eliam: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus.* I. ad Cor. Cap. IX. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Ad Coloss. Cap. I. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi.*

Chriſti, in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia. Accedunt exempla virorum ſanctitate illustrium, quibus abundat Historia Ecclesiastica, & Patrum libri, pleni exhortationibus ad opera pœnitentiæ laboriosa sponte suscipienda.

Satisfactionis utilitas.

225. Satisfactionis utilitas maxima est ac luculenta. Nam I. Peccatorum reliquias purgat, pravosque habitus tollit. *Non ſatis habet*, inquit S. Chrysost. de Davide Hom. II. in Psalm. L. *curatum eſſe vulnus; etiam cicatricem ſanari, priſtinum etiam decorem reſtitui petit.* II. A peccato revocat, & quasi fræno quodam peccati licentiam coercet. S. Pacianus Epist. III. ad Sympronianum ait: *Fortaſſe paterer hoc credi*, (Deum ansam peccandi præbere, lapsis veniam promittendo) *ſi pœnitentia deliciæ putarentur, cui labor tantus imponitur, cui carnis interitus imperatur, cui juges lacrymæ, cui gemitus ſempiterni. Volet ergo ille ſanatus iterum ſe ſecari, rurſus exuri? Volet peccare iterum, & iterum pœnitere?* III. Internum ac serium pœnitentis dolorem manifestat. S. Aug. in Enchiridio, Cap. LXV. scribit: *Quia plerumque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, neque in aliorum notitiam per verba, aut quæcunque alia ſigna procedit, - - - recte conſtituuntur ab iis qui Eccleſiis præſunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat ſatis etiam Eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata: extra eam quippe non remittuntur.* IV. Arcet pœnas, a Deo alioquin infligendas. S. Aug. Serm. CCLXXVIII. alias XXXIV. de Diversis, Cap. XII. *Si tu te punire volueris, parcet ille. Qui autem agit bene pœnitentiam, ſuus ipſe punitor eſt. Sit oportet ipſe ſeverus in ſe, ut in eum ſit miſericors Deus.* V. Nos Christo capiti nostro, qui tot dura & acerba nostri gratia perpessus est, conformes efficit. S. Bernardus Serm. V. in Festo OO. SS. ait: *Non ſicut eſt, ſed ſicut pro nobis factum Caput noſtrum, nobis repræſentatur; non coronatum gloria, ſed peccatorum noſtrorum circumdatum ſpinis. Pudeat ſub ſpinoſo capite membrum fieri delicatum.*

226. Ne-

Errores Proteſtantium.

226. Neceſsitatem satisfactionis Deo præstandæ de medio auferre conati sunt Lutherus & Calvinus, eorumque sectatores. Cujus erroris causam triplicem afferebant. Prima erat, quia, inquiebant, non potest peccatum condonari a Deo, quin simul pœnæ totius tum æternæ tum temporalis plena remiſsio fiat. Secunda; quia putabant ejusmodi satisfactionibus satisfactioni a Christo pro nobis exhibitæ injuriam irrogari. Tertia; quia negabant Deo pro peccatis, quantum ad pœnam temporalem, poſse satisfieri per pœnas, quæ sive a Deo infliguntur, sive a Sacerdotibus imponuntur, seu denique sponte ac voluntarie a pœnitente suscipiuntur. Hinc Lutherus in Aſsertione Articuli V. scribit: *Vehementer odi, & ſublatum vellem hoc vocabulum Satisfactio, quod non modo in Scripturis non invenitur, ſed & periculoſum habet ſenſum, quaſi Deo quisquam poſſit pro ullo peccato ſatisfacere, cum gratis ille ignoſcat omnia.* Melanchton in Apologia Confeſs. August. Art. de Confeſsione & Satisfactione: *Hæc tota res commentitia eſt, recens conficta, ſine auctoritate Scripturæ & veterum Scriptorum Eccleſiaſticorum. Ac ne Longobardus quidem de ſatisfactionibus hoc modo loquitur. Scholaſtici viderunt eſse in Eccleſia ſatisfactiones, nec animadverterunt, illa ſpectacula inſtituta eſse tum exempli cauſa, tum ad probandos hos qui petebant recipi in Eccleſia. In ſumma non viderunt eſſe diſciplinam, & rem prorſus politicam: ideo ſuperſtitioſe finxerunt, eas non ad diſciplinam coram Eccleſia, ſed ad placandum Deum valere.* Calvinus fatetur quidem veterem Ecclesiam pro nobis stare, sed illius judicio suum ſtultiſsime præfert; scribit enim Lib. III. Institutionis, Cap. IV. Paragr. XXXVIII. *Parum me movent, quæ in Veterum ſcriptis de ſatisfactione paſſim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam ſimpliciter omnes fere quorum libri exſtant, aut hac in parte lapſos eſse, aut nimis aſpere & dure locutos.*

Condonata culpa, non ſemper con

227. Conclusio I. Post condonatam culpam, ac pœnam æternæ mortis, sæpiſsime adhuc superest pœna

na temporalis persolvenda. Ostendimus id auctoritate Scripturarum & Patrum, & quæ a Protestantibus opponuntur dissolvimus Tomo III. Articulo V. Controversia unica de Purgatorio, Conclusione I. *donatur pœna temporalis.*

228. Conclusio II. Pœna temporalis, quæ post dimissam culpam luenda remanet, redimi potest bonis operibus, saltem ordinarie. Dixi, *saltem ordinarie;* fit enim quandoque, ut pœna temporalis in hac vita luenda redimi nequeat, si nimirum Deus pœnam aliquam ita constituit, ut nullam pro ea redemptionem velit accipere. Talis fuit pœna illa Davidis, II. Reg. Cap. XII. *Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur:* licet David multis lacrymis, oratione, ac jejunio mortem a filio propulsare frustra contenderit. Sic Moysi moriendum fuit in monte Nebo, antequam terram promissionis ingrederetur, ob peccatum quod ad petram Oreb commiserat; quamtumvis longioris vitæ spatium a Deo postulaverit, ut ipse Moyses fatetur Deuteron. Cap. III. *Nec exaudivit me, sed dixit mihi: Sufficit tibi: nequaquam ultra loquaris de hac re ad me.* Talis est etiam quoad omnes homines mors corporis, peccati originalis stipendium, quam nullus quantalibet sanctitate conspicuus umquam potuit effugere. *Pœnam temporalem posse redimi bonis operibus.*

229. Prob. Conclusio I^mo Script. auctoritate. II. Paralip. Cap. VII. ait Dominus: *Si clausero cœlum, & pluvia non fluxerit, & mandavero & præcepero locustæ, ut devoret terram, & misero pestilentiam in populum meum: conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam a viis suis pessimis: & exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum.* Jeremiæ Cap. XVIII. ait Dominus: *Repente loquar adversus gentem, & adversus regnum, ut eradicem, & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam: agam & ego pœnitentiam su-* *Ostenditur ex Scripturis.*

per malo, quod cogitavi ut facerem ei. Danielis Cap. IV. *Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Jonæ Cap. III. *Et vidit Deus opera eorum* (Ninivitarum) *quia conversi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit.*

Et Patribus. 230. Prob. II. Auctoritatæ PP. Tertull. Lib. de Pœnit. Cap. VI. ait: *Quam porro ineptum, pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere? Hoc est pretium non exhibere, ad mercedem manum emittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit; hac Pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem.* Orig. Hom. XV. in Leviticum: *Si tamen invenerit manus tua pretium quod restituat. Quale pretium? Pœnitentiæ sine dubio lacrymis congregatum, & manibus, id est, labore boni operis inventum.* S. Cypr. eos reprehendens, qui pacem pœnitentibus dabant ante expletam satisfactionem, Epist. LV. ad S. Cornelium ait: *Elaborant, - - ne Deo indignanti satisfiat. - - - Datur opera, ne satisfactionibus & lamentationibus justis delicta redimantur.* S. Hilar. Can. IV. in Matth. *Quia charitas plurimum peccatorum tegit, & errorum nostrorum ambitiosa apud Deum patrona est; novissimum pœnæ quadrantem solvemus, nisi pretio ipsius aliquantorum criminum culpa redimamur.* S. Ambr. Lib. II. de Abel & Cain, Cap. III. *Crimina bonis operibus fideique pretio, & miseratione redimamus.* Et lib. de Elia & jejunio, Cap. XX. *Habemus plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus. Pecuniam habes? Redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es: redime te operibus tuis, redime te pecunia tua.* S. Leo Serm. I. de Jejunio decimi mensis: *Oratione propitiatio Dei quæritur, jejunio concupiscentia carnis extinguitur, eleemosynis peccata redimuntur.* Ergo juxta Patres pœnæ temporales a Deo justo scelerum ultore alias infligendæ, possunt redimi bonis operibus, tamquam pretio quod divinæ justitiæ a nobis persolvitur. Merito itaque hanc Protestan-

testantium doctrinam proscripsit Tridentina Synodus Sess. XIV. Can. XIV. *Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit.*

Justus vere potest Deo satisfacere pro pœna temporali.

231. Conclusio III. Homo justus vere potest Deo satisfacere pro reatu pœnæ temporalis, ita ut opera pia sint compensatoria pœnæ temporalis pro peccato dimisso debitæ. Prob. Conclusio Imo Scripturarum iisdem locis, quibus paulo ante ostendimus bonis operibus redimi pœnas temporales: non enim minus ad justitiam pertinet redemptio quam satisfactio; & si bonis operibus tamquam pretio pœna temporalis redimitur, hoc ipso divinæ justitiæ a nobis fit satis. Prob. II. Auctoritate PP. qui diserte satisfactionis nostræ Deo prestandæ meminerunt. Tertull. Lib. de Pœnit. Cap. VIII. ait: *Delictum nostrum Domino confitemur, non quidem ut ignaro; sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. --- In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.* Et Cap. VII. *Offendisti, sed reconciliari adhuc potes; habes cui satisfacias, & quidem volentem.* Orig. Hom. VI. in Exodum: *Penitendo, flendo, satisfaciendo delrat quod admissum est.* S. Cypr. Tract. de Lapsis: *Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus est. - - - Orare oportet impensius, & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari. --- Qui sic Deo satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti, plus & virtutis & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit; exauditus & adjutus a Domino, quam contristaverat nuper, lætam faciet Ecclesiam: nec jam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.* S. Ambr. Lib. VII. in Lucam: *Sicut qui pecunias solvunt, debitum reddunt, nec prius evacuatur fœnoris nomen, quam totius sortis ad nummum usque quo-*

cunque ſolutionis genere quantitas univerſa ſolvatur; ſic compenſatione charitatis actuumque reliquorum, vel ſatisfactione quacunque peccati pœna diſſolvitur. Et Tract. ad Virginem lapsam, Cap. VIII. *Grandi plagæ alta & prolixa opus eſt medicina: grande ſcelus grandem neceſſariam habet ſatisfactionem.* S. Hier. Comment. in Cap. I. Joelis: *Qui peccator eſt, & quem remordet propria conſcientia, cilicio accingatur, & plangat ſua delicta, - - - & cubet, vel dormiat in ſacco, ut præteritas delicias, per quas Deum offenderat, vitæ auſteritate compenſet.* S. Aug. in Enchiridio, Cap. LXX. *In melius eſt vita mutanda, & per eleemoſynas de peccatis præteritis eſt propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodam modo, ut ea ſemper liceat impune committere; nemini enim dedit laxamentum peccandi; quamvis miſerando deleat jam facta peccata, ſi non ſatisfactio congrua negligatur.* Prob. III. Auctoritate Tridentini Seſs. XIV. Can. XIII. *Siquis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, ſed neque ſponte ſuſceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam eſſe tantum novam vitam; anathema ſit.*

Satisfactio eſt lapſis jure divino neceſſaria ad reparandam injuriam Deo illatam.

232. Conclusio IV. Satisfactio est lapsis jure divino neceſsaria, non solum ad aliorum exemplum, ad præcavenda peccata, & reconciliationem cum Ecclesia, verum etiam ad reparandam injuriam per peccata præcedentia Deo illatam, & ad redimendam pœnam temporalem, quæ post remiſsionem culpæ & pœnæ æternæ remanet luenda vel in præsenti vel in altera vita. Prob. Concl. Imo Auctoritate Script. Joelis Cap. II. dicitur: *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.* Ubi species ponitur pro genere, & nomine jejunii significantur opera pœnalia, Lucæ Cap. III. Præcursor Christi Judæis pœnitentiæ causa ad se venientibus dicebat: *Quis vobis oſtendit fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Ubi vides pœnitentiæ

fructus

fructus imperari non ad exemplum tantum & ædificationem aliorum, sed præcipue ad effugiendam divinam vindictam. *Quis vobis ostendit fugere a ventura ira?* Per fructus autem dignos pœnitentiæ non intelliguntur tantum novitas vitæ, & observatio legis divinæ; sed etiam compensatio injuriæ Deo factæ per opera pia & laboriosa, ut interpretantur Patres, S. Pacianus Epist. III. ad Sympronianum, Hesychius Lib. IV. in Leviticum, Cap. XIV. S. Greg. M. Hom. XX. in Evang. Ven. Beda Lib. I. in Luc. Cap. II. Unus nobis sufficiat S. Chrys. qui Hom. X. in Matth. scribit: *Quo autem modo fructificare poterimus? Si utique peccatis adversa faciamus. Aliena rapuisti? Incipe donare jam propria. Longo es tempore fornicatus? A legitimo quoque usu suspendere conjugii, ac perpetuam continentiam sæpius paucorum dierum castitate meditare. - - - Deliciis antea & temulentia diffluebas? Jejunio & aquæ potu utrumque compensa.*

233. Prob. II. Auctoritate PP. S. Cypr. Tract. de Lapsis scribit, *contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem* agere illos, qui lapsis, quod libellis Martyrum sint muniti, absque satisfactione & laboriosa pœnitentia pacem concedunt. S. Hilarius in Psalm. CXVIII. exponens versiculum, *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*, scribit: *Hæc pœnitentiæ vox est, lacrymis orare, lacrymis ingemiscere, & per hanc confidentiam dicere: Lavabo per singulas noctes lectum meum. Hæc venia peccati est, fonte fletuum flere, & largo lacrymarum imbre madefieri.* S. Aug. Serm. CCCLI. alias Hom. L. inter L. *Non sufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cooperantibus eleemosynis.*

234. Prob. III. Ratione. Ipsa sana ratio dictat, Deo non minus quam hominibus satisfaciendum esse sine mora vituperabili pro injuriis ei illatis. II. Ipsa ratio, & ordo charitatis, quam unusquisque sibi ipsi

in

in procuranda sua salute & incolumitate debet, exigere videtur, ut pœna illa acerbissima, quæ alioquin luenda esset in altera vita, saltem ex parte redimatur in ista quantum fieri potest propriis satisfactionibus. Ergo satisfactio ad redimendam pœnam temporalem est jure divino necessaria, & singulis præscripta, ac quemlibet obligat, ut mediocri saltem studio nitatur in hac vita satisfacere etiam pro ea pœna temporali, quam peccatis venialibus promeritus est.

Sacerdos tenetur pœnitenti satisfactionem imponere.

235. Conclusio V. Sacerdos potest & tenetur, per se loquendo, satisfactionem pœnitenti imponere. Prob. Conclusio I. Auctoritate PP. S. Aug. Serm. CCCLI. alias Hom. L. inter L. ait: *Veniat* (peccator) *ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur: & tamquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a Præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum.* S. Leo M. Epist. LXXXII. alias XCI. ad Theodorum: *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* II. Auctoritate Tridentini Sess. XIV. Cap. XV. *Siquis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum; & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra fines clavium, & contra institutionem Christi; & fictionem esse, quod virtute clavium sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat; anathema sit.* III. Ex antiquissimo & constanti usu Ecclesiæ, quæ pœnitentibus peccata sua confitentibus semper satisfactionem imposuit, ut patet tum ex Canonibus Conciliorum, tum ex antiquissimis Ritualibus & Euchologiis. IV. Ratione Theologica. Sacerdos in tribunali Pœnitentiæ est Dei minister, pœnitentis judex & medicus. Ergo ut Dei minister debet Sacramentum integrum efficere, adeoque satisfactionem injungere,

gere, quæ est Sacramenti pars integralis: ut judex servare debet æquitatem Deum inter & peccatorem, ejus peccatum puniendo: ut medicus debet pœnitentis vulnera curare, ac futura præcavere, præscribendo remedia morbis proportionata. Cæterum dixi in Conclusione, *per se loquendo;* si enim infirmitas pœnitentis tam gravis sit, ut vires eum omnino deficiant, mortemque in momenta expectet, absolvi potest & debet absque ulla imposita satisfactione, quæ in illis circumstantiis impossibilis reddita est. Si vero spes sit, eum vires recuperaturum, ipsi pœnitentia congrua, aut circumstantibus levis saltem quædam satisfactio, ne forte grave crimen pœnitentis suspicentur, indicanda est, ab ægroto postquam melius habere cœperit præstanda.

Gravitati criminum proportionatam.

236. Conclusio VI. Satisfactio non pro mero libito Confessarii, sed pro gravitate criminis injungenda est. Prob. I. Auctoritate PP. S. Cypr. Tract. de Lapsis scribit: *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non fit. Putasne tu Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere maluisti, cujus templum sacrilega contagione violasti? - - - Orare oportet impensius & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere.* S. Ambr. Lib. I. de Pœnit. Cap. II. *Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit. Sed qui culpam exaggeravit, exaggeret etiam pœnitentiam: majora enim crimina majoribus abluuntur fletibus.* Et Tract. ad Virginem lapsam, Cap. VIII. *Grandi plagæ alta & prolixa medicina opus est: grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.* S. Innocentius I. Epist. ad Decentium, Cap. VII. *De pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis: ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.* S. Basilius in Psalm. XXXIX.

Attende

Attende tibi, ut pro delicti proportione hinc quoque mutueris ex admota tibi medela valetudinis instaurandæ subsidium. Magnum est & grave peccatum? Multa opus habet confessione, lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indivulso & continenti jejunio. Levis est, nec intoleranda offensio? Huic quoque exæquetur pœnitentia. II. Auctoritate Conciliorum, Laodiceni Can. II. Carthaginensis III. Cap. XXXI. Trullani Can. CII. Turonensis III. Cap. XXII. Cabilonensis II. Can. XXXII. Vide dicta Num. 161. Tridentinum Sess. XIV. Cap. VIII. ita statuit: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere; ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.* III. Ex antiquissima praxi Ecclesiæ, quam nobis demonstrant Canones Pœnitentiales S. Gregorii Thaumaturgi, S. Petri Alexandrini, S. Basilii, S. Gregorii Nyssenі, Concilii Nicæni, I. Synodi Eliberitanæ, & Ancyranæ: item Joannis Jejunatoris CPolitani, & Ven. Bedæ, quorum Canonum multi exstant apud Ivonam, Burchardum, Gratianum &c. IV. A pari. Respublica pro gravitate delicti reos pœnis afficit. Ergo etiam Sacerdos, Mysteriorum Dei fidelis & prudens dispensator, injurias Deo illatas pro illarum gravitate ulcisci tenetur.

Juxta leges prudentiæ ac discretionis.

237. Cæterum quamvis Sacerdos proportionatam peccatis satisfactionem teneatur injungere, cavendum illi tamen sollicite est, ne contra prudentiæ ac discretionis leges agat. Attendendum itaque est ad qualitatem criminum, hoc est, ad speciem, numerum, & circumstantias: item ad facultatem pœnitentium, hoc est, ad conditionem, sexum, ætatem, valetudinem, convictum &c.; nisi enim hæc omnia rite perpen-

perpendantur, quantitas satisfactionis prudenter præscribi non poterit. Confeſsarius mitior eſse debet in imponendis pœnis ratione vehementis doloris, quem in pœnitente deprehendit. Quamvis vero Ecclesia a pluribus jam sæculis observationem Canonum pœnitentialium non urgeat, ac veterem disciplinam habita ratione infirmitatis fidelium relaxarit; eorum tamen notitiam comparare sibi debet Confeſsarius, ut monet S. Carolus Borromæus in Instructione Confeſsarii: *Sacerdos Canones pœnitentiales conſulet, quibus licet cum prudentia, diſcretione, & modo, pro pœnitentis contritione, qualitate, ſtatu, aliisque circumſtantiis uti debeat, obſervandi tamen ſunt: ita ut juxta eos, quaſi juxta traditam ſibi regulam, Sacerdos ſe gerat, prout expedire ei viſum fuerit: & quando pœnitentiam Canonibus antiquis præſcriptam non imponat, eam tamen pœnitenti ſignificabit, ut ad contritionem eum moveat, & leviorem injunctam pœnitentiam ipſe ardentius exſequatur.*

238. Conclusio VII. Pœnitens tenetur rationabilem pœnitentiam a Sacerdote injunctam acceptare, & acceptatam implere. Dixi, *rationabilem;* si enim foret aperte injusta, aut nimis dura vel impoſsibilis, ut v. g. jejunium in pane & aqua pro verbo otioso, aut peregrinatio ab infirmo decumbente instituenda, pœnitens nec acceptare illam, nec implere tenetur. Prob. Conclusio 1mo. Sacerdotes tenentur data sibi a Christo potestate uti, injungendo pœnitentibus peracta jam Confeſsione satisfactionem. Ergo cum hæc potestas non sit frustranea, supponit obligationem parendi in pœnitente; quia hæc duo sunt correlativa, quorum unum eſse nequit sine alio. Ergo pœnitens tenetur rationabilem ac justam pœnitentiam a Sacerdote sibi impositam acceptare, eamque, postquam Sacramentali Sacerdotis judicio se submisit, implere. II. Subditus tenetur obedire Judici justam sententiam ferenti. Atqui Sacerdos rationabilem injungens pœnitentiam, est Judex justam ferens sententiam Christi nomine & auctoritate; pœnitens vero per Confeſsionem Sacerdoti se subjecit. Ergo pœni-

Quam pœnitens acceptare & implere tenetur.

tens tenetur ei parere, acceptando & implendo injunctam sibi a Sacerdote satisfactionem.

Justus potest de condigno satisfacere pro pœna temporali.

239. Quæres I. An homo justus possit *de condigno* satisfacere pro pœna temporali, quæ condonato reatu culpæ & pœnæ æternæ superest? Resp. Affirmative. Prob. assertio I. Tridentinum sæpius asserit, homines justos per bona opera satisfacere pro pœna temporali. Ergo juxta Tridentinum justi de condigno pro illa satisfaciunt. P. C. Tridentinum Sess. VI. Cap. VIII. negat pœnitentem mereri gratiam justificationis, licet eam juxta communissimam Theologorum mereatur de congruo per actum Contritionis perfectæ: & hoc ideo, quia qui meretur de congruo, non meretur simpliciter, sed tantum secundum quid. Ergo etiam si justus de congruo tantum satisfaceret pro pœna temporali, Tridentinum Sess. XIV. Cap. VIII. & Can. XIII. ac XIV. non assereret, justum pro illa satisfacere simpliciter, & sine addito. Nam sicut meritum de congruo non est proprie ac simpliciter meritum; ita satisfactio de congruo non est simpliciter & proprie satisfactio. II. Ex propositione LXXVII. Michaelis Baji a S. Pio V. & Gregorio XIII. proscripta: *Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem, restantem post culpam condonatam.* III. Ratione. Justus potest mereri de condigno augmentum gratiæ & gloriæ. Ergo multo magis satisfacere potest de condigno pro pœna temporali, quæ longe minorem habet æstimabilitatem quam æterna beatitudo & gratia sanctificans.

240. Neque obest assertioni nostræ, quod pœnæ Purgatorii acerbiores sint pœnis hujus vitæ. Etenim opera bona ac pœnalia justorum sufficientem habent proportionem & æqualitatem moralem cum remissione pœnæ temporalis, etiam Purgatorii, tum ex qualitate ipsius operis, quod est supernaturale; tum maxime ex dignitate operantis, qui est filius Dei adoptivus, & dignitate Christi, propter quem acceptatur hoc opus satisfactorium. Atque hæc est æ-

qualitas

qualitas illa proportionis, ad quam hic attenditur; non autem ea, quæ ex æqualitate pœnarum consurgit.

241. Quæres II. An satisfactio de condigno hominis justi pro pœna temporali sit ad omnes justitiæ apices exacta? Resp. Negative. Satisfactio enim ex rigore justitiæ exigit, ut satisfiat ex propriis, & ad æqualitatem, nulla intercedente aut præcedente gratia illius, cui satisfactio debetur. At vero sine gratia Dei, eaque multiplici nemo potest ei satisfacere ex propriis, & ad æqualitatem. Nam Imo. Opera nostra bona, quæ Deus tamquam sibi debita titulo supremi dominii, creationis ac redemptionis vindicare posset, ad effectum satisfactionis acceptat, eaque sibi donari patitur ad compensandam pœnam temporalem peccatis remissis debitam. II. Deus gratiam sanctificantem, per quam efficimur filii Dei adoptivi, membra Christi, habitaculum Spiritus Sancti, ex qua opera nostra pretium & valorem hauriunt ad præstandam sanctificationem, gratis omnino infundit. III. Deus condonato culpæ mortisque æternæ reatu, nullis nostris meritis, sed solo charitatis impulsu ad amicitiam suam nos admittit, & congrua nobis subministrat auxilia, sine quibus opera pia & salutaria non exercerentur.

Quamvis satisfactio illa non sit ad omnes justitiæ apices exacta.

Argumenta contraria refutantur.

242. Objicitur I. contra II. & III. Conclusionem, Auctoritas Script. Apostolus ad Rom. Cap. III. scribit: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* Ergo remissio peccatorum non tantum quoad reatum culpæ, sed etiam quoad reatum pœnæ æternæ & temporalis est gratuita. Atqui si homo satisfacere potest pro pœna temporali, remissio illius non foret gratuita. P. min. Remissio pœnæ temporalis debetur satisfactionibus nostris. Ergo non est gratuita. Resp. N. min. subsumptam. Remissio pœnæ temporalis gratuita est,

Protestantes frustra nobis objiciunt auctoritatem Scripturarum.

quamvis pro ea satisfaciamus; tum quia Deus gratis nobis conceſsit Christum, in quo & per quem noſtræ satisfactiones valent; tum quia nobis gratis concedit gratiam sanctificantem, gratiam fidei & pœnitentiæ, atque actualis gratiæ auxilia, sine quibus satisfactiones nostræ nullius eſsent ad redimendam pœnam temporalem valoris ac meriti. Ad *prob.* Resp. N. C. Remiſsio pœnæ temporalis gratuita simul ac debita est bonis operibus justi. Gratuita est, quia sine gratia Dei non poſsumus satisfacere, & quia supponit gratiam sanctificantem, & mortem Christi omnino gratuitam: debita, quia illis promiſsa est a Deo propter merita Christi.

243. Dices Si ex eo capite peccata nobis a Deo gratis remittuntur, quia nobis gratis conceditur gratia per quam satisfacimus; dici etiam poterit, Christum Dominum gratis obtinuiſse remiſsionem peccatorum nostrorum a Patre, quia gratis ab illo accepit humanitatem, aliaque dona, per quæ satisfecit. Atqui hoc dici nequit, cum satisfactio Christi pro peccatis nostris fuerit ad justitiæ rigorem exacta, immo & superabundans. Ergo. Resp. N. M. Christus non nisi libere consentiendo gratis accepit a Deo humanitatem; nec nisi propria virtute & dignitate, adeoque ex indebitis, Deo satisfecit pro peccatis nostris, atque ex stricta justitia remiſsionem peccatorum nobis promeritus est. At vero quando nos pro pœna temporali ex gratia Dei satisfacimus, respectu nostri gratia illa tota est gratuita, nihilque in nobis supponit, quo eam promereri poſsimus, licet pretio sanguinis Christi debita sit titulo rigorosæ ac strictæ justitiæ.

Et satisfactionem Chriſti.

244. Obj. II. Satisfactio Christi. Christus abunde satisfecit æterno Patri pro peccatis nostris, atque etiam pro pœna temporali peccatis debita. Ut enim Jsajæ Cap. LIII. dicitur: *Livore ejus ſanati ſumus. -- Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* Et I. Petri Cap. II. *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Ergo satisfactiones nostræ supervacaneæ

vacaneæ & inutiles sunt. *Confirm.* Si Deus propitiandus esset operibus nostris, Christus non esset propitiatio pro omnibus peccatis nostris. Atqui hoc repugnat Apostolo ad Titum Cap. II. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* Resp. I. retorquendo. Christus abunde satisfecit pro peccatis nostris. Ergo ex parte hominis neque fides requiritur ad remissionem peccatorum? Resp. II. D. A. Christus abunde satisfecit pro peccatis nostris atque etiam pro pœna temporali, id est, pretium condignum & superabundans redemptionis nostræ exsolvit, C. A. Pretium illud applicavit nobis sine satisfactione nostra, N. A. & Consec. Quemadmodum ut fructum Passionis Christi percipiamus, prærequiritur in homine fides in Christum: ita ad remissionem pœnæ temporalis necessarias esse dicimus satisfactiones nostras, per quas applicatur, ac tamquam per instrumenta defluit ad nos pretium meritorum Christi, a quibus satisfactiones nostræ totum suum valorem ac dignitatem trahunt. Atque hæc ipsissima est Tridentini Concilii doctrina Sess. XIV. Cap. VII. *Accedit ad hæc, quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, & conglorificabimur. Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum: nam qui ex nobis tamquam ex nobis nihil possumus: eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus; ita non habet homo, unde glorietur; sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre.* Ad *confirm.* D. M. Christus non esset propitiatio pro omnibus peccatis, absque cooperatione nostra & in actu secundo, ita ut propitiatio illa nobis non applicaretur, C. M. Accedente cooperatione ac satisfactione nostra, N. M. Christus est propitiatio pro omnibus peccatis

nostris,

nostris, non quia reatus culpæ & pœnæ propter Christum condonatur independenter a nostris operibus; sed quia opera nostra, quibus remissionem culpæ & pœnæ æternæ meremur de congruo, remissionem vero pœnæ temporalis de condigno, omnem vim ac dignitatem suam habent a meritis Christi. Satisfactiones itaque nostræ non sunt in supplementum satisfactionis Christi, sed per eas illius pretium nobis applicatur, Christo ita volente, ut pretium sanguinis sui non nisi per laboriosa opera pœnitentibus communicetur, ad remissionem pœnæ temporalis obtinendam.

245. Dices I. Satisfactiones nostræ accipere debent valorem a meritis Christi. Ergo per illa jam habetur totus valor, adeoque inutiles sunt satisfactiones nostræ. Resp. C. A. D. C. Ergo per merita Christi habetur totus valor quantum ad sufficientiam pretii, & vim illius intrinsecam, C. Consec. Totus valor etiam sufficienter nobis applicatus, N. C. Quemadmodum juxta Protestantes merita Christi sine fide nobis non applicantur, licet valorem suum habeant independenter ab illa; ita juxta nos merita Christi sine nostra satisfactione in ordine ad remissionem pœnæ temporalis non applicantur, quamvis totus illorum valor habeatur etiam sine nostra satisfactione & operibus.

246. Dices II. Si Christus morte sua promeritus nobis non fuisset remissionem culpæ & pœnæ temporalis simul, plus nobis obfuisset inobedientia Adami, quæ culpam & pœnam simul invexit, quam obedientia Christi. Atqui hoc dici nequit. Ergo. Resp. I. Ergo etiam Christus morte sua tollere debuisset mortem, omnesque hujus vitæ miserias, quibus nunc ob prævaricationem Adæ obnoxii sumus? Resp. II. N. M. Obedientia Christi plus nobis profuit quam obfuerit inobedientia Adami: Adamus uno peccato nos perdidit; at gratia Christi, quæ ob illius merita & obedientiam nobis conceditur, ab omnibus peccatis nos liberat, tam originali quam personalibus. Præterea

debitum

debitum luendi pœnam temporalem peccatis remiſsis debitam, plurimis commodis compensatur; justi enim ad satisfaciendum divinæ justitiæ per pia opera exstimulantur, quibus & pro pœna temporali satisfaciunt, & augmentum gratiæ & gloriæ de condigno merentur.

APPENDIX

AD CONTROVERSIAM VII.

DE POENITENTIA PUBLICA IN VETERI ECCLESIA.

Quid ſit pœnitentia publica, ſolemnis, & non ſolemnis?

247. *Pœnitentia publica* dicitur ea, quæ publice coram cœtu Ecclesiæ, vel coram multis peragitur: subdividitur autem in solemnem, & non solemnem. Pœnitentia publica *ſolemnis* est, quæ certo ritu solemni, & certo quodam graduum ac stationum sibi succedentium ordine perficiebatur. Pœnitentia publica *non ſolemnis* appellabatur ea, quæ publice in conspectu populi fiebat, sed absque prædicta solemnitate, sine determinato singularum stationum ordine & apparatu, quin certum illi ac determinatum tempus præfixum fuerit.

Pœnitentia ſolemnis non viguit in Eccleſia ſæculo I. & II.

248. Quæres I. An & quænam pœnitentia in veteri Ecclesia viguerit usque ad tempora hæresis Novatianæ? Resp. Pœnitentiam publicam quidem pro delictis publicis gravioribus viguisse, at non solemnem. Prob. assertio I^mo Apostoli exemplo, qui Corinthium incestuosum anno pœnitentiæ vix expleto, Ecclesiæ restituit. II. Exemplo S. Joannis Apostoli, qui juvenem illum, posteaquam per plures annos dux latronum fuisset, ad pœnitentiam adduxit, brevique tempore interjecto illum in Ecclesiæ communionem recepit, ut ex Clemente Alexandrino refert Eusebius Hist. Eccles. Lib. III. Cap. XVII. III. Exemplo Zephyrini, qui Natalium Episcopum, cinere conspersum, & ad pedes suos provolutum, absque diuturniori pœnitentiæ afflictione absolvit, & communioni reddidit, ut idem tradit Eusebius Hist. Eccles.

Eccles. Lib. V. Cap. ult. IV. Ex silentio veterum Scriptorum, Hermæ, in libro qui Pastor inscribitur, Tertulliani, SS. Cornelii & Cypriani, Synodi Romanæ & Carthaginensis. Quamvis enim post exortam hæresin Montani, Ecclesia severius agere cœperit cum gravibus & publicis peccatoribus; nullum tamen apud Scriptores illos præfinitum legitur tempus, quo necesse fuerit lapsos in laboribus pœnitentiæ detineri.

Sed primum paulo post exortam hæresin Novatianorum sæculo III. instituta est.

249. Quæres II. Quandonam instituta fuerit pœnitentia solemnis? Resp. Paulo post exortam hæresin Novatianam. Cum enim Novatiani peccatoribus quamtumvis pœnitentibus veniam & communionem denegandam esse contenderent, Ecclesia ut Novatianis occasionem præriperet incusandi nimiam Catholicorum in concedenda lapsis venia indulgentiam & facilitatem, statuit notorios enormium criminum reos publica, diuturna, ac severiori pœnitentia esse mulctandos. Prob. assertio I. Auctoritate S. Gregorii, qui A. 240. Neocæsariensis creatus est Episcopus, mortuus A. 265. Hic omnium primus in Epistola sua canonica quatuor gradus pœnitentiæ solemnis expressit: Can. VII. & VIII. auditionem, Can. IX. substrationem & consistentiam, atque etiam fletum quamvis subobscure indicavit. Can. XI. aperte quatuor hos gradus enumerat: *Fletus seu luctus est extra portam Oratorii: ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro se precentur. Auditio est intra portam, in porticu, ubi oportet eum qui peccavit stare, usque ad Catechumenos, & illinc egredi. Audiens enim, inquit, Scripturas & doctrinam, ejiciatur, & precatione indignus censeatur. Subjectio autem seu substratio est, ut intra templi portam stans cum Catechumenis egrediatur. Congregatio seu consistentia est, ut cum fidelibus consistat, & cum Catechumenis non egrediatur. Postremo est participatio Sacramentorum.* Morinus equidem Lib. VI. de Administratione Pœnitentiæ, Cap. I. omnium primus contendit, Canonem hunc XI. suppositititium esse; sed Theodorus Balsamon Antiochenus Patriar-

triarcha, antiquiſsimis MSS. nixus, quæ penes se habuit, Canonem illum tamquam genuinum S. Gregorii Neocæsariensis partum commentariis illustravit. Vide Natalis Alexandri Diſsertationem XVIII. in Hist. Eccles. Sæculi III. Prob. II. auctoritate Conciliorum. Ancyranum, quod L. circiter annis poſt mortem S. Gregorii Neocæsariensis celebratum est, hos pœnitentiæ gradus, ut jam ab antiquo statutos recenset, & variorum criminum reis aſsignat Canone IV. V. & VIII. Nicænum I. Can. XI. & XII. gradus auditionis, substrationis, & consistentiæ velut rem antiquam memorat. Prob. III. Ex Epist. III. canonica S. Basilii ad Amphilochium Iconii Episcopum Can. LVIII. & LIX. & Epist. canonica S. Gregorii Nysseni ad Letoium Melitinensem Can. III. Cæterum distinctas has pœnitentiæ stationes in Oriente citius quam Occidente viguiſse, illud argumento est, quod S. Felix III. sæculo V. ad finem vergente, Epist. VII. ad universos Episcopos omnium Latinorum primus fuerit, qui gradus illos distincte recenseret; quamquam negari non poſsit, quin ante istud tempus solemnis pœnitentia in usu fuerit apud Latinos.

Stationes & gradus ſolemnis pœnitentiæ erant quatuor.

250. Quæres III. Quot & quinam fuerint gradus seu stationes solemnis pœnitentiæ? Resp. Quatuor. Ima erat statio *Flentium*, collocata in area, seu domuncula quadam Ecclesiæ adjacente, seu in porticu & vestibulo, quo ad synaxes erat iter. Colligitur id ex S. Basilio Epist. III. canonica ad Amphilochium, Can. LVI. S. Chrysostomo Hom. XVII. in Matth. & S. Gregorio Neocæsariensi in Epist. canonica Can. XI. superius laudato. Hi sacco induti, cinere capiti insperso, capillis & barba promiſsis, introeuntes in templum fideles lugubri voce rogabant ad eorum pedes advoluti, ut apud Deum, Episcopum, Clerum, universamque Ecclesiam pro ipsis intercederent. Flentibus accenseri poſsunt *hyemantes*, ii nimirum, qui extra tectum, & sub dio orare tenebantur aëris tempestatibus obnoxii, vel ob

corporalem lepram, ne alios inficerent, vel ob graviſsima carnis flagitia, quod indigitare videtur Tertull. Lib. de Pudicitia, Cap. IV. *Reliquas autem libidinum furias impias & in corpora, & in ſexus, ultra jura naturæ, non modo limine, verum omni Eccleſiæ tecto ſubmovemus; quia non ſunt delicta, ſed monſtra.* IIda statio erat *Audientium*, sive eorum qui stabant intra portam Ecclesiæ in loco, qui *narthex* dicebatur, sive ferula, propter figuram quæ longitudine multis partibus latitudinem excedebat. In hac statione manus non imponebantur pœnitentibus, quia ritus iste orationi conjunctus erat, qua nondum digni censebantur; Scripturas tamen divinas, communisque doctrinæ explicationem post decantatum Evangelium audiebant. Atque in hac statione admittebantur etiam Ethnici, Judæi, Hæretici, Schismatici, iique Catechumeni, qui volebant quidem Christiani fieri, sed nomen suum nondum dederant, ut statuit Carthaginense IV. A. 398. Capit. LXXXIV. *Ut Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſive Gentilem, ſive Hæreticum, ſive Judæum, uſque ad Miſſam Catechumenorum.* At vero finita Homilia sive Sermone, antequam publicis precibus initium daretur, his omnibus, atque etiam Audientibus e Templo excedendum erat. IIItia statio fuit *Subſtratorum*, a portis Ecclesiæ ad ambonem usque protensa, id est, ad locum illum, ex quo Epistola & Evangelium legebantur, Diptycha recitabantur, Hymni, Psalmique canebantur, & verba ad concionem fiebant. Erat autem *Ambo* excelsius quoddam in Templis ædificiolum, orbicularis ut plurimum figuræ, ad quod aliquibus gradibus ascendebatur. Hæc statio fuit omnium severiſsima, ideoque apud Veteres pœnitentia per antonomasiam dicta. In hac pœnitentes substrati & genuflexi persistebant, humili ac demiſso habitu, variisque pœnis ac laboribus exercebantur. Toto substrationis tempore, in singulis fere synaxibus Sacerdotes manus imponebant pœnitentibus genuflexis, ut constat ex Cap. LXXX. Carthaginensis IV.

IV. & Can. XI. Toletani III. Huic autem manuum impositioni post Missam Catechumenorum, & ante oblationem incruenti Sacrificii, ut colligitur ex Laodiceno Can. XIX. semper conjuncta erat oratio super pœnitentes, qua absoluta Substratis Templo exeundum erat, ut liquet ex Agathensi Can. LX. Epaonensi Can. XXIX. & Sozomeno Lib. VII. Hist. Eccles. Cap. XVI. IV^ta statio vocabatur *Consistentium*, sive eorum, qui ab ambone Templi versus Sanctuarium ad fideles usque, qui jus percipiendæ communionis habebant, collocabantur: ideoque Consistentes dicti, quod in Ecclesia cum fidelibus consisterent, neque cum Catechumenis expellerentur. Hi licet publicis precibus & Sacrificio Missæ cum fidelibus interessent, jus tamen oblationis non habebant, id est, ipsorum munera ad altare non offerebantur. Unde consequens erat eos & Corpori Christi non communicare. Quapropter ista sunt æquipollentia in Canonibus, communicare precibus sine oblatione, & non communicare corpori Christi.

Qui tamen non æquali tempore a pœnitentibus percurrebantur.

251. Quæres IV. An æquale tempus pœnitentiæ solemnis statutum fuerit pro omnibus, & an omnes pœnitentes quatuor stationes necessario percurrere debuerint? Resp. Negative. Episcoporum enim arbitrio relictum erat, ut pœnitentiæ agendæ tempus vel protraherent, vel arctiori spatio definirent, pro merito criminum & contritione pœnitentis, ut patet ex Ancyrano A. 314. Can. V. *Penes autem Episcopos erit potestas, modum conversationis eorum probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adjicere. Ante omnia vero præcedens eorum vita, & posterior inquiratur, & ita eis impertiatur humanitas.* Et ex Carthaginensi III. A. 397. Capit. XXXI. *Ut pœnitentibus, secundum peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.* Atque ex Epist. Canonica S. Gregorii Nysseni ad Letoium, Can. XIII. *Si sit fide digna conversio, non servetur annorum numerus, sed temporis prolixitate resecata, ad Ecclesiæ restitutionem & boni participationem compendio deducatur.*

Sæpe etiam pœnitentes ab inferiori gradu ad superiorem impertransito medio ascendisse, Episcopis Canonum severitatem, ob contritionem illorum & fervorem in agenda pœnitentia temperantibus, compertum est ex Ancyrano Can. VI. Nicæno Can. XII. S. Gregorio Neocæsariensi Can. IX. Epistolæ canonicæ, S. Basilio Epist. I. ad Amphilochium, Can. IV. & S. Gregorio Nysseno Can. VIII. Epist. ad Letoium.

Pœnæ pœnitentibus impositæ, variæ erant ac difficiles.

252. Quæres V. Quænam pœnæ iis qui solemnem pœnitentiam agebant, fuerint impositæ? Resp. Varias, easque satis difficiles. Nam. I. Eucharistia privabantur, donec justa pœnitentia perfuncti essent, nisi in proximo mortis periculo versarentur. II. Certum ferre habitum tenebantur, quo ab aliis discernerentur, nempe pullam vestem, & cilicium, caputque detonsum, exceptis fœminis. Hinc in Agathensi Can. XV. dicitur: *Pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum, & cilicium super caput a Sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur. Si autem comas non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abjiciantur.* III. Convivia & balneorum usus ipsis vetabantur; orationi autem, jejuniis, aliisque pietatis operibus assidue erat vacandum. S. Pacianus in Paræsi ad pœnitentiam enumerans ea, quibus operam dare debebant pœnitentes, sic loquitur: *Flere in conspectu Ecclesiæ, perditam vitam sordida veste lugere, jejunare, orare, provolvi; si quis ad balneum vocet, recusare delicias; si quis ad convivium roget, dicere: Ista felicibus, ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire. Quo mihi epulas, qui Dominum læsi? Tenere præterea pauperum manus, viduas obsecrare, Presbyteris advolvi, exoratricem Ecclesiam deprecari, omnia prius tentare quam pereas.* IV. Mortuos sepelire tenebantur, & genua flectere, tempore etiam Paschali & diebus Dominicis, quando alii fideles stantes orabant, ut patet ex Carthaginensi IV. Cap. LXXXI. *Mortuos pœnitentes Ecclesiæ efferant, & sepeliant.* Cap. LXXXII. *Pœnitentes etiam diebus remissionis genua flectant.*

stant. V. Nefas erat post actam pœnitentiam militiæ sæculari nomen dare. Ostenditur id ex S. Siricio Epist. ad Himerium, Cap. V. ex S. Leone M. Epist. XCII. ad Rusticum Narbonensem Episcopum, Cap. X. Hinc cum aliqui, ut se inchoatæ pœnitentiæ molestiis eriperent, militarem professionem, quam pœnitentiæ causa abdicarant, resumerent, Nicænum I. Can. XII. ut Dionysii Exigui versio habet, ita statuit: *Quicunque vocati per gratiam, primum quidem impetum monstraverunt, deponentes militiæ cingulum; postmodum vero ad proprium vomitum sunt relapsi, ita ut quidam & pecunias tribuerent, & beneficiis militiam repeterent: hi decem annis post triennii tempus quo inter audientes erunt, in afflictione permaneant.* VI. Qui publicam egerant pœnitentiam, contrahebant irregularitatem, neque umquam postea promoveri poterant ad Clerum. Ostenditur id ex S. Siricio Epist. ad Himerium Tarraconensem, Cap. XIV. *Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum; ita & post pœnitudinem & reconciliationem nulli umquam laico liceat honorem clericatus adipisci: quia quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.* Atque ex Carthaginensi IV. Cap. LXVIII. *Ex pœnitentibus quamvis sit bonus, clericus non ordinetur: si per ignorantiam Episcopi factum fuerit, deponatur a clero; quia se Ordinationis tempore non prodidit fuisse pœnitentem. Si autem sciens Episcopus ordinaverit talem, etiam ab Episcopatus sui ordinandi dumtaxat potestate privetur.* In casu tamen necessitatis, qui pœnitentiam egerant, fieri poterant Ostiarii & Lectores. Ita Toletanum I. Can. II. statuit. VII. Pœnitentes dum solemnem agebant pœnitentiam, immo etiam post illam expletam, vetabantur matrimonium contrahere, debebantque reliquo vitæ tempore innupti manere. Ita S. Siricius Epist. ad Himerium, Cap. V. *De his vero non incongrue dilectio tua Apostolicam*

Sedem

Sedem credidit consulendam, qui acta pœnitentia tamquam canes ac sues ad vomitus pristinos & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus. Quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. Arelatense II. A. 452. Can. XXI. ita statuit: *Pœnitens quæcunque defuncto viro alii nube præsumpserit, - - cum eodem ab Ecclesiæ liminibus arceatur. Hoc etiam de viro in pœnitentia posito placuit observari.* Hac de causa Juvenibus difficile permittebatur pœnitentia solemnis, ut patet ex Can. XV. Agathensis Synodi A. 506. in quo dicitur: *Juvenibus etiam pœnitentia non facile committenda est, propter ætatis fragilitatem.* Interdum tamen post peractam solemnem pœnitentiam, permissum fuisse adolescentibus matrimonium contrahere, ostenditur ex S. Leone M. Epist. XCII. ad Rusticum, Cap. XII. *In adolescentia constitutus, si urgente aut metu mortis, aut captivitatis periculo, pœnitentiam gessit, & postea timens lapsum incontinentiæ juvenilis, copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur feciſse venialem, si præter conjugem nullam omnino cognoverit. In quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus. Nam secundum veram cognitionem, nihil magis ei congruit, qui pœnitentiam gessit, quam castitas perseverans & mentis & corporis.* VIII. Conjugati, etiam post expletam solemnem pœnitentiam, tenebantur ab usu matrimonii abstinere. Hinc ne pars innocens jure suo privaretur, pœnitentia solemnis conjugatis non permittebatur, nisi de consensu compartis, ut patet ex Arelatensis II. Can. XXIII. in quo dicitur, pœnitentiam non nisi ex consensu conjugis dandam esse conjugatis.

Pœnitentia solemnis semel tantum peragebatur.

253. Quæres VI. An pœnitentia solemnis ab eodem iterari potuerit? Resp. Negative. Prob. assertio Auctoritate Patrum. S. Ambr. Lib. II. de Pœnit. Cap. X. ait: *Merito reprehenduntur, qui sæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo.*

Nam

Nam si vere agerent pœnitentiam, iterandam non putarent: quia sicut unum Baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati, sed hæc delictorum leviorum est, illa graviorum. S. Aug. Epist. CLIII. alias LIV. ad Macedonium, Cap. III. scribit: *Quam ergo caute salubriterque provisum sit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit: quis tamen audeat dicere Deo: Quare huic homini, qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis?* Rationem hujus rei assignat Auctor supplementi ad III. Partem S. Thomæ, Quæst. XXVIII. Artic. II. *Respondeo dicendum, quod solemnis pœnitentia iterari non debet, propter tria. Primo, ne ex iteratione vilescat. Secundo, propter significationem, quia significat expulsionem primi hominis de paradiso, quæ semel tantum facta est. Tertio, quia solemnizatio est quasi quædam professio pœnitentiam perpetuo conservandi; & ideo iteratio solemnitati repugnat.* Quod si quis post actam solemnem pœnitentiam in nova peccata prolapsus esset, ob quæ solemnem pœnitentiam agere de se debuisset, ad Consistentium stationem toto vitæ suæ tempore is amandabatur, ad Communionem Eucharisticam non admittendus, nisi in mortis articulo. Vide quæ de Relapsis diximus Num. 73. & 74.

254. Quæres VII. Quinam solemnem pœnitentiam in veteri Ecclesia imposuerit, ac pœnitentes Ecclesiæ reconciliarit? Resp. Episcopus solus. Prob. assertio auctoritate Conciliorum. Carthaginense II. A. 390. Can. III. ait: *Ab universis Episcopis dictum est: Chrismatis confectio, & puellarum consecratio a Presbyteris non fiant. Vel reconciliare pœnitentem quemquam in publica missa, Presbytero non licere, hoc omnibus placet.* Carthaginense III. A. 397. Cap. XXXI. *Ut pœnitentibus, secundum peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.* Et Can. XXXII. *Ut*

Solus Episcopus solemnem pœnitentiam imponebat, ac pœnitentes Ecclesiæ reconciliabat.

Ut Presbyter, inconsulto Episcopo, non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo & necessitate cogente. Andegavense A. 453. Can. XII. *Pœnitentiæ locus omnibus pateat, qui conversi errorem suum voluerint confiteri; quibus perspecta qualitate peccati, secundum Episcopi æstimationem erit venia largienda.* Agathense in Narbonensi provincia A. 506. celebratum, Can. XLIV. *Benedictionem super plebem in Ecclesia fundere, aut pœnitentem in Ecclesia benedicere, Presbytero pœnitus non licebit.* Ubi sermo est non de qualicunque benedictione, sed de reconciliatoria manus impositione, qua peracta pœnitentibus publicis Eucharistica communio porrigebatur. Quare antiquorum Canonum ignaros se ostendunt Sacerdotes illi Janseniani, qui in publicæ pœnitentiæ administratione pares se faciunt Episcopis, publicam pœnitentiam imponendo, eaque perfunctos Ecclesiæ reconciliando. Presbyteros tamen, absente Episcopo, & necessitate cogente, potestatem habuisse publicum pœnitentem privatim reconciliandi, patet ex Capit. XXXII. Carthaginensis III. paulo ante laudato, atque ex Can. IV. Carthaginensis II. *Genetlius Episcopus dixit: Si quisquam in periculo fuerit constitutus, & se reconciliari divinis altaribus petierit, si Episcopus absens fuerit, debet utique Presbyter consulere Episcopum, & sic periclitantem ejus præcepto reconciliare. Quam rem debemus salubri consilio corroborare. Ab universis Episcopis dictum est: Placet quod Sanctitas vestra necessario nos instruere dignata est.*

Tempus & ritus imponendi pœnitentiam publicam.

255. Quæres VIII. Quonam anni tempore, & quo ritu imposita fuerit in veteri Ecclesia pœnitentia solemnis? Resp. Post Nativitatis Christi & Epiphaniæ festos dies Ecclesia ad pœnitentiam peccatores excitabat sacra lectione e Libro Genesis petita, in quo narratur, Adamum e paradiso terrestri exturbatum fuisse, universum orbem ob fœdissimos mores aquis diluvii contectum, quatuor nefarias civitates igne cœlesti consumptas fuisse: quæ nostris etiam temporibus in Officio divino Septuagesimæ & Sexagesimæ a Clericis recitantur. Qui his exemplis, incensis-

censisque Episcoporum cohortationibus commovebantur, ad Episcopum ipsum, aut Presbyteros huic ministerio destinatos sese conferebant, & criminibus suis magno candore animi patefactis, quid ad ea expianda facto opus esset ex Pastoribus animarum suarum discebant. Istorum enim erat dispicere, num qui se reos ultro fatebantur, ad pœnitentiam solemnem obeundam admittendi essent, quis item pœnarum modus, & quæ temporis spatia præscribenda essent: denique an clam aliis, an publice agenda foret pœnitentia: an e re communi Ecclesiæ foret, pœnitentem peccata sua palam confiteri, quamvis ad id nulla Ecclesiæ lege teneretur. Subinde qui ad publicam ac solemnem pœnitentiam admissi erant, in capite jejunii sive prima die ineuntis Quadragesimæ ad Ecclesiæ januam comparebant, pannosi, sordidati, vestibusque scissis, qui antiquorum quamdiu in luctu versabatur habitus erat. Iidem Ecclesiam ingressi ex manibus Episcopi cinerem quo caput, & cilicinam vestem qua corpus contegerent accipiebant: tum in terram prostrati tamdiu morabantur, quoad ab Episcopo, Clero, populoque universo preces pro iis de genibus persolutæ essent. His finitis Episcopus apposita exhortatione admonebat pœnitentes, ejecturum se ipsos ab Ecclesia esse, quemadmodum Deus e paradiso Adamum expulit: caverent nihilominus despondere animum, sed potius ingenti in Dei misericordia collata fiducia, magnoque animo pœnas sibi dictatas exsolverent. Post hæc per ministros e Templo eos ejici jubebat, Clero eos prosequente Responsorio illo: *In sudore vultus tui &c.* Qui in hoc pœnitentiæ statu versabantur, domi fere se tenebant, precibus & suspiriis vacantes; diebus vero festis & stationariis ad Ecclesiam veniebant, assignatam sibi stationem occupaturi, donec reconciliarentur. Vide Gratianum in Decreto, Dist. L. Cap. LXIV. & Claudium Fleury de Disciplina Populi Dei, Parte III. Cap. X.

Tempus & ritus pœnitentiæ solemni functos Ecclesiæ reconciliandi.

256. Quæres IX. Quonam anni tempore, & quo ritu fideles expleta legitima pœnitentia Ecclesiæ fuerint reconciliati? Resp. In Mediolanensi & Hispanica Ecclesia id factum fuisse in Parasceve, seu feria VI. majoris Hebdomadæ, docemur ex S. Ambrosio Epist. XXXIII. & Toletana IV. Synodo Can. LXX.; in Romana vero & Gallicana Ecclesia die Cœnæ Domini, ut tradunt S. Innocentius I. Epist. ad Decentium, Cap. VII. *De pœnitentibus, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum, Ecclesiæ Romanæ consuetudo demonstrat.* Et Cabilonense II. A. 813. Can. XLVII. *In Cœna Domini a quibusdam perceptio Eucharistiæ negligitur. Quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis his quibus pro gravibus criminibus inhibitum est, percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstrat: cum etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & sanguinis Dominici Sacramenta reconciliat.* Cæterum non omnes absolvebantur feria V. majoris hebdomadæ, qui eodem anno in capite jejunii solemnem pœnitentiam susceperant; sed ii tantum qui vel ob leviora delicta, vel ob intensum dolorem, vel ob personæ conditionem ac dignitatem judicabantur ab Episcopo condignam satisfactionem exhibuisse. Ritus autem eos Ecclesiæ reconciliandi hic usurpabatur. Postquam feria V. majoris hebdomadæ pœnitentes se ad fores Ecclesiæ stiterant, Episcopus multa prece ad Deum præmissa ingrediendi Templum ipsis copiam denique faciebat, Archidiaconi præsertim rogatu proponentis Antistiti, esse hoc tempus clementiæ in omnes expromendæ maxime opportunum; planeque æquum videri, ut quo tempore Ecclesia gregem suum recens baptizatorum novello fœtu multiplicat, eodem quoque errantes ac prope deperditas oviculas intra septa sua recipiat. Archipresbyter idem flagitabat, asserens ita se gessisse pœnitentes, ut venia & admissione digni sint; Archipresbyteri enim munus erat hujusmodi homines quamdiu in sacro luctu versabantur examinare. His precibus

cibus inductus Episcopus, verba primum ad pœnitentes faciebat de misericordia divina, morumque emendatione palam omnibus in posterum demonstranda, jubens præterea illos ad fidem suæ promissionis faciendam manus in sublime erigere. Ad extremum spe bona de ipsorum integra conversione plenus solemnem iis ac canonicam absolutionem impertiebat: qua accepta continuo barbam & capillos attondere, saccum & cineres ponere, vitamque more cæterorum fidelium rursum inire pœnitentes incipiebant, Sacrorum communioni penitus restituti.

257. Quæres X. An Clerici immunes fuerint a solemni pœnitentia? Resp. Clericos in majoribus Ordinibus constitutos, a solemni pœnitentia immunes fuisse post sæculum tertium, immo etiam sæculo III. quo solemnis pœnitentia ab Ecclesia fuit instituta. Dixi I. *Clericos majores;* id est, Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos; Clerici minores enim non secus ac Monachi & Laici solemni pœnitentiæ addicebantur, ut constat ex Epist. VII. S. Felicis III. ad universos Episcopos, atque ex S. Isidoro Hispalensi Lib. II. de Ecclesiasticis Officiis, Cap. XVI. Dixi II. *A solemni pœnitentia;* Clerici enim majores in gravia & publica crimina lapsi pœnitentiam privatam agere tenebantur, aut etiam suo modo publicam, vel in Monasterium detrusi, vel depositi, & ad laicam communionem redacti; non tamen solemnem illam ac luctuosam, quæ in tertio præsertim substratorum gradu peragebatur, in quo pœnitentes cinere conspersi, saccoque induti, variis laboribus ac pœnis exercebantur in conspectu totius Ecclesiæ, frequenti manuum impositioni Episcoporum & Cleri substrati. *Clerici majores a solemni pœnitentia immunes erant post sæculum III.*

258. Prob. prima pars assertionis I. Auctoritate Pontificum & PP. S. Siricius Epist. ad Himerium, Cap. XIV. ait: *Pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum.* S. Leo M. Epist. XCII. ad Rusticum Narbonensem, Cap. II. *Alienum est a consuetudine Ecclesiastica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo per*

manuum impositionem remedium accipiant pœnitendi; quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est: Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro eo? Unde hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. S. Aug. Lib. I. de Bapt. contra Donatistas, Cap. I. *Sicut redeuntes, qui priusquam recederent baptizati sunt, non rebaptizantur; ita redeuntes, qui priusquam recederent ordinati sunt, non utique rursus ordinantur, sed aut administrant quod administrabant, si hoc Ecclesiæ utilitas postulat; aut si non administrant, Sacramentum Ordinationis suæ tamen gerunt; & ideo eis manus inter laicos non imponitur.* S. Hier. Epist. XLVIII. ad Sabinianum Diaconum, qui plures Virgines corruperat, scribit: *Hortatus sum, ut ageres pœnitentiam, & in cilicio & cinere volutareris, ut solitudinem peteres, ut viveres in Monasterio, ut Dei misericordiam jugibus lacrymis implorares.* Prob. II. Auctoritate Conciliorum. Carthaginense V. A. 401. Can. XI. ait: *Confirmatum est, ut si quando Presbyteri vel Diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos a ministerio necesse fuerit removeri, non eis manus tamquam pœnitentibus, vel tamquam fidelibus laicis imponatur.* Toletanum IV. A. 633. Cap. XXIX. *Si Episcopus, aut Presbyter, sive Diaconus, aut quilibet ex ordine Clericorum, magos, aut aruspices, aut ariolos, aut certe augures, vel sortilegos, vel eos qui profitentur artem aliquam, vel aliquos eorum similia exercentes consulere fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ depositus Monasterii pœnam excipiat, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus, scelus admissum sacrilegii luat.* Similem pœnam, laicæ nimirum communionis, & detrusionis in Monasterium, minime vero solemnem pœnitentiam Episcopis, Presbyteris & Diaconis capitalium criminum reis statuunt Agathense A. 506. Can. L. Epaonense A. 517. Can. XXII. Aurelianense III. A. 538. Can. VII. Rationem hujus disciplinæ geminam assignat S. Basilius Epist. I. canonica ad Amphilochium

chium, Can. III. Prima est, quia bis idem delictum a Deo non punitur: ideoque depositioni Clerici non esse addendam pœnitentiam solemnem. Altera est, quia laicus reus expleto canonicæ pœnitentiæ tempore, in pristinum communionis statum restituitur; Clericus autem ab inflicta semel depositione non resurgit.

259. Prob. etiam altera pars assertionis, tum quia ex veteribus monumentis nullum satis firmum argumentum profertur ab adversariis; tum etiam positive, auctoritate Patrum. S. Optatus Milevitanus Lib. II. contra Parmenianum, Donatistas increpat, quod contra morem in Ecclesia usitatum Episcopos & Presbyteros publicæ pœnitentiæ addixissent. *Multis notum est*, inquit, *& probatum, persecutionis tempore Episcopos aliquos, inertia a confessione nominis Dei delapsos thurificasse, & tamen nullus eorum qui evaserunt, aut manum lapsis imposuit, aut ut genua figerent, imperavit. Et facitis vos hodie post unitatem, quod a nullo factum est post thurificationem?* Atqui S. Optatus non dixisset, a nullo factum id esse, etiam tempore persecutionum; siquidem primis tribus sæculis pœnitentia solemnis fuisset majoribus Clericis imposita. S. Leo M. Epist. XCII. ad Rusticum, Cap. II. ait, alienum esse a consuetudine Ecclesiastica, ut Clericis lapsis manus imponantur; atque ab Apostolica traditione descendere, ut ab hac pœna habeantur immunes. Quod si dicas, Clericos majores non fuisse quidem primis tribus sæculis impositioni manuum subjectos, sed tantum publicæ pœnitentiæ. Resp. Inutilem esse hanc distinctionem inter solemnem pœnitentiam, & manuum impositionem; siquidem quidquid dedecoris ac verecundiæ, & quidquid duri esse poterat, non ab impositione manuum, sed ab humili & abjecto substratorum statu oriebatur. *Immo etiam sæculo III.*

260. Sæculo tamen V. & VI. in Ecclesia Gallicana & Hispanica Clericis majoribus concessa fuit pœnitentia publica, eam ex pietatis sensu postulantibus, servato etiam ordinis & dignitatis gradu; modo voluntaria

taria peccatorum evulgatione se ipsos non infamassent, ut patet ex Arausicano I. A. 441. Can. IV. *Pœnitentiam desiderantibus Clericis non negandam.* Aurelianensi I. A. 511. Can. XII. Toletano XIII. A. 683. Cap. X. *Hoc sancta Synodus definivit, ut stante priscorum Canonum sanctione, quicunque Pontificum vel Sacerdotum, deinceps per manus impositionem pœnitentiæ donum exceperint, nec se mortalium criminum professione notaverint, tenorem retentandi regiminis non omittant: sed per Metropolitanum, reconciliatione pœnitentium more suscepta, solita compleant ordinis sui officia, vel cætera Mysteriorum sibi credita Sacramenta.*

261. Dices I. Contra alteram assertionis partem. Canone XXVIII. Apostolorum dicitur: *Si quis Episcopus per pecuniam hanc sit dignitatem assecutus, vel Presbyter vel Diaconus, deponatur & ipse, & qui eum ordinavit, & a communione omnino exscindatur, ut Simon magus a me Petro.* Et Can. XXIX. *Si quis Episcopus sæcularibus principibus usus, per eos Ecclesiam adeptus sit, deponatur, & segregetur, & omnes qui illi communicant.* II. Eliberitanum Can. LXXVI. statuit: *Si quis Diaconum se permiserit ordinari, & postea fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando commiserit; si sponte fuerit confessus, placuit eum, acta legitima pœnitentia, post triennium accipere communionem. Quod si alius eum detexerit, post quinquennium, acta pœnitentia, accipere communionem laicam debere.* Et Neocæsariense A. 314. Can. I. *Presbyter si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit, vel adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.* Ubi nomine pœnitentiæ publica utique illa & solemnis intelligitur, juxta stylum Ecclesiasticum. III. Eusebius Lib. V. Hist. Eccles. Cap. ult. refert, Natalium Episcopum, cilicio & sacco indutum, cum lacrymis ad pedes Zephyrini Pontificis se abjecisse supplicem, & non modo ad Cleri, sed etiam laicorum genua advolutum esse. IV. S. Cyprianus Epist. LII. ad Antonianum, excusat Cornelium

lium Pontificem, quod Trophimum Sacerdotem ad Ecclesiam redeuntem, condonatis pœnitentiæ laboribus, ad laicam communionem admiserit; quia maximam plebis multitudinem, quam ab Ecclesia abstraxerat, ad ejusdem sinum revocavit. Atqui si juxta morem Ecclesiæ Clerici in majoribus Ordinibus constituti, pœnitentiæ publicæ non fuissent subjecti, offensus non fuisset Antonianus ex nimia Cornelii lenitate, nec Cyprianus eum excusasset. V. S. Cyprianus Epist. LIX. ad Fidum, reprehendit Therapium Episcopum, quod Victori Presbytero pacem dederit, antequam is plenam pœnitentiam egisset. Ergo Victor Presbyter subjectus fuit pœnitentiæ publicæ, quamvis eam non expleverit. VI. Idem Epist. LXVIII. ad Clerum & plebes in Hispania consistentes scribit, Basilidem Episcopum nefando idololatriæ libello contaminatum, Episcopatum pro conscientiæ suæ vulnere sponte deposuisse, ad agendam pœnitentiam esse conversum, satisque sibi gratulatum fuisse, si sibi laica communio concederetur. At sibi ex ea spe gratulatus non fuisset Basilides, si majores Clerici pœnitentiæ publicæ non fuissent obnoxii. Resp. ad I. Canones illos nec Apostolicos esse, nec viguisse eo tempore pœnitentiam solemnem, neque ullam illius mentionem ibi fieri, sed tantum depositionis. Ad II. Resp. Pœnitentiam illis præscribi, at non publicam & solemnem, sed privatam. Neque refert, quod Canones illi non distinguant inter solemnem & privatam; satis enim distinguebat ipse usus ac praxis recepta. Ad III. Resp. Natalium Episcopum nulla lege ac sententia compulsum id fecisse, sed ex summo pietatis & contritionis ardore. Ad IV. Resp. Antonianum commotum fuisse adversus Cornelium, quod accepisset, Trophimum redeuntem restitutum ab eo fuisse honori Sacerdotii, nulla peracta pœnitentia, ut ex cit. Epistola S. Cypriani patet: *Sic tamen admissus est Trophimus, ut laicus communicet; non secundum quod ad te malignorum litteræ pertulerunt, quasi locum Sacerdotis usurpet.* Ad V. N. C. Cyprianus nullibi

nullibi aſserit, plenam illam pœnitentiam, a Clericis juſsu Africanæ Ecclesiæ peragendam, publicam fuiſse & solemnem, Clericis æque ac laicis communem. Ad VI. Resp. Basilidem ex ea spe gratulari sibi potuiſse, non quia Clericos majores solemnibus publicæ pœnitentiæ ritibus subjici usus volebat; sed quia Ecclesia potuiſset certum privatæ pœnitentiæ tempus Clericis præscribere, & quoad illud exegiſsent, communionem illis differre.

Omnia peccata mortalia nusquam ſubdita fuiſſe legi pœnitentiæ publicæ, auctoritate Patrum.

262. Quæres XI. An cujusvis peccati mortalis reos Ecclesia publicæ pœnitentiæ addixerit? Resp. Omnia peccata mortalia indiscriminatim nusquam subdita fuere legi pœnitentiæ publicæ; sed canonica tantum peccata, nempe idololatria, homicidium & adulterium, eorumque species manifestæ quibus succeſsu temporis non nulla alia addita fuerunt. Prob. aſsertio 1mo. Auctoritate PP. Tertull. jam Montanista, Lib. de Pudicitia, Cap. V. carpens Decretum Zephyrini, quo mœchis pœnitentia functis venia concedebatur, trium dumtaxat capitalium criminum meminit, quæ Ecclesia Catholica pœnitentiæ publicæ addicebat, nempe idololatriæ, homicidii, & mœchiæ: *Adſtitit idololatra, adſtitit homicida, in medio eorum adſtitit & mœchus: pariter de pœnitentiæ officio ſedent in ſacco, & cinere inhorreſcunt, eodem fletu gemiſcunt, eisdem precibus ambiunt, eisdem genibus exorant, eamdem invocant matrem. Quid agis molliſſima & humaniſſima diſciplina? Aut omnibus eis hoc eſſe debebit, aut ſi non omnibus, noſtra eſſe. Idololatram quidem & homicidam ſemel damnas, mœchum vero de medio excipis, Idololatriæ ſucceſſorem, homicidæ anteceſſorem, utriusque collegam?* S. Cypr. quoties de publica pœnitentia agit, Idololatras aut mœchos ejus legibus subjectos fuiſse significat, homicidas procul dubio additurus, si quod tractabat argumentum id postulaſset. S. Pacianus in Paræsi ad pœnitentiam, postquam dixiſset, *Ne quis exiſtimet propter innumera delicta, quorum fraudibus nullus immunis eſt, me omne hominum genus indiſcreta pœnitentiæ lege conſtringere*, crimina recenset, quæ publicæ pœni-

pœnitentiæ remediis curanda sunt, illaque repetit ex Epistola Apostolica Concilii Jerosymitani Actuum Cap. XV. *Necesse est ut abstineatis vos ab idolothytis, & sanguine, & fornicatione.* Tum subjungit: *Reliqua peccata meliorum operum compensatione curantur: hæc vero tria crimina, ut basiliſci alicujus afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo metuenda sunt; non enim vitiare animam, sed intercipere noverunt. Quare tenacitas humanitate redimetur, convicium satisfactione pensabitur, tristitia jucunditate, asperitas lenitate, gravitate levitas, honestate perversitas, & quæcunque contrariis emendata proficiunt. Quid vero faciet contemptor Dei? Quid aget sanguinarius? Quod remedium capiet fornicator? Numquid aut placare Dominum desertor ipsius poterit, aut conservare sanguinem suum, qui fudit alienum, aut redintegrare Dei templum, qui illud fornicando violavit? Ista sunt capitalia, fratres, ista mortalia.* S. Basilius in tribus Epistolis Canonicis ad Amphilochium pœnitentiam publicam idololatris dumtaxat, homicidis, mœchis, sepulcrorum effossoribus, furibus convictis, & vatibus seu divinatoribus, nec non iis qui ipsos consulunt, præscribit. Can. XIV. ait: *Qui usuras accepit, si injustum lucrum in pauperes consumere voluerit, & ab avaritiæ morbo deinceps liberari, ad Sacerdotium admitti potest.* Atqui ad Sacerdotium nemo admitti poterat, qui in publica pœnitentia fuerat versatus. Can. XXX. *De his qui rapiunt* (Virgines) *Canonem quidem antiquum non habemus, sed propriam sententiam proferimus, ut ipsi, & qui cum eis rapiunt, tribus annis sint extra orationes. Quod autem violenter non fit, nulli est pœnæ obnoxium, quando nec stuprum, nec furtum rem præcesserit; est autem vidua sui juris, & in ejus est potestate sequi.* Ergo raptus ante tempora S. Basilii non castigabatur pœnitentia publica; neque raptorem publicæ pœnitentiæ subjecit Basilius, qui Virginem vel Viduam abducit consentientem, etiamsi sit sub potestate parentum, quibus certe gravem injuriam inferri nemo inficiabitur. Can. XXXIV. adulterio pollutas mulieres pœnitentiæ

publicæ subjici vetat, ne forte apud maritos in suspicionem patrati sceleris veniant. At si pœnitentia publica non pro graviſsimis tantum, sed pro omnibus peccatis mortalibus indicta fuiſset, nullam habuiſsent mariti causam fidem uxorum in dubium vocandi. S. Greg. Nyssenus in Epist. canonica ad Letoium, Melitinensem in Armenia Episcopum, Can. VI. diserte aſserit, multa fuiſse mortalia, quibus nulla pœna canonica a Patribus imposita fuerat: atque ex omnibus delictis quæ ex ira nascuntur, quorum multa mortalia sunt, ut v. g. convicium, maledictum &c. solum homicidium publicæ pœnitentiæ a Patribus fuiſse subjectum. Can. XV. idem testatur de avaritia, seu de immoderato ditescendi affectu, exterius prodente se per actus, quorum plerique graviter mali sunt. *Et tamen*, inquit, *hæc morbi ſpecies nec conſiderata, nec ullo remedio curata, ſed omnino prætermiſſa eſt.* Can. XVI. postquam prædones homicidarum pœnis, adeoque publiccæ pœnitentiæ subjecit, de furibus qui res alienas clanculum surripuerant, ait: *Qui autem occulta ſubtractione ſibi alienum uſurpat, ac deinde per Confeſſionem peccatum ſuum Sacerdoti aperit, ſtudio quod circa contrarium illius vitii adhibebit morbum curabit, res ſuas largiendo pauperibus, ut dum quæ habet profundit, ſe ab avaritiæ morbo liberum aperte oſtendat.* Can. XVII. *Sin autem nihil aliud præterquam ſolum corpus habeat, jubet Apoſtolus per laborem corporalem ei morbo mederi, ſic dicens. Qui furatur, non amplius furetur, ſed potius laboret bonum operans, ut poſſit ei largiri qui indiget.* S. Leo M. Epist. XCII. ad Rusticum Narbonensem, Cap. XVIII. *Qui convivio ſolo Gentilium, & eſcis immolatitiis uſi ſunt, poßunt jejuniis & manus impoſitione purgari, ut deinceps ab idolothytis abſtinentes, Sacramentorum Chriſti poſſint eſſe participes. Si autem aut idola adoravere, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati ſunt, ad communionem eos, niſi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti.* S. Aug. Epiſt. XXII. alias LXVI. ad Aurelium testatur, ætate sua comeſsationes & ebrietates, quæ falsæ pietatis animo

a rudiori

a rudiori plebe in Templis in honorem Martyrum committebantur, publica pœnitentia non fuisse castigatas. Enchiridii, Cap. LXXX. testatur, gravia quædam peccata suis temporibus ita vulgaria fuisse, ut nec Laicos eorum reos anathemate plectere, nec Clericos exauctorare Episcopi auderent: *Sic noſtris temporibus ita multa mala, etſi non talia, in apertam conſuetudinem jam venerunt, ut pro his non ſolum excommunicare aliquem laicum non audeamus, ſed nec Clericum degradare. -- Væ peccatis hominum, qui ſola inuſitata exhorreſcimus; uſitata vero, pro quibus abluendis Filii Dei ſanguis effuſus eſt, quamvis tam magna ſint, ut omnino claudi contra ſeſe faciant regnum Dei, ſæpe videndo omnia tolerare, ſæpe tolerando non nulla etiam facere cogimur.* Ergo ætate S. Augustini non omnia peccata mortalia, quæ sola claudunt regnum Dei, subjiciebantur pœnitentiæ publicæ; alias aliqua excommunicatione saltem improprie dicta fuisſent in laicis punita, quia publici pœnitentes arcebantur a Mensa Eucharistica, & oblationibus. Idem Serm. CCCLII. alias Hom. XXVII. inter L. Cap. III. ait: *Eſt pœnitentia gravior atque luctuoſior, in qua proprie vocantur in Eccleſia pœnitentes, remoti etiam a Sacramento altaris participandi, ne accipiendo indigne, judicium ſibi manducent & bibant. Illa ergo pœnitentia luctuoſa eſt. Grave vulnus eſt: adulterium forte commiſſum eſt, forte homicidium, forte aliquod ſacrilegium; gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum: ſed omnipotens medicus.*

263. Prob. aſsertio II. Auctoritate Conciliorum. Eliberitanum publicæ pœnitentiæ neminem addicit, qui alicujus ex his tribus criminibus reus non eſset. Can. I. idololatras, Can. II. eosdem uti & mœchos & homicidas, Can. III. & VII. mœchos qui poſt pœnitentiam rursus mœchati fuerint, perpetuæ addicit pœnitentiæ. Can. LXXIII. LXXIV. LXXV. pœnitentiam publicam delatoribus & falsis testibus imperavit; quia illa crimina revocantur ad homicidium, ut quæ accusatis mortem inferant vel naturalem vel *Conciliorum.*

canonicam, si Presbyter ob falsum crimen deponatur. Ancyrani Canones publica pœnitentia in alios animadverti non jubent, quam in idololatria pollutos, sive sacrificando sive idolothyta comedendo, item homicidas, adulteros, ac nefandæ libidinis reos. Neocæsarienses Canones imponunt publicam pœnitentiam fornicatoribus tantum, adulteris, incestuosis, polygamis. Immo Can. IV. dicitur: *Si quis mulierem concupiscens, proposuerit cum ea concumbere. & cogitatio ejus non perveniat ad effectum, apparet quod gratia Dei liberatus est*, non utique a privata, sed publica pœnitentia. Laodicenum hæreticos ad Ecclesiam revertentes absque pœnitentiæ publicæ onere suscepit; ait enim Can. VII. *De his, qui ab hæreticis convertuntur, id est, Novatianis, aut Photinianis, aut Tessarescædecatitis, sive baptizati sint illi, seu Catechumeni, non ante suscipiantur, quam omnes hæreses anathematizent, & præcipue illam qua detinebantur. Et tunc demum hi, qui apud eos dicebantur fideles, nostræ doceantur fidei symbolum: & uncti sacro chrismate, sic mysteriis communicent sacrosanctis.* Simili indulgentia Nicænum I. Can. VIII recipi jubet Catharos seu Novatianos: & Catholica Ecclesia simili œconomia usa est erga Donatistas, Pelagianos, Nestorianos &c. quos non solum ad communionem absque pœnitentiæ publicæ onere recepit, verum etiam eorum Presbyteris & Episcopis in eodem gradu & honore manere concesit. Toletanum I. A. 400. Capit. II. ait: *Pœnitentem vero dicimus eum, qui post Baptismum, aut pro homicidio aut pro diversis criminibus gravissimisque peccatis publicam pœnitentiam gerens sub cilicio, divino fuerit reconciliatus altario.*

Atque ex sequelis ostenditur.

264. Prob. assertio III. ex sequelis sane horrendis, quæ maxime odiosum reddidisent fidelibus Sacramentum Pœnitentiæ. Si enim omnia peccata gravia obnoxia fuisent pœnitentiæ publicæ, sequeretur Imo. Debuisse maximam fidelium partem esse sub jugo pœnitentiæ publicæ, & expelli ab Ecclesia, quando

do Sacerdos rem divinam faciebat; pauci sunt enim illi, si cum cæteris conferantur, qui aut numquam graviter delinquunt, aut aliquoties in vita non labantur in peccatum grave. II. Omnibus illis, qui post purgatam semel a lethali crimine conscientiam iterum graviter peccaſsent, abstinendum fuiſse a communione Eucharistiæ, præterquam in mortis articulo; pœnitentia enim publica semel tantum in vita eidem permittebatur. III. Omnes illos, qui peccatum grave confeſsione vel semel tantum expiarant, inhabiles fuiſse ad licite suscipiendos sacros Ordines, ad contrahendum bona conscientia matrimonium, ad nomen militiæ dandum; quia his omnibus interdictum erat ei, qui publicam ac solemnem pœnitentiam peregerat, ut diximus Num. 252. At vero quis tantam in Ministris Ecclesiæ, juvenibus, & militibus jam a prima adolescentia aut sanctitatem omnino incredibilem non admiretur, qui graviter numquam deliquerint; aut inveteratam malitiam non execretur, qui vel Confeſsionem Sacramentalem per plurimos annos distulerint, aut impositam sibi ab Ecclesia pœnitentiam quam diutiſsime neglexerint?

Quidquid adverſarii contendant.

265. Dices I. Tertull. Lib. de Pœnit. Cap. IV. scribit: *Omnibus ergo delictis, ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pœnitentiam ſpopondit.* Ergo omnia peccata gravia subjiciebantur pœnitentiæ publicæ, de qua sola loquebatur Tertullianus, ut patet ex Cap. VII. IX. & X. præcipue cum nullam faciat toto illo libro pœnitentiæ privatæ mentionem. II. S. Cypr. Epist. X. ad Presbyteros & Diaconos Carthaginenses scribit: *Cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam juſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſin veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri jus communicationis accipiant, nunc crudo tempore - - - ad communicationem admittuntur.* Atqui S. Cyprianus per minora peccata intelligit gravia, sed non adeo enormia, quæ nihilominus pœnitentiæ publicæ subjiciebat. III. S. Aug. Lib.

Lib. I. de Symbolo ad Catechumenos, Cap. VII. scribit: *Nolite illa committere, pro quibus neceße eſt ut a Chriſti corpore ſeparemini: quod abſit a vobis. Illi enim, quos videtis agere pœnitentiam, ſcelera commiſerunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania: inde agunt pœnitentiam. Nam ſi levia peccata ipſorum eßent, ad hæc quotidiana oratio delenda ſufficeret. Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Eccleſia, in Baptiſmate, in oratione, in humilitate majore pœnitentiæ.* Atqui nullum peccatum grave, quamvis non sit enorme, duobus prioribus remediis curatur in baptizatis. Ergo expiatur tantum pœnitentia publica. IV. Idem Serm. CCCLII. alias Hom. XXVII. inter L. triplicem distinguit pœnitentiam, primam competentium qui ad Baptismum venire cupiunt, secundam quotidianam pro venialibus, tertiam graviorem & luctuosiorem, sive publicam. Ergo peccata gravia fidelium expungebantur pœnitentia publica, quia Baptismo & oratione deleri non poterant. V. Idem Serm. CCCLI. alias Hom. L. inter L. exposita pœnitentia antebaptismali, & quotidiana pro venialibus, subjungit: *Tertia actio eſt pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis ſubeunda eſt, quæ Legis decalogus continet, & de quibus Apoſtolus ait, Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Ergo cum omnia peccata gravia opponantur Decalogo, & excludant a regno Dei, omnia subjiciebantur pœnitentiæ publicæ. P. C. S. Augustinus omnia peccata gravia subjecit illi pœnitentiæ, in qua homo per Ecclesiasticam disciplinam a Sacramento cœlestis panis separabatur; ait enim loco cit. *Ut qui ſeparari a regno cœlorum timet per ultimam ſententiam ſummi Judicis, per Eccleſiaſticam diſciplinam a Sacramento cœleſtis panis interim ſeparetur.* Sed pœnitentia in qua homo ab Eucharistia separatur, erat publica. Ergo. VI. Gennadius Maſsiliensis Presbyter Lib. de Ecclesiaſt. Dogmatibus, Cap. XXIII. alias LIII. scribit: *Quem mortalia crimina poſt Baptiſmum commißa premunt, hortor prius publica pœnitentia ſatisfacere, & ita Sacerdotis judicio*

judicio reconciliatum communioni ſociari, ſi vult non ad judicium & condemnationem ſui Euchariſtiam percipere. VII. Qui ab Euchariſtiæ participatione arcebantur ſive in foro externo, ſive in foro conſcientiæ, illi inter Conſiſtentes verſabantur. Atqui qui in ea erant ſtatione, cenſebantur publicam agere pœnitentiam.

266. Reſp. ad I. Tertullianum Lib. de Pœnitentia, a Cap. I. ad VII. usque diſſerere de pœnitentia in genere, prout virtus eſt expungendis delictis omnibus neceſsaria; agit enim de pœnitentia quam Deus præcepit: porro Deus non præcepit determinate pœnitentiam publicam vel privatam, ſed pœnitentiam ſecundum ſe & abſolute: quam Eccleſia pro quibusdam peccatis, nimirum pro gravioribus conſtituit publice agendam, pro cæteris vero privatim ſubeundam ſanxit. In poſteriori vero libri parte, quæ a Cap. VII. incipit, pœnitentiæ ſpeciem magis notam ac manifeſtam, nempe publicam explicat, ut propoſita ejus ſeveritate Catechumenos terreret, & a gravioribus peccatis avocaret. Neque vero mirandum eſt, Tertullianum ſolius pœnitentiæ publicæ meminiſſe; propoſuerat enim ſibi de ea tantum diſſerere, quæ ſpecialem habet cum Baptiſmo ſimilitudinem. Talis autem erat pœnitentia publica, tum quia ſemel tantum concedebatur, tum quia remedium erat quo lapſi poſt Baptiſmum in enormia ſcelera Deo reconciliabantur: & quia per illam fideles, ſi ea rite fuiſſent functi, non ſolum gravium delictorum veniam, ſed etiam omnis pœnæ temporalis remiſsionem regulariter conſequebantur. Ad II. Reſp. S. Cyprianum nomine minorum peccatorum non intellexiſſe omnia mortalia, ſed minora e canonicis peccatis, qualia ſunt homicidium & adulterium, quæ ſcilicet non immediate divinam oppugnant majeſtatem, ut idololatria. Contendit nimirum loco citato S. Doctor, illis qui in Deciana perſecutione lapſi idolis ſacrificaverant, non ſtatim ſuffragari debere Martyrum libellos; ſed publicam ac ſeveram prius agendam eſſe illis pœnitentiam, cum aliorum criminum rei, ut v. g. homi-

Quorum exceptiones enervantur.

homicidæ & adulteri publicam pœnitentiam non subterfugiant. Ad III. Resp. S. Augustinus loco citato non affert adæquatam pœnitentiæ divisionem. Cum enim ad Catechumenos sermonem haberet, proferendi erant in exemplum remissionis peccatorum modi Catechumenis notiores, quibus in Ecclesia dimittuntur peccata. Hi autem erant Baptismus, quem mox erant suscepturi, & de cujus virtute ad omnia peccata abstergenda erudiebantur: item oratio Dominica quam edocebantur, & cujus recitationi assuescebant, ac pœnitentia publica, cujus lugubris apparatus ipsis ob oculos versabatur; siquidem pœnitentes cum ipsis audiebant verbum Dei, & cum illis ex Ecclesia dimittebantur ne Sacrificio interessent: privatam autem pœnitentiam non ita noverant; unde S. Augustinus illius ibi non meminit. Ad IV. N. C. Ipse S. Aug. loco citato testatur, luctuosæ ac graviori pœnitentiæ non alia quam gravissima delicta obnoxia fuisse; ait enim: *Illa vero pœnitentia luctuosa est. Grave vulnus est: adulterium forte commissum est, forte aliquod sacrilegium; gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum.* Pœnitentiæ privatæ certe meminit Augustinus tum alibi, tum etiam Lib. de Fide & Operibus, Cap. XXVI. ubi quædam delicta esse ait excommunicatione plectenda, adeoque pœnitentia publica expianda: alia quibusdam correptionum medicamentis sananda, a Sacerdote nimirum pœnitentem peccatorem & secreto confessum arguente, ac pœnitentiam privatim agendam imponente: alia vero, sine quibus hæc vita non agitur, id est, venialia, quotidiana oratione expianda. Ad V. N. C. S. Augustinus loco citato loquitur de pœnitentia, quæ virtute clavium agitur in Ecclesia, eratque modo publica modo secreta, pro conditione peccatorum, ac prudenti Episcopi judicio. Agit namque S. Doctor contra quosdam, qui pœnitentiam detractabant, & propter solam Christi fidem se salvos fore confidebant absque clavium Ecclesiæ ministerio, licet mortalia crimina commisisent. Profecto si lege lata, vel Ecclesiastica consuetudine universa

versa peccata mortalia publicæ pœnitentiæ subdita fuissent, ex Antistitum nutu, arbitrio, ac prudentia non dependisset quædam luctuosæ illi pœnitentiæ subjicere, cætera autem sine illa per Ecclesiæ claves remittere; atqui id ex Antistitum arbitrio ac prudentia dependisse ipse S. Aug. loco citato refert. *Veniat*, inquit, *ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur: & tamquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a Præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum: ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus & supplex, id tamen agat quod non solum illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, ne lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem.* Ad *prob.* D. min. Pœnitentia, in qua homo per Ecclesiasticam disciplinam separabatur ab Eucharistia in foro externo & contentioso Ecclesiæ, id est, per sententiam Judicis Ecclesiastici, erat pœnitentia publica, C. min. In qua homo per Ecclesiasticam disciplinam separabatur ab Eucharistia in foro conscientiæ, sponte obtemperando consilio vel præcepto Confessarii, N. min. Atque de hac secunda separatione loco citato loquitur S. Augustinus, quæ hodiedum adhuc viget in Ecclesia; cum nemini qui gravis peccati conscientiam habet, sumere fas sit Eucharistiam: & Sacerdos non raro differre lapsis absolutionem, eosque ad tempus Eucharistia arcere teneatur, quamvis publica pœnitentia ab aliquot jam sæculis sit sublata. Ad VI. Resp. Verba hæc esse consulentis pœnitentiam publicam, non imperantis ut necessariam; fatetur enim Gennadius, secreta etiam satisfactione, & privata pœnitentia expiari posse peccata. *Sed & secreta*, inquit, *satisfactione solvi mortalia crimina non negamus; sed mutato prius sæculari habitu, & confesso religionis studio per vitæ correctionem, &*

jugi, immo perpetuo luctu miserante Deo, ita dumtaxat, ut contraria pro iis quæ pœnitet, agat. Ad VII. Resp. D. min. Qui erant in statione consistentiæ post emensos tres alios pœnitentiæ gradus, ii censebantur publicam agere pœnitentiam, C. min. Qui simpliciter erant in statione consistentiæ, sive ex sensu pietatis, sive ex consilio aut præcepto Sacerdotis in foro conscientiæ, neque alios pœnitentiæ gradus percurrerant, N. m. Vide Natalis Alexandri Disertationem VI. in Hist. Ecclesiast. Sæculi III.

Peccata quamtumvis canonica, secreta tamen & occulta, pœnitentia publica & solemni non expiabantur.

267. Quæres XII. An peccata occulta subjecta fuerint pœnitentiæ publicæ ac solemni? Resp. Nulla peccata secreta & occulta, quamtumvis canonica & enormia, necessario ac vi sacrorum Canonum, expiari debuisse pœnitentia publica ac solemni. Dixi Imo. *Necessario ac vi sacrorum Canonum;* aliqui enim vel sua sponte, vel hortatu ac consilio Confessarii, propter occulta etiam delicta publicam agebant pœnitentiam. II. *Propter peccata secreta & occulta;* ubi notandum est, crimen aliquod triplici modo dici & esse publicum, si nempe notorium sit notorietate juris, notorietate facti, & famosum. Notorium est *notorietate juris*, quando de eo constat per sententiam judicis, vel per confessionem rei in judicio, vel denique per legitimam depositionem testium. Notorium *notorietate facti* est, si commissum est in præsentia multorum, vel in loco publico, eo tempore quo potuit multis innotescere, vel si passim versetur ob oculos majori parti viciniæ. *Famosum* denique dicitur, quando fama illius ex sufficientibus indiciis orta, pervenit ad majorem partem communitatis. Hinc crimen dicitur & est occultum, quando nec notorium est jure aut facto, nec famosum. Quando canonicum crimen notorium erat notorietate juris, Episcopus injungebat reo pœnitentiam publicam, cui si ille renueret se subjicere, censuris primum Ecclesiasticis, & si hæ non proficerent, invocato etiam brachii sæcularis auxilio, compellebatur. Quando crimen canonicum notorium erat notorietate facti

cli tantum, nempe multis quidem cognitum, sed tamen nec delatum ad judicium Ecclesiasticum, aut non probatum juridice, nec propria confessione manifestatum; tunc aliquando Confessarii jussu reus ab Episcopo pœnitentiam publicam petere cogebatur. Quod si id facere detrectaret, negabatur ei a Confessario absolutio Sacramentalis; non tamen arcebatur a publica Eucharistiæ perceptione, nisi aut fuisset ad Ecclesiæ tribunal delatus, aut propria in judicio confessione convictus.

Ostenditur id ex Patribus.

268. Prob. assertio I. Auctoritate Patrum. S. Basilius Epist. Canonica ad Amphilochium, Can. XXXIV. adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocunque in judicio Ecclesiastico convictas, a publicæ pœnitentiæ lege dispensavit, contentus eas ab Ecclesiastica communione excludere, donec impleretur tempus pœnitentiæ. Putant equidem aliqui, hoc ipso quod adulteræ ab Eucharistia percipienda arcerentur, publica satisfactione mulctatas fuisse: at falsa est hæc eorum opinio; quamvis enim ad publicam pœnitentiam statio consistentium pertinuerit, in qua pœnitentes a communione arcebantur, hic tamen status pœnitentiæ publicæ naturam non induebat, nisi respectu eorum, qui alios pœnitentiæ publicæ gradus, fletus nempe, auditionis, & præcipue substrationis percurrerant, ut paulo ante diximus. S. Aug. Serm. LXXXIII. alias XV. de Verbis Domini, Cap. VII. ait: *Si peccatum in secreto est, in secreto corripe. Si peccatum publicum est & apertum, publice corripe; ut ille emendetur, & cæteri timeant.* Et Serm. LXXXII. alias XVI. de Verbis Apostoli, Cap. VIII. *Novit nescio quem homicidam Episcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo publice corripere; at tu quæris inscribere. Prorsus nec prodo, nec negligo: corripio in secreto; pono ante oculos Dei judicium; terreo cruentam conscientiam; persuadeo pœnitentiam. Hac charitate præditi esse debemus. - - - Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus suis plerumque zelantibus,*

aliquando maritorum ſalutem quærentibus. Nos non prodimus palam, ſed in ſecreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum. Idem Serm. CCCLI. alias Hom. L. inter L. Cap. IV. *Nos vero a communione prohibere quemquam non poßumus, quamvis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſeculari, ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum atque convictum.* Ergo Episcopus neque propter crimen famosum poterat quemquam publicæ pœnitentiæ addicere, alias hoc ipso illum a communione prohibuiſset. Neque dicas, illud *Sponte confeſſum* intelligendum eſse de Confeſsione Sacramentali facta in tribunali pœnitentiæ; nam S. Augustinus loquitur de confeſsione facta in eo foro, in quo potestas excommunicandi exercebantur, adeoque de confeſsione facta in foro externo. Præterea Episcopus notitia criminis ex confeſsione accepta uti non poterat ad excommunicandum pœnitentem, quem ex tali notitia excommunicando sigillum Sacramentale violaſset. S. Cesarius Arelatensis Hom. I. in Quadrag. ait: *Hæc & ejuſmodi commißa expiari penitus communi & mediocri, licet ſecreta ſatisfactione non poßunt; ſed graves cauſæ graviores, & acriores, & publicas curas requirunt; ut qui cum plurimorum afflictione ſe perdidit, ſimili modo cum plurimorum ædificatione ſe redimat.* S. Eligius Noviomensis Episcopus Hom. XVI. *Vos præterea fratres mei alloquimur, quos publica actio criminalis publicam cogit agere pœnitentiam.*

269. Prob. II. Auctoritate Conciliorum. Neocæsariense A. 314. Can. IV. peccatum carnis sola cogitatione commiſsum, eximit a subeunda publica pœnitentia. Vasense A. 442. Can. VIII. statuit: *Quod ſi ſe tantum Epiſcopus alieni ſceleris conſcium novit, quamdiu probare non poteſt, nihil proferat; ſed cum ipſo ad compunctionem ejus ſecretis correptionibus elaboret. Qui ſi correptus pertinacior fuerit, & ſe communioni publicæ ingeßerit; etiamſi Epiſcopus in redarguendo illo, quem reum judicat, probationibus deficiat, indemnatus licet, ab his*

qui

qui nihil sciunt secedere ad tempus pro persona majoris auctoritatis jubeatur: illo, quamdiu probari nihil potest, in communione omnium, præterquam ejus qui eum reum judicat, permanente. Sæculo VII. & subsequentibus, occultis peccatis secretam pœnitentiam fuisse impositam, fatentibus etiam adversariis, manifeste constat tum ex Pœnitentialibus libris Theodori Cantuariensis, Egberti Eboracensis, & Ven. Bedæ; tum etiam ex Conciliis, Arelatensi VI. A. 813. Can. XXVI. Cabilonensi II. A. 813. Can. XXV. Moguntino A. 847. Can. XXXI. Rhemensi II. A. 813. Can. XXXI. Et Lib. V. Capitularium Cap. LII. ex Liptinensi Concilio A. 743. desumpto.

270. Prob. III. Ratione. Credibile non est, Ecclesiam pœnitentes redigere voluisse in tam graves angustias; pronum enim fuisset, ac maxime timendum, ne pœnitentes peccata sua occulta Sacerdoti reticerent, siquidem publica Pœnitentia pro occultis delictis agenda fuisset. II. Pœnitentia publica plerumque imponi non potuisset pro occultis delictis, quin Sacramentale sigillum violaretur. Cum enim canonica delicta ad tria potissimum restringerentur, idololatriam nempe, homicidium, & adulterium, occultorum criminum rei hoc ipso quod a Sacerdote in Sacramentali foro coacti publicam pœnitentiam agerent, prodebantur enormi & canonico crimine commaculati. Quin immo sæpissime ex circumstantiis loci, temporis, ac personarum, reliqui fideles ipsam peccati speciem facile dignoscere, aut saltem non leviter suspicari potuissent. Neque satis pœnitentium famæ eo ex capite consulebatur, quod pœnitentiam publicam eligerent etiam ii, qui nullum crimen commiserant, ii enim & pauci erant, & eximia florere virtute conspiciebantur. Contra occultorum criminum rei & plures erant numero, & plerique aut modicæ, aut ordinariæ tantum probitatis. *Ac ratione Theologica.*

271. Dices I. Quando Canones graviorum criminum reis pœnitentiam publicam imponunt, nuspiam distinguunt inter crimina publica & occulta. II. Ca- *Rigidorum Theologorum argumenta*

nones

nones non tantum attendunt ad scandalum, sed etiam ad gravitatem sceleris, quæ eadem est omnino, sive crimen occultum sit sive publicum. III. S. Basilius Can. XXII. publicam pœnitentiam injungit ei, qui clam a se vitiatam mulierem habet. IV. S. Greg. Neocæsariensis in Epist. Canonica Can. VIII. ait: *Eos autem qui alienas domos invadere ausi fuerint, si accusati quidem convicti fuerint, nec auditione dignos existimare. Sin autem se ipsos enuntiarint, & reddiderint, in eorum qui convertuntur, ordinem substerni.* Et Greg. Nyssenus Epist. ad Letoium Can. IV. *Est autem quædam differentia in ratione pœnitentiæ, qui enim ex se ipso ad sua proferenda peccata pulsus est, eoquod sua sponte occultorum accusator esse voluerit - - - in mitioribus pœnis versatur. Qui autem in malo deprehensus est, vel propter aliquam suspicionem, vel accusationem ingratiis convictus est, longius illi conversationis tempus datur.* Ergo post confessionem criminis occulti in tribunali pœnitentiæ factam, imponebatur pœnitentia publica. V. Ancyranum A. 314. Can. XVI. & XX. publicam pœnitentiam indicit mulieribus partus suos necantibus, & bestiariis, quæ crimina clam utique patrantur. VI. Canones pœnitentiam publicam imponunt homicidis, occultis utique; alias laica potestas capitali supplicio in publicum & manifestum homicidam animadvertisset. VII. S. Ambr. Lib. I. de Pœnit. Cap. XVI. de occultis peccatis pœnitentiæ publicæ subditis ita loquitur: *Si quis igitur occulta crimina habens, propter Christum tamen studiose pœnitentiam egerit, - - - Volo veniam reus speret, & petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoscatur, obsecret: & cum secundo & tertio dilata fuerit ejus communio, credat remissius se supplicasse.* VIII. S. Aug. Serm. CCCXCII. alias Hom. XLIX. inter L. ait: *Qui post uxores vestras vos illicito concubitu maculastis, si præter uxores vestras cum aliqua concubuistis; agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut pro vobis oret Ecclesia. Nemo sibi dicat, Occulte ago, apud*

Deum

Deum ago: novit Deus qui mihi ignoſcat, quia in corde ago. - - - Fruſtramus Evangelium, fruſtramus verba Chriſti. Ergo juxta S. Augustinum pro secreto adulterio non sufficit occulta pœnitentia. IX. S. Innocentius I. Epist. ad Victricium Rothomagensem, Cap. XII. scribit: *Quæ Chriſto ſpiritualiter nupſerunt, & velari a Sacerdote meruerunt, ſi poſtea vel publice nupſerint, vel ſe clanculo corruperint, non eas admittendas eſſe ad agendam pœnitentiam; niſi is, cui ſe junxerat, de ſæculo receſſerit.* Ergo etiam delicta occulta obnoxia erant pœnitentiæ publicæ. X. Quamvis S. Leo M. Epist. LXXX. ad Episcopos Campaniæ, publicam confeſsionem diserte improbaverit; publicam tamen pœnitentiam quæ occultis peccatoribus imponebatur, ne verbo quidem reprehendit: immo eam precipere videtur Epist. XCII. ad Rusticum Narbonensem scribens Cap. ult. *Si autem aut idola adoravere, aut homicidiis, vel fornicationibus contaminati ſunt, ad Communionem eos, niſi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti.* XI. Patres, præcipue Tertullianus, Origenes, S. Ambrosius, S. Pacianus &c. sæpe hortantur peccatores, ut deposito noxio pudore, in conspectum Ecclesiæ prodeant. Ergo in veteri Ecclesia peccatores etiam occulti ad publicam pœnitentiam tenebantur; alias nullam habuiſsent erubescendi causam.

262. Resp. ad I. Id falsum eſse ostendit Canon Neocæsariensis IV. & Vasensis VIII. Præterea licet Canones non distinguerent, eoquod illi breves eſsent agendorum regulæ, quæ non omnes exceptiones continebant; usus tamen ac communis interpretatio sufficiebat huic faciendæ discretioni. Ad II. D. A. Canones attendebant etiam ad gravitatem sceleris junctam simul cum scandalo, C. A. Ad solam gravitatem, etiamsi scandalum abeſsèt, N. A. Ad III. Resp. Mulierem quidem illam clam fuiſse vitiatam, sed a viro domi suæ publice retentam; ideoque crimen aliquo modo in notitiam publicam veniſse. Ad IV. N. C. Gregorius uterque loquitur de confeſsione criminis a reo facta in foro externo coram Judice Ecclesia- *Diluuntur.*

clesiastico, & idoneis testibus: sicque crimen illud, quod antea occultum erat, acquirebat notorietatem juris, fiebatque obnoxium pœnitentiæ publicæ. Plerumque autem crimina illa non erant omnino occulta, sed saltem semipublica: qui vero ejusmodi reus se ipsum accusabat in foro externo, mitius puniebatur, quia spontanea hæc confessio sinceram ejus contritionem ac conversionem denotabat. Ad V. Resp. Crimina illa occulte quidem patrata fuisse; at numquam publica pœnitentia fuisse castigata, nisi postquam publica evaserant. Ad VI. N. A. Quamvis homicidium fuerit publicum, potuit tamen ad Judices sæculares non deferri, vel a Principe condonari: quæ venia sæpe obtinebatur, sive numerata Principi, & parti læsæ pecunia, sive Episcoporum apud Principes intercessione, sive quia reus ad Ecclesiam tamquam ad asylum confugerat, unde extrahi non poterat, nisi data prius a Magistratibus fide de futura nocentis incolumitate. Ubi ergo evenisset homicidium publicum legum civilium severitate non plecti, reus non nisi peracta publica pœnitentia ad Communionem admittebatur. Ad VII. Resp. S. Ambrosium nihil aliud velle, quam quod peccatores occulti ex pietatis impulsu, vel de consilio Sacerdotis aliquando publicam pœnitentiam subjerint, ad quam tamen vi Canonum minime adstringebantur. Dum vero addit, *Volo veniam reus speret, & petat eam lacrymis &c.* hoc unum contendit contra Novatianos, veniam pœnitentia functis concedendam esse: atque ad id unum *το volo* refertur, non vero ad pœnitentiam publicam, quasi huic peccata occulta necessario subjicienda esse statuerit; alias sequeretur omnia prorsus mortalia eidem pœnæ fuisse addicta. Ad VIII. N. C. S. Augustinus loco citato generatim de illa pœnitentia agit, quæ virtute clavium in Ecclesia peragitur, sive publica sive secreta sit; impugnat enim eos, qui putabant satis esse, si coram Deo, & in occulto pœnitentiam agerent, prætermisso Ecclesiæ ministerio. Neque obstat, quod agendam esse pœnitentiam dicat,

ut pro

ut pro pœnitentibus *oret Eccleſia:* nam etiam per Confeſſarium, tamquam miniſtrum ab Ecclesia conſtitutum orat Ecclesia, sicut per eum in Miſsæ Sacrificio aliisque precibus orat. Ad IX. Resp. Harum fœminarum crimen non occultum, sed publicum fuiſse; illarum quidem quæ publice nupserant, publicum fuiſse propter notorietatem facti; earum vero quæ se clanculo corruperant per matrimonium clandestinum, non observatis Ecclesiæ cæremoniis, publicum fuiſse propter notorietatem juris, vel propter famam ex certis indiciis ortam. Profecto occulta crimina pœnitentiæ publicæ obnoxia non fuiſse ipse docet S. Innocentius Epist. ad Exsuperium, Cap. IV. scribens: *Super hoc Chriſtiana religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat. Sed viros ſuos mulieres non facile de adulterio accuſant, & non habent latentia peccata vindictam: viri autem liberius uxores adulteras apud Sacerdotes deferre conſueverunt: & ideo mulieribus prodito earum crimine Communio denegatur; virorum autem latente commiſſo, non facile quisquam ex ſuſpicionibus abſtinetur. Qui utique ſubmovebitur, ſi ejus flagitium detegatur. Cum ergo par ſit cauſa, interdum, probatione ceſſante, vindictæ ratio conquieſcit.* Ad X. Resp. S. Leo de confeſsione publica peccati occulti interrogatus, eam aperte reprobavit; de pœnitentia vero publica occultis peccatis imponenda silet quidem, quia nulla ei hac de re quæstio fuit proposita; eam tamen implicite reprobaſse censendus est, I. Quia publica pœnitentia pro occultis peccatis a Campaniæ Epiſcopis quibusdam imponebatur propter publicam criminis confeſsionem. II. Quia eædem contra publicam pœnitentiam pugnant rationes, quas S. Doctor contra publicam confeſsionem adducit. *Removeatur*, inquit, *tam improbabilis conſuetudo; ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta referare, quibus poſſint legum conſtitutione perceli.* Hinc Epist. XCII. ad Rusticum non nisi de publicis idololatris, homicidis atque adulteris loquitur. Ad

XI. N. C. Quamvis peccatores occulti ad id nulla lege Ecclesiastica tenerentur, Patres tamen frequenter eos ad pœnitentiam publicam hortabantur, quia persuasum habebant, istud pœnitentiæ genus longe efficacius esse tum expiandis præteritis peccatis, tum novis præcavendis. At noxium pudorem deponere oportebat, qui plurimis erat impedimento, tum in ipsa Sacramentali Confessione, quando occulta scelera Sacerdoti manifestabantur: tum præcipue in ipsa obeunda pœnitentia publica. Quamvis enim non tenerentur, eam tamen quamtumvis libere obeundo, toti Ecclesiæ gravissimi alicujus criminis suspicionem ingerebant. Vide hac de re plura apud Tournely in Prælect. Theolog. de Sacram. Pœnitentiæ, Quæst. VIII. Artic. III. Balthassarem Francolinum in Veteris Ecclesiæ severitate a calumniis vindicata, Disput. VII. & VIII. Edmundum Simonnet in Institut. Theolog. Tract. XV. Disput. XI. Artic. II. Josephum Biner in Apparatu Eruditionis, Parte IV. Cap. III. Artic. IV. Paragr. III. Constantinum Roncaglia in Animadversionibus in Dissertationem VI. Historiæ Eccles. Sæculi III. Natalis Alexandri.

Qui pœnitentiam publicam ac solemnem egerint, fuere in veteri Ecclesia respective pauci.

273. Quæres XIII. An multi in veteri Ecclesia publicam ac solemnem pœnitentiam egerint? Resp. Eos fuisse respective paucos, non ob inculpatam vitæ innocentiam omnium ferme Christianorum; siquidem jam sæculo III. & sequentibus plurimi dabantur, quemadmodum nostris etiam temporibus, omni vitiorum genere inquinati, ut patet legenti scripta Patrum, & Historiam Ecclesiasticam; sed aliis ac diversis de causis id contigisse. Ac primo quidem, Minister, seu Judex & arbiter pœnitentiæ publicæ erat solus Episcopus, aut solus Presbyter Pœnitentiarius, qui pariter erat unus in urbibus etiam amplissimis. Quis autem sibi persuadeat, unum hominem in amplissimis civitatibus, v. g. CPoli, Antiochiæ, Alexandriæ &c. expediendis multorum adeo criminosorum hominum causis difficilibus sæpe & intricatis

tricatis parem fuisse? II. Non omnia peccata gravia, ut paulo ante ostendimus, sed enormia tantum & publica obnoxia erant pœnitentiæ publicæ. III. Plurimi a solemni pœnitentia excludebantur, nimirum Clerici in majoribus Ordinibus constituti, milites, nisi arma desererent, quod plerisque integrum non erat; Magistratus publici, conjugati, nisi innocentis partis consensus accessisset; relapsi in crimen canonicum, infirmi, pueri: item illi qui terram colebant, aliasque hujuscemodi artes profitebantur, quibus nec vires nec tempus suppetebat ad ea pœnitentiæ exercitia peragenda. IV. Plurimi publicæ pœnitentiæ rigore absterriti, eam obire recusabant. Hinc Tertull. Lib. de Pœnit. Cap. X. conqueritur: *Plerosque hoc opus ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre, pudoris magis memores quam salutis.* Et S. Cypr. Tract. de Lapsis scribit: *Quam multi quotidie pœnitentiam non agentes, nec delicti sui conscientiam confitentes, immundis spiritibus adimplentur? Quam multi usque ad insaniam mentis excordes, dementiæ furore quatiuntur?* Sæculo IV. & sequentibus, idem a plurimis Christianis factum fuisse, aperte colligitur ex Conciliis & Patribus. Arelatense I. A. 314. Can. ult. ait: *De his qui apostatant, & numquam se ad Ecclesiam repræsentant, ne quidem pœnitentiam agere quærunt, & postea infirmitate arrepti petunt communionem; placuit eis non dandam communionem*, (intellige Eucharisticam) *nisi revaluerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.* S. Pacianus Epist. III. ad Sympronianum: *Labor iste paucorum est, qui post casum resurgunt, qui post vulnera convalescunt, qui lacrymosis vocibus adjuvantur, qui cum interitu reviviscunt.* S. Aug. in Enchiridio, Cap. LXXXI. *Nam & ipsa pœnitentia - - - plerumque infirmitate non agitur, quia & pudor timor est displicendi, dum plus delectat hominum existimatio, quam justitia, qua se quisque humiliat pœnitendo.* Et Serm. CCCXCII. alias Hom. XLIX. inter L. *Resistit mihi filius pestilentiæ, & erubescit genu figere sub benedictione Dei super-*

ba cervix, mens tortuosa? Fortassis, immo quod non dubitatur, propterea Deus voluit ut Theodosius Imperator ageret pœnitentiam publicam in conspectu populi, maxime quia peccatum ejus celari non potuit, & erubescit Senator, quod non erubuit Imperator. Erubescit, nec Senator, sed tantum curialis, quod non erubuit Imperator? Erubescit plebejus sive negotiator, quod non erubuit Imperator. Quæ ista superbia est? Nonne sola sufficeret gehennæ, etiamsi adulterium nullum esset?

Quo tempore solemnis pœnitentia fuerit abrogata?

274. Quæres XIV. Quandonam publica ac solemnis pœnitentia abrogata fuerit? Resp. In Ecclesia Græca id contigisse ad finem sæculi IV. quando Nectarius CPolitanus occasione flagitii a Diacono cum fœmina nobili pœnitente in Ecclesia commissi, Pœnitentiarium Presbyterum, & cum eo solemnem pœnitentiam abrogavit. Non tamen propterea apud Græcos penitus obliterata est pœnarum canonicarum severitas, secreto enim imponunt eas quæ sunt a Canonibus prescriptæ. Latini paulo constantius eam disciplinam ad sæculum usque VII. retinuerunt: tum vero vel disciplinæ rigidioris impatientia, vel ut plures allicerent ad Confessionem & detestationem peccatorum, paulatim consenescere, & in desuetudinem abire disciplinam illam permiserunt, retenta tamen magna ex parte severitate priorum Canonum pœnitentialium, ad quos respiciebatur in imponendis satisfactionibus. At vero post sæculum XI. antiqua severitas relaxari cœpit, fasque fuit pœnas canonicas vel eleemosynis, vel expeditione in Palæstinam, vel spontanea flagellatione, aut aliis piis operibus redimere.

CONTROVERSIA VIII.

DE INDULGENTIIS.

CONTRA MONTANISTAS, NOVATIANOS, WALDENSES, WICKLEFFUM ET PROTESTANTES.

Quid sit indulgentia?

275. *Indulgentia*, prout hic a Theologis consideratur, est remissio pœnæ temporalis peccato personali

nali debitæ, quæ post condonatam culpam æternam luenda superest, extra Sacramentum ab eo data qui potestatem habet spiritualem Ecclesiæ thesaurum dispensandi. Dixi I. *Remissio pœnæ temporalis*; culpa enim & pœna æterna ab Ecclesia remitti nequit, nisi per Sacramenta; neque a Deo remittitur in hac providentia, nisi per infusionem gratiæ sanctificantis: at vero indulgentia neque Sacramentum est, neque gratiam sanctificantem confert, sed eam præsupponit. II. *Peccato personali debitæ*; nam pœnæ peccato originali debitæ, v. g. mors, morbi, fames, sitis, fatigatio &c. per indulgentiam non remittuntur. Hæc etenim debentur naturæ peccato Adami infectæ, quæ non tolluntur, nisi cum mortale hoc induerit immortalitatem. III. *Extra Sacramentum data*; tum ut distinguatur ab ea remissione pœnæ, quæ fit virtute Sacramenti Pœnitentiæ: tum ut insinuetur, non omnem pœnam temporalem, etiam post expletam satisfactionem quam Sacerdos imposuit, ordinarie remitti. IV. *Qui potestatem habet dispensandi &c.* quia hæc remissio fit per modum absolutionis judiciariæ, quæ fundatur in potestate clavium, & jurisdictionem involvit; adeoque non nisi a Superiore Ecclesiastico, & propriis tantum subditis concedi potest.

276. Indulgentia alia dicitur plenaria & totalis, alia partialis. *Plenaria*, est totius pœnæ temporalis relaxatio tam perfecta, quam potest esse vi clavium: sive est remissio pœnarum purgatorii tanta, quanta obtineri potest per pœnitentias, quæ pro omnibus peccatis commissis secundum antiquos Canones fieri debuissent. *Partialis*, seu *non plenaria* dicitur ea, quæ partem dumtaxat pœnæ temporalis remittit, & ad certum numerum dierum vel annorum condonatæ pœnitentiæ restringitur. Unde indulgentiæ v. g. centum dierum vel annorum non significant remissos esse tot dies vel annos purgatorii; sed dumtaxat remissionem pœnitentiæ, quæ fuisset tot diebus vel annis secundum Canones Pœnitentiales peragenda: ideoque quot dies vel anni purgatorii expuncti fuissent

Et Quotuplex?

per

per illam pœnitentiam, totidem expunguntur per indulgentiam illam non plenariam centum dierum vel annorum.

Quid Jubilæum?

277. Ad Indulgentiam plenariam referri potest Indulgentia *Jubilæi*, quæ præter totius pœnæ temporalis relaxationem aliqua continet privilegia omnino singularia, v. g. potestatem eligendi quemlibet Confessarium ex approbatis, qui possit ab omnibus etiam reservatis peccatis & censuris absolvere, votaque omnia, excepto voto religionis & castitatis perpetuæ, in alia opera commutare. Dictus est Annus sanctus, sive Jubilæus, qui significat annum remissionis, ad instar magni Jubilæi Judaici; quia quemadmodum in illo, quolibet recurrente anno quinquagesimo, omnia remittebantur debita, agri ac domus venditæ reddebantur prioribus Dominis, servi cum suis liberis in libertatem pristinam restituebantur, omnisque labor agriculturæ cessabat, ut præcipitur Cap. XXV. & XXVII. Levitici: ita anno Jubilæo Catholicorum servi peccati redeunt in libertatem filiorum Dei, debita pœnæ temporalis relaxantur, merita bonis operibus comparata, & per peccatum subsequens extincta reviviscunt, atque ita peccatores ad pristinam possessionem revertuntur. Porro annum Jubilæum non instituit, sed tantum instauravit Bonifacius VIII. A. 1300. lataque in perpetuum lege decrevit, ut centesimo quoque anno venia peccatorum donarentur quicumque Romana Templa venerabundi inviserent. Postea Clemens VI. A. 1350. annorum compendium fecit, & Jubilæum sæculare revocavit ad annum quinquagesimum: Urbanus VI. A. 1389. ad trigesimum tertium, in memoriam annorum XXXIII. quos creditur Christus egisse in terris. Verum Constitutio Clementis VI. observata fuit tum anno 1400. a Bonifacio IX. tum A. 1450. a Nicolao V. Tandem Paulus II. A. 1570. Jubilæum reduxit ad quemlibet annum vigesimum quintum: quam legem confirmavit Sixtus IV. A. 1473. & nunc Ecclesia observat. Præter annum vigesimum

gesimum quintum recurrentem, solet Romanus Pontifex gravibus de causis, quoties nempe recens inauguratur, aut quando Ecclesia magnis calamitatibus premitur, indulgentias concedere *ad instar Jubilæi* dictas, quia iisdem ferme gaudent privilegiis, quibus Jubilæum.

278. Indulgentia dividitur præterea in personalem, localem, & realem. *Personalis* est ea, quæ directe datur in gratiam certæ personæ, ut v. g. in gratiam Religionem profitentium. *Localis*, quæ in favorem loci conceditur, ut v. g. in determinato aliquo Templo orantibus. *Realis* est ea, quæ in favorem rei alicujus sacræ conceditur, sive quæ annexa est v. g. Imagini sacræ, vel numismati. Localis & realis subdividitur in *perpetuam*, quæ nullo tempore circumscribitur, quamque toties quilibet lucrari potest, quoties rem injunctam exequitur eo quo par est animo religionis & pietatis: & in *temporalem*, quæ ad certum & definitum tempus limitatur, v. g. XXIV. horarum, quamque semel tantum quis lucrari potest. *Alia indulgentiarum divisio.*

279. Adversus Catholicam de indulgentiis doctrinam insurrexere Montanistæ & Novatiani. Cum enim Ecclesiæ denegarent potestatem remittendi graviora saltem crimina post Baptismum commissa, consequens erat ut dicerent, pœnam iis debitam nulla posse satisfactione æquari; adeoque nec posse quidquam de ejus persolutione Ecclesiæ potestate laxari, sed soli Deo totum hoc judicium committendum esse. Hinc æquo animo ferre non poterant, Lapsis ad Ecclesiam revertentibus, post pœnitentiam aliquo tempore peractam, ad Martyrum supplicationes condonari ab Ecclesia residuas pœnas, pacemque illis concedi. Patet id ex Tertulliano, qui jam in Montani hæresin lapsus, Lib. de Pudicitia, Cap. ult. contra Zephyrinum Pontificem Romanum ita declamat: *At tu & in Martyres tuos effundis hanc potestatem, ut quisque ex consensione vincula induit adhuc mollia in novo custodiæ nomine, statim ambiunt mœchi, statim adeunt fornicatores.* *Errores Sectariorum.*

Jam

Jam preces circumſonant. - - & pacem ab his quærunt, qui de ſua periclitantur. - - Sufficiat Martyri propria delicta purgaſſe: ingrati & ſuperbi eſt in alios quoque ſpargere, quod pro magno fuerit conſecutus. Quis alienam mortem ſua ſolvit, niſi ſolus Dei Filius? Sæculo XII. Waldenses contemptores fuiſse indulgentiarum referunt Reynerus Lib. contra Waldenses, Cap. VI. S. Antoninus, & Joan. Card. Turrecremata. Sæc. XIV. contra indulgentias acerrime invectus est Joannes Wickleffus, cujus Articulus ordine XLII. in Constantiensi Synodo damnatus est: *Fatuum eſt credere indulgentiis Papæ & Epiſcoporum.* Magistrum secutus est discipulus Joannes Hus in disputatione adversus Indulgentias Papales conscripta A. 1412.

Occaſio Lutheranæ Tragœdiæ

280. Sæculo XVI. occasione indulgentiarum exorta est Lutherana Tragœdia. Cum enim Albertus Brandemburgicus, Archiepiscopus Moguntinus & Magdeburgensis, Joanni Tezelio Ord. Præd. provinciam demandaſset promulgandi in Germania indulgentias a Leone X. illis conceſsas, qui pro absolvenda fabrica Basilicæ Vaticanæ aliquid largirentur, Staupitius Fratrum Eremitarum S. Augustini per Germaniam Generalis Vicarius, atque apud Saxoniæ Electorem Fridericum perquam gratiosus, graviter ac moleste id tulit, quod contra morem præteritis Augustinianis, id muneris Dominicanæ familiæ alumnis fuerit demandatum. Quare urente hominem invidia promptiſsimos suorum hortatur, atque hos inter Martinum Lutherum, Islebii in Saxonia natum A. 1483. hominem gutture, lacertis, eloquentia atque ingenio conspicuum, ac vel tunc etiam insigniter superbum ac temerarium, ut contenta voce contra Indulgentias declamarent, abusus eas promulgantium carperent, & quæ in commendationem indulgentiarum incautius illi protulerant, acri censura perstringerent.

Lutheri Initia.

281. Lutherus itaque Staupitii sui patrocinio, & doctrinæ fama fretus, quam in Academia Vittenbergensi recens ab Electore Saxoniæ erecta obtinebat, e sacro Templorum suggestu primo quidem sordidas

Quæ-

Quæstorum artes privatosque abusus insectari: tum vero ad ipsas indulgentias impugnandas temere digressus, palam asserere, indulgentias plus detrimenti fidelibus quam utilitatis afferre; ignaviæ illas blandiri, bonorumque operum studium ac salutis curam enervare: satius esse in pauperes, quam in superbam fabricam aurum elargiri. Eodem tempore scriptis ad Moguntinum litteris, de Quæstorum improbitate & abusibus conqueritur, adjectis ad calcem Epistolæ XCVII. Conclusionibus circa Indulgentias, quas non expectato responso eadem die proposuit in Templo Vittenbergensi, typisque mandatas per omnem late Germaniam dispergendas curavit in Vigilia Sanctorum omnium A. 1517. Atque ex hoc igniculo paulatim incendium exarsit, quo Germania tota cum finitimis regionibus conflagravit.

282. Tezelius his cognitis, Francofordiæ ad Oderam Theses CVI. opposuit, exustis publico in foro Lutheri assertionibus. Tezelio vicem reddiderunt Vittenbergæ Lutheri discipuli, Tezelii thesibus palam concrematis. Stylum mox contra Lutheri propositiones acuerunt Joannes Eckius, Theologiæ Professor Ingolstadiensis, & Sylvester Mozolinus, Prieras, Ord. Præd. Sacri Palatii Magister, quibus Lutherus respondit, atque ad Leonem X. litteras misit obsequii plenas, quibus se doctrinam ejus, tamquam cœlo delapsam, recepturum pollicetur, dum interea in Saxonia populos ad excutiendam Romani Pontificis, ut ipse ajebat, tyrannidem sollicitat. Anno 1518. Romam, ubi theses ejus declaratæ fuerant hæreticæ, ad dicendam causam vocatus, per Fridericum Saxoniæ Electorem impetravit, ut causa sua Augustæ Vindelicorum coram Thoma de Vio Card. Cajetano cognosceretur, Pontificio ibidem ad Imperii Comitia Legato: quo urgente, ut citra disputationem, (quia e Legati dignitate non erat cum factioso & turbulento Monacho disceptare) propositiones suas publice retractaret; Lutherus affixa appellatione ad Pontificem Maximum, Vittenbergam contendit, sparsis

Ejus versipellis animus, & obstinatio.

in Cardinalem probris, quod is inhumaniter omnino veritatem retractari imperarit. Paulo post ad proterendam Pontificis auctoritatem major illi addebatur animus favore potissimum Saxoniæ Septemviri, qui eisdem diebus demortuo Maximiliano I. piissimo Cæsare, Vicariatum Imperii iis in regionibus, quæ Juri Saxonico obnoxiæ sunt, adeptus erat interregni tempore, quo nihil optatius Lutheri rebus accidere poterat. Tum enim ille non amplius Pontificem circumspicere, sed ad Generale Concilium, immo ad Verbum Dei, quod solum in Fidei controversiis supremum Judicem agnoscebat, consueta hæreticis indole appellare cœpit.

Romæ a Leone X. damnatur.

283. Tandem A. 1520. XVII. Kalend. Julii Leo X. Articulos XLI. e Lutheri libris excerptos proscripsit, anathema eidem comminatus, nisi intra dies LX. impiam doctrinam revocaret. Hos inter articulos sex numerantur, qui de indulgentiis agunt. XVII. *Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi & Sanctorum.* XVIII. *Indulgentiæ sunt piæ fraudes fidelium, & remissiones bonorum operum: & sunt de numero eorum, quæ licent, & de numero eorum, quæ expediunt.* XIX. *Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam.* XX. *Seducuntur credentes indulgentias esse salutares, & ad fructus spiritus utiles.* XXI. *Indulgentiæ necessariæ sunt solum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris solummodo & impatientibus.* XXII. *Sex generibus hominum indulgentiæ nec sunt necessariæ, nec utiles: videlicet mortuis, seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt, sed non publica; his qui meliora operantur.*

Lutheri furor in Pontificem.

284. Lutherus posteaquam doctrinam suam a Leone X. proscriptam esse intellexit, in rabiem actus, Vittenbergæ Decretum Gratiani, Decretales Romanorum Pontificum Epistolas, atque ipsius Leonis X. Bullam, tota urbe inspectante, non sine effusa gratulatione

tulatione in accensam lignorum struem conjecit, dicens: *Quia Sanctum Domini conturbasti, conturbet te ignis æternus.* Tum interposita ad futurum Generale Concilium appellatione, in Romanum Pontificem, velut Antichristum diabolis omnibus pejorem, petulantissime invectus est rabidi canis more, editisque libris Assertionum, & de Captivitate Babylonica palam asseruit, Indulgentias meras esse Pontificum imposturas, perniciosas esse fidelibus, solique superstitioni fovendæ opportunas. Hominem sola fide justificari, liberarique ab omni delicto culpæ & pœnæ.

Doctrina novatorum sæculi XVI.

285. Luthero adhæserunt Zwinglius, Melanchton, Calvinus, cæterique omnes novi Evangelii buccinatores. Neque aliter de Indulgentiis sentire poterant, nisi errorum suorum fundamenta penitus subruerent. Si enim sola fides justificat, omnesque pœnas peccatis debitas remittit: si Deus opera nostra bona aversatur, neque ullo modo a nobis exigit, ut divinæ justitiæ pro commissis peccatis satisfaciamus, manifestum est, neque Purgatorium dari, neque Ecclesiæ a Christo concessam fuisse potestatem indulgentias conferendi, utpote inutilem atque omnino supervacaneam. At vero quam fluxa & evanida sint hæc Protestantium fundamenta, ostendimus tum præcedente Controversia, tum etiam Tomo IV. Artic. III. & Tomo V. Artic. II.

Protestantium accusationes iniquæ.

286. Solent hic ut plurimum Protestantes argumentum ab invidia ducere. Ac primo quidem effusam Romanorum Pontificum in concedendis indulgentiis liberalitatem amplificant, ajuntque, præter alia Alexandrum III. Anconitanis concessisse Dominica prima cujusque mensis indulgentiam tot annorum, quot arenæ grana junctæ simul hominis manus continere possunt: tum deinde in Quæstorum avaritiam, luxum, atque improbitatem acerrime invehuntur, ajuntque causam se habuisse a Romana Ecclesia idcirco secedendi. Sed facile respondemus, multa proferri posse Pontificiæ moderationis exempla in concedendis indulgentiis. Clemens VIII. certe & Innocentius

XI. complures indulgentias apocryphas expunxere: Clemens IX. novam Cardinalium, aliorumque Prælatorum Congregationem instituit, facultate præditam difficultates omnes ac dubia circa indulgentias emergentia expediendi, atque abusus, siqui irrepsisent, tollendi ac emendandi. Quanta soleat esse Romanorum Pontificum hoc in negotio circumspectio ac vigilantia, vide apud Benedictum XIV. Lib. XIII. de Synodo Diœcesana, Cap. XVIII. Quæ de Alexandro III. moderatissimo alias Pontifice in his favoribus elargiendis dicta sunt, cum Baronio ad A. C. 1177. Num. 49. ad fabellas risu excipiendas amandamus. Alterum quod attinet, fatemur quidem multos irrepsisse Quæstorum abusus, qui vanis superstitiosisque promissionibus pecunias undecunque emungebant, ut dicitur in Viennensi Concilio Clementina II. de Pœnit. & Remiss. Atque hinc Tridentinum extincto Quæstorum officio & nomine plurimis inviso, provinciam indulgentias promulgandi locorum Ordinariis sive Episcopis demandavit. At vero Protestantes idcirco legitimam habuisse a nobis secedendi causam omnino negamus, præcipue quia contra Pontificum & Ecclesiæ mentem Quæstores aliqui eleemosynarum multa perperam egerunt. Quis enim ignorat, veram Christi Ecclesiam non Angelorum, sed hominum esse cœtum, multaque quotidie malitia hominum contingere, ob quæ nemini sanæ mentis Ecclesiam contemnere, aut illam in jus vocare permittitur.

Doctrina Tridentini de Indulgentiis.

287. Cum vero Protestantes vel dogmatum nostrorum ignari, vel ad conflandam nobis invidiam, multa Catholicis affingere soleant a vero prorsus aliena, juvabit Catholicam de Indulgentiis doctrinam ex Tridentino Concilio recitare Sess. XXV. Decreto de Indulgentiis: *Cum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit; atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit: sacrosancta Synodus indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate*

ritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet & præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit; ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero, qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos & correctos cupiens, præsenti Decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Cæteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocunque provenerunt, cum ob multiplices locorum, & provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas, commode nequeant specialiter prohiberi; mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiæ suæ colligat, eosque in prima synodo provinciali referat, ut aliorum quoque Episcoporum sententia cognita, statim ad Summum Romanum Pontificem deferantur: cujus auctoritate & prudentia, quod Universali Ecclesiæ expediet, statuatur; ut ita Sanctarum Indulgentiarum munus pie, sancte, & incorrupte, omnibus fidelibus dispensetur.

288. Conclusio dogmatica. Ecclesia a Christo accepit potestatem conferendi Indulgentias, eaque constanter ac perpetuo fuit usa. Prob. I. Auctoritate Script. Matth. Cap. XVIII. ait Christus Apostolis: *Amen dico vobis, quæcunqne alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Item Joan. Cap. XX. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ergo Apostolis data est a Christo potestas tollendi quælibet vincula, quibus homines impediri queunt ab ingressu cœli. Atqui ejusmodi vincula seu obstacula sunt peccata, non tantum quoad culpam, quæ in Sacramento Pœnitentiæ a Sacerdote nomine Dei remittitur; sed etiam quoad pœnam tempora-

Ecclesia a Christo accepit potestatem conferendi Indulgentias.

poralem, quæ post condonatam culpam luenda remanet. Ergo data fuit Apostolis potestas remittendi pœnam illam temporalem: adeoque data fuit illis a Christo potestas conferendi Indulgentias, quæ nihil aliud sunt, quam remissio pœnæ temporalis, quæ post commissum peccatum vel in hac vel in altera vita luenda remanet. Profecto sicut potestas retinendi & alligandi includit potestatem imponendi pœnam; sic potestas remittendi & solvendi includit potestatem easdem pœnas relaxandi.

Eaque potestate semper fuit usa.

289. Prob. II. ex usu Ecclesiæ. Ecclesia ab omni retro ætate indulgentias concessit. Ergo hanc potestatem a Christo Domino accepit; alias primitiva etiam Ecclesia in errorem lapsa fuisset & sacrilegium, contra omne fas hanc potestatem sibi arrogando. P. A. Sæculo I. Apostolus II. ad Cor. Cap. II. donavit incestuoso partem pœnæ quam subire debebat: idque in persona Christi, id est, ac si Christus donasset, adeoque & in conscientia seu foro interno: *Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donavi, siquid donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur a satana.* Corinthii nimirum rogaverant Apostolum, ut locum hunc interpretantur S. Chrysost. Hom. IV. in IIdam ad Corinth. S. Pacianus Epist. III. ad Sympronianum, S. Ambr. Lib. I. de Pœnit. Cap. VI. Theodoretus, Oecumenius, Theophilactus, & S. Thomas in l. c., ut incestuoso excommunicato, & seriam pœnitentiam agenti ignosceret, & condonaret quod supererat pœnitentiæ: annuit B. Paulus, jussitque ut ipsi nomine suo, & auctoritate sibi a Christo ad hoc collata, partem residuam pœnæ incestuoso vere pœnitenti remitterent, ne nimia absorptus tristitia ob nimiam severitatem & ipse incestuosus pœnitens, & ipsi Corinthii circumvenirentur a satana.

290. Sæculo II. & III. Ecclesia ad petitionem Martyrum de impositis vel imponendis satisfactionis operibus Lapsis plurimum relaxabat; tantumque Martyribus honorem deferebat, ut quod perpessi ipsi fuissent,

sent, aut forent perpeſsuri, pro aliorum quos Episcopis commendabant, pœnitentia acceptaret. Hujus indulgentiæ plures e Veteribus meminere. Tertull. adhuc Catholicus in libro ad Martyres, Cap. I. scribit: *Pacem quidam in Eccleſia non habentes, a Martyribus in carcere exorare conſueverunt: & ideo eam etiam propterea in vobis habere, & fovere, & cuſtodire debetis, ut & aliis præſtare poſſitis.* Eusebius Lib. V. Hist. Eccles. Cap. I. Epistolam Cleri Lugdunensis ad fideles Asiæ minoris exhibet, in qua de Martyrum Lugdunensium & Viennensium pietate erga Lapsos in persecutione dicitur: *Martyres ea quibus abundabant, bona indigentibus liberaliter miniſtrabant, materna quædam miſericordiæ viſcera geſtantes, magnamque vim lacrymarum pro illorum ſalute coram Deo Patre fundentes. Vitam petierunt, quam & largitus eſt Deus; quam etiam illi proximis ſuis communicarunt, ubi victores ad Deum profecti: cumque pacem dilexißent, pacem* (id est, reconciliationem lapsorum) *nobis* (Clero Lugdunensi) *commendaßent, ipſi cum pace migraverunt ad Dominum.* S. Cyprianus Epist. XIII. ad Presbyteros & Diaconos Carthaginenses scribit: *Occurrendum puto fratribus noſtris; ut qui libellos a Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari poßunt, ſi incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra apud Presbyterum quemcunque præſentem - - exomologeſin facere delicti ſui poſſint; ut manu eis in pœnitentiam impoſita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis deſideraverunt.* Epistola tamen XI. ad Martyres, monet illos, ne libellos omnibus petentibus promiscue concedant. *Oro vos quibus poſſum precibus, ut Evangelii memores, & conſiderantes, quæ & qualia in præteritum anteceßores veſtri Martyres conceßerint, quam ſolliciti in omnibus fuerint, vos quoque ſollicite & caute petentium deſideria ponderetis, utpote amici Domini, & cum illo poſtmodum judicaturi inſpiciatis & actum, & opera, & merita ſingulorum; ipſorum quoque delictorum genera, & qualitates*

cogi-

cogitetis, ne ſiquid abrupte & indigne, vel a vobis promiſſum, vel a nobis factum fuerit, apud Gentiles quoque ipſos Eccleſia noſtra erubeſcere incipiat. Quibus verbis non ipsas Martyrum interceſsiones, sed earum abusus deprecatur.

291. Sæculo IV. Ancyranum Can. V. Nicænum Can. XII. Carthaginense IV. Cap. LXXV. &c. statuunt humanius cum pœnitentibus agendum eſse, & de pœnis relaxandum, si cum fervore ad pœnitentiæ labores ferantur. Idem decernunt S. Gregorius Nyssenus Epist. ad Letoium, Can. IV. & S. Basilius Epist. Canonica ad Amphilochium, Can. LIV. *Eſt autem tuæ prudentiæ pro circumſtantiæ proprietate pœnas intendere vel remittere.* Sæculo V. idem docuerunt S. Innocentius I. Epist. ad Decentium Eugubinum, Cap. VII. & S. Leo M. Epist. LXXIX. ad Nicetam Aquilejensem, Cap. V.

292. Solent a pluribus laudari pro Sæculo IV. Indulgentiæ a S. Sylvestro I. conceſsæ visitantibus Ecclesiam Lateranensem: pro sæculo VI. Indulgentiæ stationum a S. Gregorio M. ut referunt Guilielmus Altiſsiodorensis Lib. IV. Summæ Theologicæ, Tract. VI. Cap. IX. & S. Thomas in IV. Sententiarum, Dist. XX. Quæst. I. Art. XIII.: pro sæculo IX. Indulgentiæ celebrantibus festam diem S. Swiberti a Leone III. & visitantibus Ecclesiam SS. Sylvestri & Martini Romæ a Sergio II. conceſsæ. Sed facile damus cum Daniele Papebrochio in Conatu Chronico-Historico ad Catalogum Romanorum Pontificum pag. 48. & 131. suppositiam eſse illam S. Ludgeri Epistolam de Canonizatione S. Swiberti, & tabulas illas marmoreas, quibus inscriptæ sunt indulgentiæ ab illis Pontificibus conceſsæ, recentiores eſse quam ut fidem mereantur; præcipue cum nobis legitime non constet, conceſsas umquam fuiſse visitantibus Ecclesias a Romanis Pontificibus indulgentias, nisi primum sæculo XII.

293. Sæculo XI. ad finem vergente, nempe A. 1095. Urbanus II. in Concilio Claromontano

proſe-

profecturis ad liberandas a Saracenorum jugo Jerosolymas plenariam concesit indulgentiam. Canone enim II. dicitur: *Quicunque pro sola devotione, non pro honoris vel pecuniæ adeptione, ad liberandam Ecclesiam Dei Jerusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia ei reputetur.* Easdem successores Pontifices concesserunt, Callistus II. in Concilio Lateranensi I. A. 1123. Eugenius III. Clemens III. Alexander III. in Concilio Lateranensi III. A. 1179. plurimique alii. Ipse S. Bernardus Indulgentias ab Eugenio III. concessas promulgavit, ut patet ex Lib. II. de Consideratione, Cap. I. Narrat præterea idem S. Doctor Epist. CCXLVI. ingentem fuisse hominum multitudinem, qui ad lucrandas indulgentias sacræ militiæ labores suscepere. *Vacuantur urbes*, inquit, *& castella, & pene jam non inveniunt quem apprehendant septem mulieres virum unum: adeo ubique viduæ vivis remanent viris.* Merito itaque errorem Protestantium proscripsit Tridentina Synodus Sess. XXV. in Decreto de Indulgentiis, quod Num. 287. exhibuimus. Vide Card. Bellarminum Lib. I. de Indulgentiis, Cap. III.

Thesaurus Indulgentiarum coalescit ex meritis Christi.

294. Quæres I. Ex quorum meritis spiritualis ille thesaurus Ecclesiæ coalescat? Resp. Thesaurum illum præcipue ac primario coalescere ex meritis & satisfactionibus Christi infinitis ac superabundantibus: tum vero etiam ex satisfactionibus Deiparæ & Sanctorum. Prob. Ima pars assertionis auctoritate Scripturarum. Christus omnia sua merita & satisfactiones valoris simpliciter infiniti, ob dignitatem infinitam personæ operantis, pro Ecclesia obtulit, seque ac sua omnia nobis tradidit. Ad Rom. Cap. VIII. *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* II. ad Cor. Cap. VIII. *Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* Ergo infinitum satisfactionum thesaurum Ecclesiæ acquisivit, ejusque dispensationi com-

misit. II. Auctoritate Clementis VI. qui in Extravag. *Unigenitus*, Tit. de Pœnit. & Remiſs. ait: *Unigenitus Dei Filius in Ara Crucis innocens immolatus, non guttam ſanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani ſuffeciſſet; ſed copioſe velut quoddam proſluvium noſcitur effudiſſe. - - Quantum ergo exinde, ut nec ſupervacua, inanis & ſuperflua tantæ effuſionis miſeratio redderetur, theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſivit. - - Quem quidem theſaurum non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum, ſed per B. Petrum cœli clavigerum, ejusque ſucceſſores, ſuos in terris Vicarios, commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum & propriis & rationabilibus cauſis, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſſione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter quam ſpecialiter, prout cum Deo expedire cognoſcerent, vere pœnitentibus & confeſſis miſericorditer applicandum.* Ex quo colliges, quantascunque Ecclesia indulgentias largiatur, thesaurum hunc numquam exhauriri poſse, cum sit infinitus. Neque obest, quod meritis Christi aliquod repensum sit præmium; eſsentiale etenim præmium Christo aliunde debebatur vi unionis hypostaticæ: accidentale vero, nempe exaltatio nominis, & dilatatio Ecclesiæ, longe inferius fuit meritis & satisfactionibus Christi, quæ infiniti erant valoris ac pretii.

Et Sanctorum. 295. Prob. etiam altera pars aſsertionis, Imo ex laudata Extravag. Clementis VI. *Ad cujus quidem theſauri cumulum B. Dei Genitricis, omniumque electorum a primo juſto uſque ad ultimum merita adminiculum præſtare noſcuntur: de cujus conſumptione ſeu minutione non eſt aliquatenus formidandum, tam propter infinita Chriſti merita, quam pro eo, quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad juſtitiam, tanto magis accreſcit ipſorum cumulus meritorum.* II. Ex proscriptione Articuli XVII. Lutheri a Leone X. facta: *Theſauri Eccleſiæ, unde Papa dat indulgentias, non ſunt merita Chriſti & Sanctorum.* III. Exemplo Martyrum, qui in veteri

Eccle-

Ecclesia relaxationem pœnæ temporalis Lapsis obtinuerunt. IV. Ex IX. Articulo Symboli Apostolici, *Sanctorum communionem*, quæ nihil aliud est quam bonorum operum ac meritorum societas & communicatio, ut quod ab uno agitur, ad alios quodam jure pertineat. Sicut enim ratio corporis mystici exigit caput & membra indissolubili necessitate ita conjungi, ut membris indigentibus applicetur quod superabundat infinitis meritis Christi capitis nostri: ita mystica unio membrorum inter se exigere videtur, ut satisfactiones Sanctorum, qui plus præstiterunt quam opus esset ad reatum pœna temporalis peccatis suis debitæ dissolvendum, reliqua membra participent.

296. Dices I. Merita & satisfactiones Christi sufficiunt abunde, ut tota pœna temporalis peccatoribus remittatur. Ergo satisfactiones Sanctorum sunt inutiles, adeoque ad thesaurum Ecclesiæ non pertinent. II. Hæc commixtio satisfactionum Sanctorum cum meritis & satisfactionibus Christi vergit in injuriam Christi. III. Sanctorum satisfactiones tali modo eodem haberentur loco, quo satisfactiones Christi; & Sancti dici possent Redemptores nostri. IV. Sancti superabundans præmium operum suorum receperunt. Ergo nihil superest ex laboriosis ipsorum operibus, quod insumi possit ad remissionem pœnæ peccatis nostris debitæ. Resp. Ad I. C. A. N. C. Satisfactiones Sanctorum non adjungimus meritis Christi, quasi infinita merita Christi non sufficerent ad constituendum thesaurum Ecclesiæ; sed ut illæ otiosæ non sint, & ut Sancti hoc honore gaudeant: immo ut vis & efficacia meritorum Christi magis eluceat, & commendetur, utpote quæ ipsis etiam Sanctorum bonis operibus, ut nobis aliquid mereantur, virtutem & efficaciam influunt ac communicant. Itaque Sanctorum merita, cum meritis Christi conjuncta, non sunt quid majoris pretii & æstimationis, quam sola merita Christi, a meritis Sanctorum separata. Ad II. N. A. Efficacia meritorum Christi ex eo capite, ut

paulo ante diximus, magis elucet, utpote quæ non solum per se expiare peccata posſunt, & reatum pœnarum quarumcunque; sed etiam efficere, ut Sanctorum satisfactiones vim habeant expiandi reatum pœnæ temporalis. Et profecto Deus non derogavit honori suo, quando nomen Davidis nomini suo adjunxit, utroque motus ad protegendam Jerusalem, ut habetur Lib. IV. Reg. Cap. XIX. *Protegam urbem hanc, & ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum.* Ad III. N. A. Sanguinem Christi non miscemus cum sanguine Martyrum, ut calumniantur Protestantes, quia non collocamus Christi & Sanctorum merita in eodem ordine, sed latum inter ea discrimen agnoscimus. Ac I. quidem Christus per se, Sancti vero non nisi per Christum mereri, & dignum aliquod pretium pro redimendis peccatorum pœnis præstare posſunt; ideoque omnis eorum gloriatio in Christo est, in quo vivunt, in quo merentur, in quo etiam pro aliis satisfaciunt per paſsiones suas, quæ ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre. II. Christi satisfactiones se solis satis superque sunt ad remiſsionem quorumlibet peccatorum quoad culpam & pœnam, ideoque primario ac principaliter constituunt thesaurum Ecclesiæ inexhaustum: at vero Sanctorum satisfactiones finiti valoris sunt, nec nisi per accidens concurrunt ad thesaurum Ecclesiæ, ac secundario propter gloriam ipsius Christi, ne scilicet satisfactiones ex illo vim habentes, sint inutiles; & quia Christus in Ecclesia voluit eſse Sanctorum communionem. Hinc proprie ac stricte loquendo Sancti dici nequeunt Redemptores; is enim vere ac proprie est Redemptor, qui nos eximit a captivitate dæmonis & morte æterna: isque solus Christus est. Quod si latiori sensu Redemptor appelletur, qui solvit debitum aliquod parvi momenti, quale respectu vitæ æternæ est pœna temporalis, quantumcunque acerba & diuturna, Sancti dici poterunt Redemptores; sicut nos ipsi Redemptores nostri dici posſumus, quando

propriis

propriis laboribus temporales pœnas redimimus. Ad IV. D. A. Sancti superabundans præmium receperunt operum suorum, prout illa fuere meritoria, C. A. Prout fuere satisfactoria, N. A. & Consec. Cuilibet bono operi duplex inest valor, nempe *meritorius* vitæ æternæ, isque est personalis, nec alteri applicari potest, quia correspondente gloriæ gradu operantibus illud semper compensatur, de quo intelligitur illud Apostoli I. ad Cor. Cap. III. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem:* & *satisfactorius* pro pœna peccatis debita, cujus præmium est remissio pœnæ temporalis peccato quoad culpam remisso debitæ; & sub hac ratione, nempe satisfactionis, bona opera Sanctorum possunt esse superflua, cum ipsorum levissima peccata tam rigorosam satisfactionem non exigerent. Quod ergo illis ex hac parte superfluum est, aliorum necessitatibus applicandum servatur, juxta illud Apostoli ad Colossenses Cap. I. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.*

297. Quæres II. Quomodo satisfactiones Sanctorum ad Ecclesiæ thesaurum concurrant? Resp. Eas concurrere non tantum per modum impetrationis, quatenus nempe a Deo nobis impetrant, ut indulgentiæ nobis ex Christi meritis applicentur, sed etiam per modum solutionis & pretii. Prob. assertio I. auctoritate S. Pii V. & Gregorii VIII. qui propositionem Baji ordine LIX. proscripserunt: *Quando per eleemosynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant, nam alioqui essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores; sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur & communicatur.* Et LX. *Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus,* *Quæ concurrunt ad Ecclesiæ thesaurum per modum solutionis ac pretii.*

qui

qui pretio ſanguinis Chriſti a pœnis pro peccatis debitis liberemur. II. Ratione Theologica. Sanctorum merita fuerunt superabundantia quoad vim satisfaciendi, ut patet in B. Virgine, S. Joanne Baptista, Apostolis, Martyribus &c. Ergo cum otiosa non remaneant, impenduntur ab Ecclesia pro expiandis aliorum peccatis quoad pœnam temporalem. Præterea cum fidelis poſsit pro alio satisfacere ad redimendam pœnam temporalem, nulla datur ratio excludendi Sanctorum merita, quoad vim satisfaciendi, a thesauro Ecclesiæ.

298. Dices I. Ad Rom. Cap. VIII. ait Apostolus: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Ergo Sancti nequeunt pro nobis satisfacere. II. Origenes Hom. LXXXIV. in Num. scribit: *Cæteri enim precibus peccata, hic ſolus* (Christus) *poteſtate dimiſit.* S. Leo M. Epist. XCVII. alias LXXXIII. ad Monachos Palestinæ: *Quamvis multorum Sanctorum in conſpectu Domini pretioſa mors fuerit, nullius tamen inſontis occiſio propitiatio fuit mundi - - - nec alterius quisquam debitum ſuo ſine perſolvit.* III. Satisfactionis alienæ pretium non potest alteri applicari, nisi ex intentione ipsius operantis. Atqui non ea fuit Sanctorum mens, cum bonis operibus incumbebant, ut satisfacerent pro aliis. Ergo. Ad I. Resp. Imo. Ex hoc argumento sequeretur, quod neque pro peccatis propriis satisfacere poſsemus. Resp. II. N. C. Paſsiones hujus temporis, præcipue si spectentur in se, absque divina promiſsione & auxilio, condignæ non sunt ad promerendam æternam gloriam, quia momentaneæ sunt & leves, si cum illa conferantur: at vero ut ex motivo supernaturali, & adjuvante Dei gratia toleratæ, condignam habent vim merendi, & satisfaciendi, etiam ultra debitum. Ad II. Resp. Patres citatos loqui de condigna satisfactione pro peccatis quoad culpam & mortem æternam, quæ utique ab alio præstari non potuit, quam a solo Christo, a quo totam vim suam trahunt satisfactiones Sanctorum, etiam pro redimenda temporali tantum pœna aliorum. Ad III. Resp. Ut pretium satisfactio-

tisfactionis Sanctorum nobis applicetur, non requiri formalem & explicitam, sed sufficere generalem intentionem, qua Sancti volunt aliis prodesse quantum possunt, juxta mentem & intentionem Ecclesiæ, quæ satisfactiones Sanctorum superfluas nobis sub certis conditionibus & operibus applicat per Indulgentias.

299. Quæres III. An Indulgentiæ liberent hominem a pœna temporali, non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo? Resp. affirmative. Prob. assertio 1mo Scripturarum auctoritate. Matth. Cap. XVIII. ait Christus Apostolis: *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Quibus verbis significatur, easdem pœnas, quæ a Pastoribus remittuntur in terris, remitti etiam a Deo in cœlis. Et Apostolus II. ad Cor. Cap. II. testatur, se quidquid incestuoso Corinthio donaverat, donasse in persona Christi, adeoque in foro interno conscientiæ. II. Exemplo veteris Ecclesiæ, quæ in gratiam Martyrum lapsis remittebat pœnas canonicas, atque etiam pœnas temporales, a Deo alias infligendas. Patet id ex S. Cypriano, qui Serm. de Lapsis ait: *Credimus quidem posse apud Judicem plurimum valere Martyrum merita, & opera justorum.* Et Epist. XIII. ad Presbyteros Carthaginenses, jubet illos qui a Martyribus libellos acceperant, si premi eos infirmitate aliqua & periculo contigerit, manu eis in pœnitentiam imposita, factaque exomologesi, cum pace ad Dominum remitti. Atqui per *pacem* non intelligitur relaxatio pœnarum canonicarum, quæ superflua & inutilis fuisset, utpote a quibus per ipsam mortem solvebantur. Ergo S. Cyprianus intelligebat condonationem pœnæ temporalis in altera vita luendæ. III. Auctoritate Pontificum. Sixtus IV. hanc Petri de Osma propositionem damnavit: *Romanus Pontifex purgatorii pœnam remittere non potest.* Et Leo X. Articulum XIX. Lutheri: *Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam.* IV. Auctoritate Tridentini, quod in Decreto de Indulgentiis

Indulgentiæ liberant hominem a pœna temporali coram Deo & Ecclesia.

gentiis ait, indulgentias esse maxime salutares; & anathema dicit illis, qui eas aſseruerint esse inutiles. At vero si per ingulgentias homo non liberaretur a pœna temporali coram Deo, indulgentiæ non modo inutiles forent fidelibus, verum etiam maxime perniciosæ; quia Ecclesia indulgentias concedendo eximeret fideles a mitiſsimis pœnis hujus vitæ, eosque remitteret ad graviſsimas pœnas Purgatorii. V. Paritate. Satisfactiones nostræ vim habent obtinendi remissionem pœnæ temporalis justitiæ divinæ debitæ, & in futuro sæculo luendæ. Ergo etiam hanc vim habent satisfactiones Sanctorum, quæ nobis per indulgentias applicantur. VI. Ex praxi Ecclesiæ. Ecclesia sæpe concedit indulgentias applicandas defunctis per modum suffragii. Atqui si indulgentiæ non liberant a pœna temporali coram Deo, frustraneæ illæ forent, & defunctis inutiles, cum illi militanti Ecclesiæ non amplius subdantur, ideoque pœnas subire coram Ecclesia nequeant. Ergo.

Eamque vere remittunt.

300. Quæres IV. An Indulgentia remittat pœnam temporalem, tam illam quæ a Sacerdote injuncta est, quam quæ per Canones esset injungenda? Resp. affirmative. Prob. afsertio I. Ecclesiæ veteris exemplo, quæ in gratiam Martyrum Lapsis non tantum relaxabat pœnas a Sacerdote injunctas, sed etiam a Jure seu Canone injungendas. II. Ratione Theologica. Si indulgentiæ eximerent tantum a debito pœnæ in Sacramento Pœnitentiæ injunctæ, vix alicujus forent emolumenti; quia nunc plerumque leviſsimæ pœnitentiæ imponuntur, si cum veteribus comparentur. III. Ex Juris effato, *Ubi majus conceditur, minus conceſsum eſse videtur.* Atqui majus est remittere pœnas injunctas, quam injungendas; quia injuncta duplici titulo debetur, & reatu pœnæ culpam consequente, & præcepto Sacerdotis.

301. Dices I. Pœnitentiæ tribunal est supremum, quia Sacerdos in eo agit vices Christi. Ergo nemo potest solvere pœnam a Sacerdote impositam. II. Sequeretur ex dictis, pœnitentem non teneri ad subeun-

dam

dam pœnam, quam Confeſsarius injunxit. III. Nemo tenetur ad agendam pœnitentiam per Canones injungendam, quia illi abrogati jam sunt, & in desuetudinem abierunt. Ergo proprie loquendo, indulgentiæ non remittunt pœnam injungendam. Resp. ad I. C. A. D. C. Nemo potest pœnam a Sacerdote impositam solvere directe, nimirum Sacerdotis sententiam irritando, vel ab ea dispensando, C. Consec. Indirecte, tollendo nimirum debitum & reatum pœnæ temporalis, N. C. Res explicatur exemplo. Qui mulctam pecuniariam, decreto Judicis alicui impositam, ex liberalitate de suo solveret, debitorem a mulcta per Judicem imposita indirecte liberaret; non emendando Superioris sententiam, in quam nihil juris & auctoritatis habet, sed debitum solvendo. Sic etiam Prælatus, dum applicat pœnitenti satisfactiones Christi & Sanctorum, reatum pœnæ, ad quem expiandum Confeſsarius pœnitentiam imposuerat, expungit, sicque pœnitens injunctam sibi pœnam exsolvere non tenetur, cum nihil supersit luendum. Ad II. Resp. ordinarie & in praxi, nego illatum. Nam I. ordinarie, quando indulgentiæ conceduntur, hæc conditio apponi solet, *Injuncta ſalutari pœnitentia.* II. Pœnitentia a Confeſsario imposita, non est mere vindicativa & pœnalis, sed etiam medicinalis in remedium futuri. Indulgentiæ autem non eximunt a pœnitentia medicinali, utpote neceſsaria ad coercendas cupiditates; alioqui enervaretur Ecclesiastica disciplina. III. Nemo, absque speciali revelatione, certus eſse potest lucratum se fuiſse indulgentias, adeoque per illas expunctum a se fuiſse reatum pœnæ cui obnoxius erat. Atqui per incertam solutionem non satisfit debito certo. Ad III. D. A. Nemo tenetur ad agendam pœnitentiam, quantum ad modum & ordinem quem Canones præscribebant, C. A. Quantum ad substantiam & finem congruæ pœnitentiæ, N. A. Equidem graves adeo pœnitentiæ non amplius a Confeſsariis imponuntur ut olim, neque jubentur fideles quatuor illas pœnitentiæ publicæ stationes percurre-

re: attamen non minus neceſsaria est nostris temporibus congrua pœnitentia ac olim, neque de jure suo pœnas a peccatoribus exigendi vel in hac vel in altera vita quidquam remisit Deus. Quia vero pro humana infirmitate vix pares sumus tot pœnis hic persolvendis, idcirco pia Mater Ecclesia illarum defectum supplet per indulgentias, ne graviores in Purgatorio solvere teneamur.

Indulgentiæ utiles ſunt etiam perfectis.

302. Quæres V. An Indulgentiæ sint utiles omnibus Fidelibus, etiam perfectis? Resp. affirmative. Prob. I. Auctoritate Tridentini, quod in Decreto de Indulgentiis ait: *Sacroſancta Synodus Indulgentiarum uſum Chriſtiano populo*, (id est, omnibus Christianis, nullo facto discrimine) *maxime ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet, & præcipit.* II. Auctoritate Pontificum. Leo X. Articulum XXI. Lutheri proscripsit: *Indulgentiæ neceſſariæ ſunt ſolum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris ſolummodo & impatientibus.* Cui consonat etiam XXII. *Sex generibus hominum Indulgentiæ nec ſunt neceſſariæ, nec utiles &c.* III. Ratione. Indulgentiæ liberant non imperfectos tantum, sed etiam eos qui perfectioni Christianæ student, a pœna temporali, quæ summi Boni fruitionem in cœlis aliquantisper retardat. Ergo sunt utiles & salutares omnibus justis, atque etiam perfectioribus, utpote quibus etiam interdum peccatum obrepit.

303. Dices I. Perfectorum hominum est pœnas non fugere, sed eas potius quærere, tum ob exercitium patientiæ, tum ob imitationem Christi patientis. II. Indulgentia non est opus meritorium, sed tantum satisfactorium. Ergo non est utilis perfectis, qui modica tantum vel nulla satisfactione indigent. III. Utilius est pro se propriis operibus satisfacere, quam alienam satisfactionem quærere. Resp. ad I. D. A. Perfectorum non est fugere pœnas, quæ retardant ab ingreſsu patriæ cœlestis, & a consecutione ultimi Boni, quales sunt pœnæ Purgatorii, N. A. Perfectorum non est fugere pœnas, quæ juvant ad

prome-

promerendum Deum, & ad salutem citius acquirendam, quale est Martyrium, & aliæ pœnæ sponte susceptæ, vel a Deo in hac vita immissæ, C. A. N. C. Ad II. D. A. Indulgentia non est opus meritorium per se, C. A. Non est opus meritorium ratione operis injuncti, & si ex amore Dei suscipiatur, ut eo promptius ac celerius quis Deo suo fruatur, N. A. & Consec. Quamvis enim Indulgentia nullo modo esset meritoria, utilis tamen foret etiam perfectis; quia rarissimi sunt, qui modica saltem satisfactione non egeant. Ad III. Resp. Utilius & tutius esse utrumque præstare, nempe propriis operibus pro se satisfacere, simulque indulgentias quærere; cum nemo rescire queat, quantam debiti partem suo ære expunxerit.

Indulgentias plenarias solus Romanus Pontifex concedere potest.

304. Quæres VI. Ad quem proprio jure pertineat publicas, solemnes ac plenarias Indulgentias concedere? Resp. Ad solum Romanum Pontificem. Prob. assertio I. ex Scripturis. B. Petro, ejusque successoribus Romanis Pontificibus dictum est a Christo: *Pasce oves meas.* Et: *Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris &c.* Quamvis autem etiam Apostolis dictum sit Matth. Cap. XVIII. *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*; hæc tamen potestas, saltem quoad omnes gradus suos, erat extraordinaria, Petro subordinata, & cum Apostolis interitura: quibus in Episcopatu quidem succedunt Episcopi, at non in Apostolatu. II. Auctoritate Conciliorum. Lateranense IV. Can. LXII. ait, Romanum Pontificem plenitudinem potestatis obtinere ad concedendas indulgentias. In Constantiensi Concilio Martinus V. suspectos de hæresi inter alia interrogari jubet: *Utrum credant, quod Papa omnibus Christianis vere contritis & confessis, ex causa pia & justa possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum?*

Partiales vero Episcopi pro sua diœcesi.

305. Archiepiscopi in sua provincia, etiam extra cursum Visitationis, & casum appellationis: item Episcopi in sua tantum Diœcesi, concedere possunt

subditis suis indulgentias, non plenarias quidem, sed partiales juxta Can. LXII. Lateranensis IV. *Quia per indiscretas & superfluas indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur: decernimus ut, cum dedicatur Basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus Episcopis dedicetur: ac deinde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteras præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur: cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare.* Cardinales, etiam non Episcopi, indulgentias centum dierum concedunt, ex tacita concessione Summi Pontificis. Legati vero & Nuntii Apostolici possunt eas concedere intra terminos suæ Legationis vel Nuntiaturæ, ex generali vel speciali Papæ commissione. Cæterum Summus Pontifex electus tantum, adeoque ante consecrationem vel coronationem suam: Episcopi electi, atque a Pontifice Romano confirmati, quamvis nondum consecrati; & Legati Apostolici, etsi nondum Sacerdotes, possunt valide & licite indulgentias largiri; quia potestas illas concedendi non est Ordinis, sed Jurisdictionis, quæ competere potest non Sacerdoti, modo sit Clericus.

Non tamen Abbates & Prælati Religiosorum.

306. Abbates & Prælati Religiosorum non possunt sine speciali commissione Pontificis vel Episcopi ullas indulgentias fidelibus concedere, ut patet ex Can. LX. Lateranensis IV. *Accedentibus ad nos de diversis mundi partibus Episcoporum querelis, intelleximus graves & grandes quorumdam Abbatum excessus: qui finibus suis non contenti, manus ad ea, quæ sunt Episcopalis dignitatis, extendunt, de causis matrimonialibus cognoscendo, injungendo publicas pœnitentias, concedendo etiam indulgentiarum litteras, & similia præsumendo: unde contingit interdum, quod vilescat Episcopalis auctoritas apud multos.*

multos. Volentes igitur in iis & Episcoporum dignitati, & Abbatum providere saluti, præsenti Decreto firmiter prohibemus, ne quis Abbatum ad talia se præsumat extendere, si proprium voluerit periculum evitare: nisi forte quisquam eorum speciali concessione, vel alia legitima causa super hujusmodi valeat se tueri. Immo neque subditis suis Religiosis possunt eas dispensare sine speciali privilegio; quia dispensatio thesauri Ecclesiæ competit solis Principibus Ecclesiæ, nimirum Romano Pontifici, atque etiam Episcopis, qui sunt Rectores integri populi, & quasi Reges in parvo regno: Abbates vero sunt quasi Patres unius familiæ & domus, solisque Religiosis præsunt, in quos jurisdictionem habent quantum ad disciplinam Monasticam. Religiosis tamen, quamtumvis exemptis a jurisdictione Episcoporum, possant Episcopi Diœcesani indulgentias concedere, quia sunt membra Diœcesis seu Communitatis, & quoad hunc favorem se Episcopo subjiciunt. Quod de Abbatibus dictum est, ob paritatem rationis intelligi etiam debet de Parochis, & aliis quibuscunque inferioris ordinis, quam Episcopalis, Presbyteris ad audiendas Confessiones deputatis. Quamvis enim illi virtute clavium jurisdictionem exerceant in foro interno & secreto pœnitentiæ, nullam tamen in foro externo exercere possunt, ad quod pertinet facultas concedendi indulgentias.

Ad valorem Indulgentiarum requiritur causa justa

307. Quæres VII. An ad valorem indulgentiarum requiratur causa justa? Resp. affirmative, quia Superiores Ecclesiastici non sunt Domini, sed dispensatores thesauri Indulgentiarum. Igitur prævaricatores forent, si absque justa causa indulgentias concederent, quia contra Domini sui voluntatem, nullaque de causa ejus bona disperderent. Hinc Lateranense IV. Can. LXII. indulgentias sine justa causa concessas, indiscretas vocat & superfluas, easque damnat. Et Clemens VI. in Extravag. *Unigenitus*, declarat, B. Petro ejusque successoribus ea conditione thesaurum Ecclesiæ fuisse concreditum, ut cum piis ac rationabilibus de causis dispensent.

308. Por-

Quæ sit proportionata Indulgentiæ.

308. Porro causa justa esse nequit, nisi sit proportionata Indulgentiæ, quæ conceditur; non solum enim infidelis dispensator dicitur, qui nulla de causa, sed etiam qui pro re minima & levi pretiosos Domini sui thesauros profundit. Et profecto si quæcunque causa pia ad valorem Indulgentiæ sufficeret, nullæ umquam dici possent superfluæ & indiscretæ; semper enim aliqua pia causa qualiscunque allegari posset. Neque obstat, quod Indulgentiæ nitantur infinitis Christi satisfactionibus, quæ semper sunt causa sufficiens concedendi indulgentias: quamvis enim hæc ita se habeant, thesaurus tamen satisfactionum Christi & Sanctorum applicari nobis sine justa & proportionata causa nequit per dispensatores illius, Ecclesiæ Antistites.

Quid ad causam justam & proportionatam requiratur?

309. Cæterum ad causam justam & proportionatam non requiritur, ut opus injunctum sit æquivalens pœnæ debitæ, alias Indulgentia esset potius commutatio quam remissio: sed sufficit si ratio habeatur sufficiens talem indulgentiam concedendi, ita ut proportione quadam servata gravior requiratur causa pro plenaria, levior pro partiali indulgentia. Ad causam autem justam & proportionatam duo exiguntur. Ac I^mo quidem finis aliquis pius ac Deo gratus, cujus assecutio magis Deo placeat, quam pœnalis satisfactio quæ per Indulgentiam relaxatur, ut v. g. exstructio Templorum, ac piorum locorum, pax Ecclesiæ, conversio infidelium, hæreticorum &c. II. Opus aliquod, per quod finis ille probabiliter obtineri possit: ideoque plenaria indulgentia non posset valide concedi v. g. semel recitantibus Orationem Dominicam pro conversione hæreticorum. Nam quamvis conversio illa sit Deo gratior, quam pœnalis satisfactio multorum fidelium; probabile tamen non est, per hanc solam brevissimam orationem convertendos esse hæreticos.

310. Tria hic adhuc observo ex Card. Bellarmino Lib. I. de Indulgentiis, Cap. XII. Ac I. quidem non requiri, ut opus injunctum sit in se valde difficile

difficile ac laboriosum; fieri enim potest, ut per opus in se leve ac facile magna indulgentia acquiratur, quia opus illud quantumvis in se leve ac facile, medium esse potest ad finem Deo gratissimum assequendum. Talis est v. g. assistentia illa præ foribus Basilicæ S. Petri Romæ, dum Pontifex solemni cæremonia populo benedicit; quia illa populi frequentia in his circumstantiis aptum est medium, atque etiam utile ad protestationem fidei de Capite Ecclesiæ, atque ad honorem Sedis Apostolicæ, qui est finis illius Indulgentiæ. II. Non eodem modo judicandum esse de causa indulgentiæ, cum datur uni alicui particulari personæ, & cum datur in commune multis. In priori casu oportet, ut opus illi soli injunctum, sit proportionatum fini ob quem datur Indulgentia: at in posteriori casu necesse non est ut opus singulorum, sed tantum ut opus omnium simul sit fini proportionatum. Atque hinc accidere potest, ut maxima etiam Indulgentia sit justissima, quamvis opus singulis injunctum leve videtur: ut patet in Indulgentia, quæ conceditur conferentibus certam pecuniæ summam ad ædificandam Ecclesiam vel Xenodochium. III. Aliquando contingere potest, ut solus finis sufficiat sine aliquo opere injuncto: quando videlicet finis non pendet ab aliquo opere, & per se sufficit ad Indulgentiam justam efficiendam. Sic in articulo mortis indulgentia hominibus bene de Ecclesia meritis, Religiosis, & Sodalibus B. V. M. conceditur, pronuntiato nomine JESU & Mariæ, absque alio opere injuncto: quia videtur causa esse satis justa ipsa necessitas extrema, conjuncta cum præcedentibus meritis, ut alii ad bene de Ecclesia merendum, vel ad Religiosam vitam aut pia Sodalitia, in quibus plurima bona opera exercentur, hoc beneficio adducantur.

Quid in suscipiente requiratur ad lucrandas Indulgentias?

311. Quæres VIII. Quid ex parte suscipientis requiratur ad lucrandas Indulgentias? Resp. Requiri I. ut suscipiens sit fidelis baptizatus; quia Ecclesia in alios non habet jurisdictionem. II. Ut coram Deo sit

sit reus pœnæ temporalis nondum expunctæ, propter peccatum aliquando commiſsum; alias nulla poſset ei fieri condonatio & relaxatio debiti. Verum hæc conditio rariſsime deest. III. Ut sit in statu gratiæ, saltem antequam ultimum opus injunctum peragatur; quia non remittitur pœna temporalis, nisi condonata prius & expuncta fuerit per gratiam sanctificantem culpa ac pœna æterna: cum Indulgentia sit favor solis filiis Dei adoptivis destinatus, & inimicus Dei indignus sit hac remiſsione ac favore, quamdiu in statu peccati existit. Dixi, *saltem antequam ultimum opus injunctum peragatur;* quia nimirum in eo dumtaxat instanti indulgentia suum sortitur effectum. Cæterum non desunt Theologi, qui non ultimum modo, sed omnia opera injuncta in statu gratiæ peragi debere ad lucrandas Indulgentias opinantur; eoquod opera in statu peccati facta, sint omnino mortua, neque amplius per subsequentem statum gratiæ vivificentur. Quod si in Pontificiis litteris, ut sæpe fit, jubentur opera injuncta perfici in statu gratiæ: vel si finis Indulgentiæ sit placare Deum Christiano populo, & ideo injungantur preces, jejunia, eleemosynæ, neceſsarium mihi videtur, ut omnia illa opera fiant in statu gratiæ; tum quia executioni mandari debent quæ a Pontifice imperantur; tum quia Deus per opera mortua non placatur. IV. Executio integra requiritur omnium operum a Pontifice præscriptorum; quia Indulgentia non conceditur nisi sub tali conditione, qua simpliciter non impleta, nihil obtinetur. Hinc qui etiam inculpate, nempe vel ex absoluta impotentia, vel oblivione, aut ignorantia invincibili omittit opus aliquod injunctum, vel partem ejus saltem notabilem, nihil Indulgentiæ consequitur, nisi aliter ipse Summus Pontifex statuerit; quia conceſsio Indulgentiæ est unica, & quasi indivisibilis sub tali determinata conditione. V. Ut omnia executioni mandentur debito loco, tempore, & intentione, ut præscribitur a Pontifice in litteris conceſsionis. Locus a Pontifice designatus est certa quædam

dam Ecclesia, aut plures: Tempus est inter utrasque Vesperas in communibus indulgentiis: Intentio est, pax inter Principes Christianos, extirpatio hæresum, exaltatio sanctæ Matris Ecclesiæ, ac spirituale bonum Summi Pontificis. VI. Ad consequendam indulgentiam plenariam requiritur detestatio omnium peccatorum etiam venialium, & depositio affectus ad quodlibet eorum. Ratio est, quia pœnæ peccato veniali debitæ remissio præsupponit remissionem ejusdem quoad culpam. Atqui nullum veniale remittitur quoad culpam sine ejusdem detestatione saltem virtuali, aut sine depositione affectus ad illud. Ergo. Ex quo colliges, quam pauci indulgentias plenarias lucrentur: cum pauci sint, qui omnia venialia efficaciter detestentur, nullumque ad illa affectum servent.

312. Quæres IX. An ad Indulgentias plenarias lucrandas requiratur etiam Confessio Sacramentalis? Resp. Quamvis indulgentia concedatur sub hac forma, *vere pœnitentibus & confessis*, necessariam tamen non esse, extra Jubilæum, illis qui nullius sibi lethalis culpæ conscii sunt, & saltem semel alias per hebdomadem ad Sacramentum Pœnitentiæ solent accedere. Ratio id dicendi petitur ex Brevi Clementis XIII., quo A. 1763. IX. Decembris indulsit, *Ut qui frequenti peccatorum confessione animam studentes expiare, semel saltem per hebdomadem ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt, & nullius lethalis culpæ a se post peractam ultimam confessionem commissæ sibi conscii sunt, omnes & quascunque indulgentias consequi possint, etiam sine actuali confessione, quæ cæteroquin juxta præfati Decreti definitionem ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa indulgentias Jubilæi tam ordinarii quam extraordinarii, aliasque ad instar Jubilæi concessas, pro quibus assequendis, sicut & alia opera injuncta, ita & Sacramentalis Confessio, tempore in earum concessione præscripto, peragantur.* Verum indultum hoc non suffragatur illis,

An, & quando requiratur Confessio Sacramentalis?

qui rarius accedere solent ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Ad lucrandam Indulgentiam plenariam præter alia requiritur propositum Deo satisfaciendi per opera bona.

313. Quæres X. An ad lucrandam Indulgentiam plenariam requiratur etiam propositum & sollicitudo satisfaciendi Deo per opera bona satisfactoria, facultati & infirmitati propriæ peccatoris proportionata, ita ut proportione hujus sollicitudinis, tamquam dispositionis ad Indulgentiæ effectum necessariæ, percipiatur major vel minor Indulgentiæ fructus? Resp. affirmative. Prob. assertio I. ex praxi veteris Ecclesiæ, quæ pro majori pœnitentium in bonis operibus exercendis cura & ardore, benignius ac remissius cum ipsis agebat, ut statuit Ancyranum Can. V. & Nicænum Can. XII. S. Cypr. Epist. XI. alloquens Martyres ait: *Peto ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, & sic ad nos fidei ac disciplinæ congruentes litteras dirigatis.* Ubi verba illa, *pœnitentiam satisfactioni proximam*, id est, quæ aliquo modo ad æqualitatem accedat, observari merentur. II. Auctoritate Pontificum. S. Gregorius VII. Episcopo Lincolniensi, Indulgentiam peccatorum petenti, illam ea lege concesit, ut pœnitentiam pro viribus ageret. *Absolutionem*, inquit, *præterea peccatorum tuorum, sicut rogasti, tibi mittere dignum duximus; si tamen bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris.* Ad quæ verba subjungit Card. Cæsar Baronius in Annalibus Ecclesiast. ad A. 1073. Num. 71. *Ut appareat, Sedis Apostolicæ indulgentias illis communicari, qui quantum suppetunt vires, bene operari non prætermittunt; non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpescentibus.* Bonifacius VIII. in Extravag. *Antiquorum*, de Pœnit. & remiss. docet, *Unumquemque plus mereri, & efficacius consequi indulgentias, qui Basilicas ipsas Apostolorum amplius & devotius frequentat.* Innocentius IV. in Lugdunensi I. plenam concedens indulgentiam iis, qui sumptus

ptus in bellum sacrum contulisent, ait unumquemque lucrifacturum *juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum.* Præterea in Pontificiis diplomatibus, quibus indulgentiæ conceduntur, diserte dicitur, eas non concedi nisi *vere pœnitentibus.* Atqui veri pœnitentes sunt tantum ii qui dignos pœnitentiæ fructus faciunt, atque in se ipsis crimina vindicant quæ perpetrarunt. III. Ratione. Onus agendi pœnitentiam est jure divino impositum. Lucæ Cap. III. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Ergo Ecclesia neminem potest ab hoc onere eximere, præcipue cum pœnæ satisfactoriæ non tantum sint in vindictam præteriti peccati, sed etiam in remedium futuri. IV. Ex sequelis. Si indulgentia plurimorum peccatorum posset obtineri per pauca opera non valde ardua, absque bonorum operum studio ac congrua pœnitentia, enervaretur Ecclesiæ disciplina, induceretur torpor ac negligentia, sicque ipsa peccata foverentur, & indulgentia redundaret in destructionem, non in ædificationem. Atqui id de Ecclesia nec cogitari, nec dici potest, quæ tantum ad supplendam fidelium impotentiam & infirmitatem, non ad fovendum torporem innulgentias largitur.

314. Dices I. Si requiritur propositum satisfaciendi Deo per bona opera statui pœnitentis proportionata, indulgentiæ essent inutiles, ac piæ fidelium fraudes. Atqui hoc dici nequit. II. Indulgentia plenaria semel obtenta, tollit necessitatem omnis satisfactionis postea peragendæ. Ergo non requiritur propositum satisfaciendi. P. A. Tollit totum debitum. Ergo tollit necessitatem satisfactionis postea peragendæ. III. Tali modo qui post obtentam indulgentiam moritur, antequam propositum satisfaciendi executioni mandare posset, utpote morte præventus, nihil lucraretur. IV. Indulgentiæ plenariæ ita vocantur, quia ex se ipsis remittunt omnem omnino pœnam temporalem. V. Sæculo XII. Profecturis in Palæstinam tota pœna temporalis remittebatur absque ullo pœnali opere. Ergo etiam tota remittitur,

quando conceduntur Indulgentiæ plenariæ. Resp. ad I. N. M. Qui per opera pœnitentiæ satisfacere conantur divinæ justitiæ, per indulgentiam plenariam pœnæ temporalis integram remiſsionem consequuntur, quam sæpiſsime non obtinerent absque hac indulgentia: raro enim contingere solet, ut solis satisfactionibus nostris omnem pœnam temporalem redimamus. Ergo maxima est indulgentiarum utilitas. Quamvis enim per illas non tollatur obligatio congruam satisfactionem Deo præstandi; sunt tamen supplementum impotentiæ nostræ & infirmitatis. Ad II. N. A. Ad *prob.* D. A. Tollit totum debitum actu & absolute, N. A. Dat jus ad remiſsionem obtinendam totius debiti sub conditione satisfactionis convenientis faciendæ, C. A. N. C. Indulgentia plenaria effectum suum succeſsive producit, secundum proportionem propriæ satisfactionis. Ad III. N. A. Talis integram remiſsionem pœnæ temporalis omnibus peccatis suis debitæ consequitur vi indulgentiæ plenariæ quam lucratus est, modo propositum retineat satisfaciendi, si diutius viveret. Nam in eo casu indulgentia supplet ejus impotentiam; sicque non persolvet in Purgatorio pœnas peccatis suis debitas, nec propriis tatisfactionibus remiſsas, quæ tamen ipsi persolvendæ fuiſsent, absque indulgentiarum auxilio. Ad IV. Resp. Indulgentiam plenariam dici illam, quæ omnem pœnam temporalem extinguit, quantum est ex se, & quantum Ecclesiæ claves se extendere poſsunt, nisi justus vitio suo impedimentum ponat: quale merito censetur eſse neglectus congruæ satisfactionis, id eſt, proportionatæ ipsius peccatoris facultati ac infirmitati, cujus satisfactionis neceſsitatem Ecclesia tollere non potest, cum sit juris divini. Ad V. Resp. N. A. Quid enim aliud erant longiſsimi itineris molestiæ, diuturna bellorum pericula, separatio a patria, parentibus, liberis, amicis &c. quam opera pœnalia, eaque omnino graviſsima?

Indulgentiæ prosunt defunctis.

315. Quæres XI. An Indulgentiæ prosint non viventibus modo, sed etiam mortuis? Resp. Eas prodeſse

deſse defunctis in gratia, & necdum plene purgatis: non quidem per modum absolutionis, sed tantum per modum suffragii satisfactorii, & solutionis. Quæ ut intelligantur, sciendum est Indulgentiam dari *per modum absolutionis*, quando Pontifex proxime & immediate remittit pœnam tanquam minister Dei, solvens interim divinæ justitiæ ex thesauro sibi commiſso: at vero *per modum ſuffragii ſatisfactorii & ſolutionis* dari dicitur, quando Pontifex remittit pœnam remote tantum ac mediate, quatenus exhibita satisfactione Christi & Sanctorum Deum rogat, ut ipse illius intuitu remittat pœnam justitiæ suæ debitam. *His nondum plene purgatis.*

316. Prob. I^ma pars aſsertionis. Defuncti non sunt amplius subditi Ecclesiæ, quia Ecclesia non potest illos amplius citare, eos ligare, cogere ad obedientiam, eorum causam cognoscere, eos judicare aut absolvere. Ergo indulgentiæ non poſsunt illis prodeſse per modum absolutionis, eoquod hæc involvat exercitium Jurisdictionis. Hinc ipsi Pontifices, quando indulgentias ad mortuos extendunt, addunt plerumque verba hæc, *Per modum ſuffragii*. Et quamvis Ecclesia mortuos quandoque absolverit, vel damnarit; hæc tamen excommunicatio vel absolutio defunctorum fuit potius declaratio sententiæ quæ ferenda fuiſset, si meritum eorum non latuiſset, quam nova aliqua pœna, quæ ad animas defunctorum pertingat. *Non per modum absolutionis.*

317. Prob. etiam altera pars aſsertionis, quæ etsi ab Ecclesia expreſse decisa non sit, est tamen ita certa, ut absque errore negari nequeat. Ostenditur I. Auctoritate Ecclesiæ & Pontificum, quorum plurimi indulgentias conceſserunt defunctis applicandas, & oppositam sententiam proscripserunt, ut Sixtus IV. illam Petri de Osma: *Romanus Pontifex Purgatorii pœnam remittere non poteſt.* Et Leo X. Articulum XXII. Lutheri: *Sex generibus hominum indulgentiæ non ſunt neceſsariæ nec utiles, videlicet mortuis &c.* II. Ratione Theologica. Defuncti in statu gratiæ, *Sed per modum ſuffragii ſatisfactorii.*

tiæ, & nondum plene purgati, sunt membra ejusdem Ecclesiæ, vinculo fidei & charitatis conjuncta, & æque pertinent ad Communionem Sanctorum. Ergo Ecclesiæ charitas etiam ad illos se debet extendere. Ergo cum thesaurus satisfactionum Christi & Sanctorum prosit vivis, idem proderit etiam defunctis, si illis ab Ecclesia applicetur. III. Paritate. Fide divina certum est, animas defunctorum quæ in Purgatorio detinentur, incruento Missæ Sacrificio, & viventium suffragiis juvari posse, ut ostendimus Tomo III. Artic. V. Ergo etiam juvari possunt indulgentiis, applicando illis satisfactiones Christi & Sanctorum, per modum solutionis.

Quid requiratur, ut Indulgentiæ prosint defunctis?

318. Cæterum ut Indulgentiæ prosint defunctis, requiritur 1mo. Ut ab habente legitimam potestatem, justa & proportionata de causa, expresse pro defunctis concedatur; indulgentia enim est favor voluntarius, qui non operatur, nisi juxta voluntatem concedentis. Hinc si indulgentia generatim concedatur pro omnibus fidelibus, in ea non comprehenduntur mortui; quia ex usu Ecclesiæ nomine Fidelium simpliciter intelliguntur solum viventes. II. Ipse suscipiens defunctis indulgentiam illam per suam intentionem applicare debet; quia animæ defunctorum indulgentiam per se lucrari non possunt, cum nequeant opera injuncta per se præstare. III. Opera injuncta debito modo implenda sunt ab homine in statu gratiæ constituto. IV. Conditionem, quæ se tenet ex parte animæ indulgentiis sublevandæ, addit Card. Cajetanus in Tractatu de Indulgentiis, Quæst. V. nempe ut præter statum gratiæ, studuerit dum in terris ageret, satisfacere pro suis peccatis, & juvare mortuos suis suffragiis. Illud mihi hac in re longe probabilius videtur, defunctos in statu gratiæ, beneficio indulgentiarum solatium ac refrigerium percipere uberius pro majori eorum charitate ac fervore, quo dum viverent, pœnitentiæ operibus ac virtutum exercitio incubuere.

319.

319. Dices I. Potestas largiendi indulgentias pro defunctis probari non potest ex Scripturis. Ergo non est adstruenda. II. Tridentinum nullam facit mentionem indulgentiarum pro mortuis. III. Quando Ecclesia applicat defunctis indulgentias, jam lata fuit a Deo sententia definitiva de subeundis determinato tempore Purgatorii pœnis. Ergo illæ remitti amplius nequeunt. IV. Potestas concedendi indulgentias est potestas clavium. Sed hæc se non extendit ad defunctos. P. min. Potestas clavium est potestas absolvendi a peccatis. Ergo cum defuncti absolvi nequeant a peccatis, ad illos se non extendit potestas clavium. V. Nemo potest pro alio mereri. Ergo neque satisfactiones suas potest quis pro alio offerre VI. Si Pontifex potest indulgentias dare pro defunctis, tunc posset ac deberet Purgatorium evacuare. Resp. ad I. N. A. Verba illa Matth. Cap. XVI. *Tibi dabo claves regni cœlorum. - - - Et quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*, significant non solum judiciariam absolutionem, sed etiam debiti solutionem, quæ sit per oblationem pretii ex thesauro Ecclesiæ, & potestatem removendi omne impedimentum consequendæ beatitudinis. Dein quamvis Scriptura hac de re sileret, *Non parva* tamen, ut cum Augustino loquar Lib. de Cura gerenda pro mortuis, Cap. I. *est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret auctoritas.* Ad II. Quamvis Tridentinum nullam faciat illarum expressam mentionem, implicite tamen docuit indulgentias defunctis prodesse, cum generatim definivit, indulgentias ab Ecclesia concessas utiles esse. At Ecclesia non pro vivis modo, sed etiam pro mortuis concedit indulgentias. Ergo juxta Tridentinum etiam illæ sunt utiles, quæ pro defunctis conceduntur. Adde quod Sixtus IV. & Leo X. jam ante Tridentinum, Ecclesiæ hac in materia doctrinam satis explicarint, quando errores Petri de Osma, & Lutheri proscripserunt. Ad III. D. A. Lata jam est a Deo sententia definitiva absolute. N. A. Lata jam est conditionate, nisi ipsis per indulgentias

applicen-

applicentur Christi & Sanctorum satisfactiones, sicque solvatur debitum divinæ justitiæ, C. A. N. C. Conditione hac purificata, sententia prior non revocatur, sed impletur. Ad IV. C. M. D. min. Potestas clavium, quatenus est potestas ligandi & solvendi, se non extendit ad defunctos, C. min. Quatenus est potestas dispensandi spiritualem Ecclesiæ thesaurum, se non extendit ad defunctos, N. min. Potestas clavium est potestas perducendi homines ad regnum cœlorum & tollendi impedimentum beatitudinis asequendæ, qualia impedimenta sunt reatus culpæ & pœnæ, tam æternæ quam temporalis in alia vita luendæ. Reatus culpæ & pœnæ æternæ tollitur per potestatem solvendi in Sacramento Pœnitentiæ: reatus vero pœnæ temporalis tollitur respectu defunctorum per potestatem dispensandi, & applicandi illis spiritualem Ecclesiæ thesaurum. Ad *prob.* N. A. juxta dicta paulo ante. Ad V. C. A. N. C. Meritum est aliquid mere personale, faciens hominem acceptum Deo, & augens gratiam sanctificantem: satisfactio autem, quamvis hoc solo sensu sit personalis quia ab homine solvitur, est tantum solutio pœnæ; nec confert homini, pro quo offertur, realem sanctitatem & bonitatem internam: potest itaque prodesse non tantum illi qui eam exhibet, sed etiam alteri, in cujus gratiam offertur Ad. VI. N. M. ut enim Card. Bellarminus observat Lib. I. de Indulgentiis, Cap. XIV. ut indulgentia etiam pro defunctis valide concedatur, requiritur causa legitima, pro qua non sufficit utilitas illarum animarum, vel gloria Dei quæ redundaret ex animarum illarum liberatione: nam si ista sufficerent, Christus ipse pius ac misericors omnes animas jam liberasset. Itaque requiritur causa aliqua particularis, pertinens ad honorem Dei & Ecclesiæ utilitatem, ita ut Pontifex arbitretur gratiorem esse Deo rem illam, cujus gratia indulgentiæ conceduntur, quam executionem justitiæ, quæ exercetur in torquendis purgatorio igne spiritibus defunctorum. Adde, quod tam profusa thesauri elargitio magnam negligentiam

gentiam piorum operum in viventibus poſset inducere.

320. Quæres XII. An Indulgentiæ iis defunctis, quibus a nobis applicantur, prosint ex condigno atque infallibiliter ex justitia, vel tantum ex congruo, ex benignitate Dei, & misericordi ejus acceptatione, quantum Deus voluerit? Resp. Theologos hac in re discordes eſse. Multis posterior hæc opinio probabilior videtur, hasque aſsertionis suæ rationes aſsignant. I. Numquam temere aſserendum est, Deum ex justitia aut fidelitate teneri ad aliquid, nisi solidis rationibus id probetur, quæ tamen ab adversariis hac in re afferri nequeunt. II. Certum non est, utrum viventes pro viventibus de condigno poſsint satisfacere. Unio enim fidei & charitatis facit quidem ut poſsimus invicem adjuvare, & unus pro alio saltem ex congruo satisfacere, non autem ut Deus teneatur ex justitia acceptare unius satisfactionem pro altero, quamvis Deus ex benignitate soleat illam acceptare. III. Quamvis de viventibus id daretur, non eadem tamen ratio pugnat pro mortuis, propter longe diversum pœnarum genus, quæ hac in vita sustinentur & aliis applicantur, ab iis quas dependere in Purgatorio coguntur defunctorum animæ. Quapropter non videtur Deus ex justitia vel fidelitate teneri, pro remiſsione pœnarum Purgatorii satisfactiones hujus vitæ admittere, licet eas ex misericordia sua plerumque admittere soleat: sicut Judex non tenetur remittere reo graviſsimam pœnam corporalem propter mulctam pecuniariam, quam alius offert.

Easdem defunctis ex congruo tantum & ex benignitate Dei prodeſſe contendunt quidam.

321. Ex his sequi ajunt I^mo, incertum plane eſse, qua mensura pœnæ Purgatorii per indulgentias defunctis relaxentur; tum quia incertus est gradus fervoris ac pietatis, quo viventes pro mortuis satisfaciunt; tum quia incertus pariter est gradus charitatis, in quo justus mortuus est, qui tamen probabilius est regula applicationis satisfactionum, quas ipsi faciunt viventes. II. Certo statui non poſse, animas illas qui-

bus indulgentia fuit applicata, a Purgatorio plene liberatas esse, ita ut pro illis amplius orandum non sit, nec Sacrificium pro illis amplius offerendum. III. Altaria, quæ dicuntur privilegiata, istud non habere annexum privilegium, ut cum in ipsis Missæ Sacrificium in gratiam & levamen alicujus defuncti offertur, ille statim e Purgatorio infallibiliter liberetur, ac cœlo reddatur; quamvis id sæpe ex benignitate Dei contingat. Ratio est, quia effectus hic ab una pendet Dei voluntate; & quia Ecclesia modo quodam speciali in iis altaribus satisfactiones Christi & Sanctorum applicat in eorum gratiam, pro quibus Sacrificium ibi offertur; non autem ita, ac si cuilibet Missæ in iis altaribus celebratæ unius animæ liberatio infallibiliter responderet.

Alii vero ex condigno, atque infallibiliter.

322. At vero aliis prior præplacet sententia, putantque cum S. Thoma, Suario &c. indulgentias defunctis illis, quibus a nobis applicantur, ex condigno atque infallibiliter prodesse, ita ut Deus ex fidelitate teneatur acceptare indulgentiam pro illis. Probant id ex eo capite, quia Christus Matth. Cap. XVI. B. Petro, ejusque successoribus dixit, *Tibi dabo claves regni cœlorum. - - Et quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Quibus verbis nititur potestas concedendi indulgentias tam pro vivis quam pro defunctis; cum utriusque concessio sit exercitium potestatis clavium, quatenus illa est potestas dispensandi spiritualem Ecclesiæ thesaurum. Ergo Deus facta jam promissione, ex fidelitate tenetur indulgentiam acceptare tam pro vivis quam pro defunctis, si illa legitime concedatur, ex justa causa, seu clave non errante: & si viventes debito modo opera injuncta perfecerint ut oportet. Hoc autem cum certo nemini constare queat, idcirco ajunt incertum pariter esse, an animæ illæ, quibus indulgentia applicatur, e Purgatorii pœnis sint liberatæ, vel an vitio nostro in pœnis illis adhuc detineantur. Ita illi.

Argu-

Argumenta contraria refutantur.

323. Obj. I. Infirmitas argumenti ex Epistola II. ad Corinthios ducti. Apostolus restituendo Ecclesiæ incestuosum Corinthium, nullam concesit indulgentiam, sed eum dumtaxat absolvit a culpa, & pœna excommunicationis. Ergo ex eo facto nihil evincitur pro aserendis indulgentiis. P. A. Apostolus nullam illi pœnam imposuisse legitur: quam vero pro peccato suo Deo debebat, per annum integrum jam exsolverat Corinthius. Ergo Apostolus pœnam non condonavit, quæ supererat luenda. Resp. N. A. Ad *prob.* iterum N. A. quoad utrumque membrum. Quamvis incertum sit, quæ mensura & species pœnæ Corinthio illi fuerit a B. Paulo asignata; satis tamen constat gravissimam ei fuisse imposìtam, quando eum separavit a cœtu fidelium, ac satanæ tradìdit in interitum carnis. Egit ille quidem anno integro pœnitentiam, sed non integram, & delicto gravissimo proportionatam. Quapropter Apostolus Corinthiorum precibus permotus, quod supererat pœnæ nomine & auctoritate Christi benigne relaxavit, ne pœnitens tristitia absorberetur.

Protestantes perperam nobis opponunt infirmitatem argumenti ex Epist. II. ad Corinth.

324. Obj. II. Infirmìtas argumentì ex libellis Martyrum petiti. Martyres dando Lapsis libellos, non postulabant illis indulgentias, sed pacem ab Episcopis concedi: atque ìd ipsum sæpius reprehendit S. Cyprianus tum in Epistolis suis, tum in Tractatu de Lapsis. Ergo ex libellis Martyrum instrui nequit argumentum pro indulgentiis. Resp. N. A. quoad utrumque membrum. Pax, quam Martyres pro Lapsis petebant, nihil aliud erat quam reconciliatio, qua Ecclesiæ communioni, & Eucharistiæ participationi restituebantur pœnitentes, relaxata eis satisfactione injuncta vel injungenda, nondum integre persoluta. Nam reconciliatio tunc non concedebatur extra mortis articulum, nisi post expletam totam pœnitentiam canonicam: ac proinde Ecclesia Martyrum rogatu pacem Lapsis concedere non poterat, ni-

Atque ex libellis Martyrum petiti.

si simul illis relaxaret residuam pœnitentiam, ut statim ad Ecclesiæ & Eucharistiæ communionem admitterentur. Quare Martyres suis libellis ab Episcopis pacem pro Lapsis petendo, implicite saltem petebant simul relaxationem satisfactionum canonicarum. Cum autem Episcopi, ejusmodi libellorum ratione habita, Lapsis residuas pœnas canonicas remittebant, sicque indulgentias concedebant, tunc Lapsis pœnitentibus tanta pœna justitiæ divinæ debita remittebatur, quanta satisfactionibus canonicis fuisset persoluta: alioquin hæc Episcoporum indulgentia minime fuisset beneficium, immo peccatoribus plurimum nocuisset; ac proinde Episcopi indulgentiam concedendo, & Martyres eam pro Lapsis petendo, peccassent contra charitatem. S. Cyprianum quod attinet, is moderatum ac prudentem Indulgentiarum usum numquam improbavit, sed tantummodo abusum in eo positum, quod quidam Presbyteri, inconsulto Episcopo, acceptis Martyrum libel is Lapsos temere reconciliarent, iisque sine delectu canonicas pœnas remitterent: tum etiam in eo, quod Martyres quidam pacem & relaxationem ab Episcopis pro illis etiam exposcerent, qui nullam pœnitentiam hactenus egissent.

325. Dices. Indulgentiæ, quæ posterioribus hisce sæculis a Romanis Pontificibus fuerunt concessæ, sunt longe aliæ quam quæ in veteri Ecclesia concedebantur. Ergo. P. A. Imo. Hæ Indulgentiæ sunt generales, alliganturque certis conditionibus & operibus, ita ut iis omissis nihil prosint. II. Indulgentiæ sæpe nostris temporibus emuntur pro pecuniis, secus ac fieri solebat in veteri Ecclesia. Resp. D. A. Indulgentiæ nostro ævo sunt longe aliæ, quoad naturam & substantiam, N. A. Quoad modum, qui pro varietate temporum & circumstantiarum ab Ecclesia mutari potest, C. A. N. C. Indulgentiarum natura & substantia est, quod sint relaxationes pœnæ temporalis peccatis debitæ, factæ ab eo qui potestatem habet extra Sacramentum dispensandi spiritualem Ecclesiæ thesaurum hominibus in gratia constitutis. Et

sic

sic consideratæ, quoad naturam nempe & substantiam, ubique semper fuerunt, eruntque eædem, fueruntque semper ab Ecclesia usurpatæ. Ad *prob.* I. Resp. Tr. A. N. C. Hæc enim accidentalem dumtaxat diversitatem arguerent, nempe quoad modum, non quoad substantiam. Quamquam neque omnes indulgentiæ nostris temporibus sunt generales, sed multæ privatæ, quæ certis tantum piis Congregationibus & Religiosis Familiis conceduntur. Ad *prob.* II. N. A. Quando ad lucrandas indulgentias præscribuntur pecuniæ vel in pauperes vel in alias pias causas expendendæ, id numquam fit ut quasi negotiatione quadam pecuniis illis ematur remissio pœnæ temporalis, sed ut adhibito pio illo opere, quo cultus Dei valde promoveri potest, causa idonea suppetat dispensandi per indulgentias Ecclesiæ thesaurum. Quod si abusus aliqui per Quæstores Indulgentiarum olim irrepserunt, frustra eos nobis objiciunt Protestantes; cum illi non vitio Ecclesiæ aut Romani Pontificis, sed Quæstorum improbitate acciderint, atque ab Ecclesia fuerint improbati.

326. Obj. III. Ratio. Indulgentias largiri idem est, ac Sacramentum Pœnitentiæ una sui parte, nempe satisfactione truncare, cum per illas homo liberetur ab onere satisfaciendi. Atqui Ecclesia non potest Sacramentum Pœnitentiæ una sui parte truncare. Ergo neque indulgentias largiri. II. Potestas remittendi pœnas temporales peccatis debitas, est potestas judiciaria. Atqui Pontifex non potest circa pœnam temporalem exercere potestatem judiciariam. Ergo neque potest exercere potestatem remittendi pœnam temporalem. P. m. Potestas judiciaria exigit cognitionem causæ. Atqui Pontifex, præcipue quando indulgentias concedit in commune omnibus qui hoc vel illud pium opus executi fuerint, non potest causam cognoscere: unde enim Pontifici constabit, omnia opera injuncta debito modo fuisse ab hoc vel illo impleta? Ergo neque potest judiciariam potestatem exercere. III. Potestas clavium non se extendit ultra

Et rationem Theologicam.

ultra forum internum. Sed indulgentiarum largitio ad forum dumtaxat externum pertinet. Ergo indulgentiarum largitio non pertinet ad potestatem clavium: adeoque ex potestate clavium non potest repeti potestas concedendi indulgentias. P. min. Solus Romanus Pontifex propter jurisdictionem universalem quam habet in tota Ecclesia, & Episcopus in sua Diœcesi, possunt indulgentias concedére. Ergo largitio indulgentiarum pertinet ad forum dumtaxat externum. IV. Potestas clavium non latius se extendit in remittenda pœna quam in remittenda culpa. Sed remissio culpæ non fit extra Sacramentum. Ergo nec remissio pœnæ. Resp. ad I. N. M. Indulgentia neminem liberat ab onere Deo satisfaciendi. Vide dicta Num. 313. Ad II. C. M. N. min. Ad *prob.* D. M. Potestas judiciaria, qua in casu particulari fertur sententia absoluta, exigit cognitionem causæ, C. M. Qua fertur sententia generalis tantum & conditionata, N. M. Absolutio Sacramentalis est exercitium potestatis judiciariæ, qua ab homine fertur sententia absoluta secundum merita causæ; ideoque per se exigit cognitionem causæ: At vero applicatio indulgentiarum est exercitium potestatis judiciariæ, qua a jure potius quam ab homine fertur sententia: ad quam sufficit justa ac legitima causa indulgentiam concedendi sub conditione, si videlicet in eo qui indulgentiam lucrari cupit, omnia adsint requisita. Ad III. Resp. I. N. M. Potestas clavium adæquate sumpta, est potestas Ecclesiastica perducendi homines ad regnum cœlorum; ideoque tam potestatem Ordinis, quæ nempe per sacram Ordinationem confertur, quam Jurisdictionis, sicque utrumque Ecclesiæ forum internum & externum complectitur. Resp. II. D. min. Indulgentiarum largitio ad forum dumtaxat externum pertinet quoad concessionem, C. min. Quoad applicationem, N. min. Ut indulgentia alicui applicetur, prærequiritur status gratiæ, adeoque absolutio Sacramentalis, quæ utique ad forum internum Ecclesiæ pertinet. Ad *prob.* Resp. ut prius. Ad IV.

D. M.

D. M. Potestas clavium non extendit se latius in remittenda pœna æterna quam culpa, C. M. Non extendit se latius in remittenda pœna temporali, N. M. Potestas remittendi culpam est interior: potestas remittendi pœnam temporalem est exterior, habens relationem ad forum internum. Prior omnibus Confessariis approbatis competit; posterior vero Pontifici & Episcopis, qui nedum culpam per absolutionem Sacramentalem posſunt remittere, sed etiam pœnam temporalem per Indulgentias: adeoque potestas clavium latius patet in Summo Pontifice & Episcopis, quam in simplici Sacerdote.

ARTICULUS VIII.

DE

SACRAMENTO MATRIMONII.

CONTROVERSIA I.

AN MATRIMONIUM RES SIT LICITA, AC VERUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM?

CONTRA MARCIONEM, MANICHÆOS, ENCRATITAS, PROTESTANTES.

327. *Matrimonium* est legitima viri mulierisque conjunctio, individuam vitæ societatem adferens, quam ad humani generis propagationem auctor naturæ Deus primitus instituit, & ad Sacramenti dignitatem elevavit. Legitima porro dicitur hæc conjunctio, quando divinis humanisque legibus congruit. Sunt etenim varia impedimenta partim ex divina naturæ lege, partim ex Ecclesiastica institutione manantia, quibus qui obnoxii sunt, ratum validumque conjugium inire nequeunt, de quibus speciatim agunt Juris canonici Interpretes. *Matrimonium quid sit?*

328. Juxta Catholicos omnes Matrimonium fidelium est sacrum signum practicum gratiæ; ideoque verum novæ Legis Sacramentum, quo unio Christi cum *Repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesia.*

cum Ecclesia exprimitur. Hæc Christi cum Ecclesia conjunctio duplex esse dignoscitur. Una est per naturæ conformitatem, quæ facta est in Incarnatione, & Christum conjungit non solum cum Ecclesia, sed etiam cum toto genere humano. Altera est per gratiam & charitatem, qua Christus soli Ecclesiæ conjungitur, eamque diligit, ac sancte gubernat: & vicissim ipsa Ecclesia Christo adhæret per fidem, spem & charitatem, eique per obedientiam subjicitur. Et ab hac conjunctione Christus dicitur sponsus, & Ecclesia sponsa. Utramque hanc Christi conjunctionem cum Ecclesia significat & repræsentat Matrimonium Christianorum juxta leges Ecclesiasticas contractum; est enim duplex unio seu conjunctio in tali matrimonio: una naturalis & civilis, quæ oritur ex contractu civili, & est communis Christianis cum infidelibus: altera spiritualis, quæ oritur ex gratia Sacramentali, & est propria conjugum Christianorum, de qua agit Apostolus ad Ephes. Cap. V. monens viros ut diligant uxores, sicut Christus Ecclesiam, et uxores obediant viris, sicut Ecclesia obedit Christo.

Ante Legem Evangelicam non fuit verum Sacramentum.

329. Quidam ex Catholicis Doctoribus, ut Alphonsus a Castro, Petrus Soto, Catharinus, Maldonatus, Launoius, putant Matrimonium jam ante adventum Christi verum fuisse Sacramentum, eo ipso modo quo nunc est in Lege Evangelica. Verum opinio hæc non videtur satis conciliari posse cum doctrina Concilii Florentini, quod in Decreto pro Armenis ait: *Illa* (Sacramenta veteris Legis) *non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt.* Vide dicta Tomo VI. Num. 45. Ergo cum Matrimonium ante adventum Christi non fuerit signum practicum & efficax, hoc est, cum non habuerit a Deo annexam gratiæ sanctificantis certo conferendæ promissionem, verum & ejusdem rationis, cujus sunt nostra novæ Legis, Sacramentum non fuit, sed tantum in latiore sensu & minus propria significatione, quatenus

nus erat signum, licet mere speculativum ac sterile, futuræ unionis Christi cum Ecclesia per incarnationem & charitatem.

In Lege Evangelica quid conferat Matrimonium?

330. Sacramentum Matrimonii digne illud suscipientibus confert I. gratiam sanctificantem, non quidem primam qua deletur peccatum mortale, sed secundam qua contrahentes augentur ac perficiuntur in sanctitate ac charitate, ut mutuo se diligant, sicut Christus dilexit Ecclesiam. Quemadmodum enim Baptismus ita rœpræsentat Christi mortem ac resurrectionem, ut significet & operetur in baptizatis mortem peccati & novitatem vitæ, in qua e sacro Fonte resurgunt: ita & Sacramentum Matrimonii signum est, speculativum quidem charitatis qua Christus conjunctus est Ecclesiæ, practicum vero & efficax spiritualis dilectionis qua arctissime inter se uniuntur fideles conjuges. II. Jus confert ad actualia & specialia auxilia opportuno tempore percipienda, quibus adjuti fideles conjuges amore casto se diligant, mutuas infirmitates æquo animo perferant, & prolem quærant, quæ per regenerationis Sacramentum mundata, in Dei timore & sancta conversatione educetur, crescat, proficiat, & ad æternam felicitatem perveniat.

Quo tempore conjugium sit elevatum ad dignitatem Sacramenti?

331. Quo autem potissimum tempore ad eam Sacramenti dignitatem conjugium Christus elevaverit, an cum nnptiis in Cana Galilææ interesse, easque primo suo miraculo cohonestare dignatus est, ut innuere videntur S. Cyrillus Alexand. in Epist. ad Nestorium, item Lib. II. Comment. in Joannem, & S. Aug. Tract. IX. in Joan.: an cum Matth. Cap. XIX. Matrimonium ad primævam unitatem atque indissolubilitatem reduxit: an alias post Resurrectionem, quando Act. Cap. I. *Post passionem suam præbuit se ipsum vivum, apparens eis, & loquens de regno Dei*, non satis liquet.

Errores Sectariorum.

332. Habuit & hoc Sacramentum sacrilegos impugnatores, Saturninum, Marconem, Tatianum, Encratitas, Adamianos, Eustathianos, Manichæos, eorum-

que progeniem Priscillianistas & Albigenses, qui nuptias non Deo vero & bono, sed tenebrarum Principi ceu auctori adscribentes, eas proinde velut ex natura sua malas damnabant, licet nefanda hæc libidinum monstra furtivo cum mulieribus concubitu, atque inauditis spurcitiis se passim contaminarent. Lutherus Lib. de Captivit. Babyl. admittit quidem contra veteres hæreticos, nuptias esse a Deo institutas, ideoque bonas & honestas ex natura sua; sed negat eas fuisse a Christo Sacramenti novæ Legis honore donatas. Calvinus Lib. IV. Institut. Cap. XIX. Paragr. XXXIV. non magis Sacramenti rationem Matrimonio convenire affirmat, quam agriculturæ aut sutoriæ arti. Melanchton & Kemnitius agnoscunt in matrimonio Dei mandatum, & promissionem gratiæ, sed non gratiæ justificantis & reconciliantis hominem cum Deo: atque ideo negant Sacramentum proprie dici posse eo modo, quo Baptismus & Eucharistia Sacramenta vocantur.

Durandus vindicatur.

333. Ex veteribus Scholasticis solus Magister sententiarum Petrus Lombardus, quamvis adnumeret Matrimonium Sacramentis novæ Legis, ei tamen denegavit vim causandi gratiam. Durandus, qui a multis idcirco accusatur, in Lib. IV. Sentent. Dist. II. Quæst. II. docet diserte, Matrimonium septimum esse novæ Legis Sacramentum, atque in eo vim agnoscit conferendi gratiam æque ac in reliquis Sacramentis. In eumdem vero Librum IV, Sentent. Dist. XXVI. Quæst. III. non approbat sententiam quorumdam Canonistarum, Gaufridi. Hostiensis, & Bertrandi, qui negabant Matrimonio inesse vim conferendi gratiam ex opere operato; ait enim l. c. *Quarum opinio an sit vera, an falsa - - non determino quoad præsens:* sed solum contendit, eos non docere aliquid contrarium determinationi Ecclesiæ. Qua in re acriorem censuram non meretur Durandus, quia sæculo XIV. ineunte, quo hæc scripsit, Ecclesia nondum sententiam tulerat, sed primum sæculo XVI. in Tridentino Concilio expresse definivit, omnia Sacramen-

ta

ta novæ Legis gratiam ex opere operato conferre non ponentibus obicem.

334. Conclusio I. Matrimonium est de se licitum & honestum. Prob. Conclusio hæc dogmatica Imo Auctoritate Script. Gen. Cap. II. dicitur: *Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi.* In quæ verba scribit S. Aug. Lib IX. de Genesi ad litteram, Cap. III. *Si quæritur, ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quam propter filios procreandos, sicut adjutorium semini terra est, ut virgultum ex utroque nascatur.* Atqui Deus non potest esse auctor rei per se atque intrinsecus malæ. Ergo. Matth. Cap. XIX. ait Christus: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Quibus verbis approbat Christus matrimonium, non approbaturus utique, si res foret per se mala. Apostolus I. ad Cor. Cap. VII. ait: *Si non se continent, nubant. - - - Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere - - Si acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit Virgo, non peccavit.* I. ad Timoth. Cap. IV. *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinæ dæmoniorum, in hypocrysi loquentium mendacium - - - prohibentium nubere.* Et Cap. V. *Volo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse.* Ad Hebr. Cap. XIII. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Denique Christus ipse Joan. Cap. II. præsentia sua honorare voluit nuptias in Cana Galilææ. Prob. II. Auctoritate PP. Tertulliani Lib. I. contra Marcionem, Cap. XXIX. Clementis Alexandrini Lib. III. Stromatum, S. Hieronymi Lib. contra Jovinianum, S. Innocentii I. Epist. IX. ad Probum, S. Chrysostomi

Matrimonium de se licitum esse & honestum.

Hom. XX. in Epist. ad Ephesios, S. Augustini Lib. de Bono conjugali, S. Bernardi Serm. LXVI. in Cantica. Prob. III. Auctoritate Conciliorum. Gangrense sæculo IV. contra Eustathium, Can. I. ait: *Siquis vituperat nuptias, & dormientem cum viro suo fidelem ac religiosam detestatur, aut culpabilem æstimat, velut quæ in regnum Dei introire non possit, anathema sit.* Can. IX. *Si quis vel virginitatem, vel continentiam professus, tamquam abominabiles nuptias judicat, & non propter hoc solum, quod continentiæ & virginitatis bonum sit, sanctumque propositum; anathema sit.* Can. XIV. *Si quæ mulier virum proprium relinquens, discedere voluerit, nuptias exsecrans, anathema sit.* Toletanum I. A. 400. Can. XVI. *Si quis dixerit, vel crediderit, conjugia hominum, quæ secundum legem divinam licita habentur, execrabilia esse, anathema sit.* Bracarense I. A. 561. Can. XI. *Si quis conjugia humana damnat, & procreationem nascentium perhorrescit, sicuti Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Prob. IV. Ratione Theologica. Christus elevavit Matrimonium fidelium ad rationem & dignitatem Sacramenti, ut mox ostendemus. Ergo Matrimonium non est per se illicitum & inhonestum; alias res intrinsecus mala foret signum efficax gratiæ sanctificantis.

Verumque N. L. Sacramentum, ostenditur auctoritate Scripturarum.

335. Conclusio II. Matrimonium Fidelium legitimo ritu celebratum, est verum novæ Legis Sacramentum. Prob. Conclusio dogmatica Imo. Auctoritate Scripturarum. Apostolus commendans Ephesiis fidelibus mutuam inter conjuges dilectionem exemplo Christi, qui Ecclesiam Sponsam suam ita dilexit, ut se ipsum pro ea tradiderit, scribit Cap. V. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Ex quo textu hoc efflorescit argumentum. Juxta Apostolum, matrimonium fidelium est signum sensibile rei sacræ, a Christo institutum gratiæ sanctificantis productivum. Ergo est verum novæ

væ Legis Sacramentum. P. A. Nam I. *Eſt ſignum ſenſibile rei ſacræ*, quia homo relinquens patrem & matrem, ut adhæreat uxori suæ, significat conjunctionem Christi cum Ecclesia. Christus enim dereliquit Patrem suum in cœlis, non derelictione Divinitatis, sed aſsumptione humanitatis, & matrem suam Synagogam, utpote natus Judæus, atque indiſsolubiliter adhæsit Ecclesiæ sponsæ suæ, ut interpretantur Tertull. Lib. de Anima, Cap. XI. S. Hier. Comment. in Cap. V. Epist. ad Ephes. S. Aug. Lib. IX. de Genesi ad litteram, Tridentinum Seſs. XXIV. Cap. unico de Matrim. Atque ipse Apostolus id aperte exprimit, dum illud vocat *Sacramentum magnum in Chriſto & in Eccleſia*, magnum nimirum ob significationem conjunctionis Christi cum Ecclesia, ad quam tamquam ad terminum & rem significatam refertur matrimonium fidelium. Quod vero Apostolus non ipsam Christi cum Ecclesia conjunctionem, sed ipsum matrimonium vocet Sacramentum magnum, patet tum ex pronomine *Hoc*, quod referri debet ad ea, quæ proxime præceſserunt, *Relinquet homo patrem & matrem, &c.* cum sit demonstrativum ejus rei, de qua agitur: tum ex argumento totius Capitis V. Apostolus enim hortatur conjuges ad mutuam benevolentiam, dicens, ipsorum conjugium includere magnum mysterium, quod ad Christum & Ecclesiam referatur. II. *Eſt a Chriſto inſtitutum*, non quidem ut quomodocunque præfiguraret unionem Christi cum natura humana, aut cum Ecclesia, sed ut nobiliori modo eamdem ut jam factam exprimeret. Christus enim post adventum suum sustulit Sacramenta ipsum promittentia, & alia augustiora instituit, quæ actu exhiberent quod vetera promittebant. III. *Eſt gratiæ ſanctificantis productivum.* Præterquam enim quod Apostolus matrimonium vocet Sacramentum, ad cujus rationem pertinet gratiam sanctificantem ex opere operato conferri, eodem Cap. V. hortatur Ephesios: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret.* Ergo

cum

cum fideles conjuges spirituali animorum unione significent unionem spiritualem Christi & Ecclesiæ, Deus sine dubio sanctificantem gratiam illis largitur, sine qua spiritualem illam unionem non haberent.

Patrum. 336. Prob. II. Auctoritate PP. Tertull. Lib. II. ad Uxorem, Cap. ult. scribit: *Unde sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ratum habet.* Clemens Alexandr. Lib. III. Stromatum: *Matrimonium aliquid sacrum est & divinum.* S. Ambr. Lib. I. de Abraham, Cap. VII. *Cognoscimus præsulem custodemque conjugii esse Deum, qui non patiatur alienum thorum pollui. Qui sic egerit, peccat in Deum, cujus legem violat, gratiam solvit: & ideo quia in Deum peccat, Sacramenti cœlestis amittit consortium.* S. Chrys. Hom. LVI. in Genesin: *Sacramentum sunt nuptiæ, & imago dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam declaravit.* S. Aug. Lib. de Fide & operibus, Cap. VII. *In Civitate Dei nostri, in monte sancto ejus, hoc est, in Ecclesia, ubi nuptiarum non solum vinculum, verum etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere.* Lib. de Bono conjugali, Cap. XVIII. *In nostrarum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri.* Et Cap. XXIV. *Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti.* S. Leo M. Epist. XCII. ad Rusticum Narbonensem, Cap. IV. *Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum: dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium.*

Conciliorum. 337. Prob. III. Auctoritate Conciliorum. Florentinum in Decreto pro Armenis ait: *Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi & Ecclesiæ, secundum Apostolum dicentem: Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*

Eccleſia. Tridentinum Seſs. XXIV. Cap. unico de Matrimonio: *Gratiam, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, conjugesque ſanctificaret, ipſe Chriſtus Venerabilium Sacramentorum inſtitutor atque perfector, ſua nobis paſſione promeruit. Quod Paulus Apoſtolus innuit dicens, Viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea - - Cum igitur Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis per Chriſtum gratia præſtet; merito inter novæ Legis Sacramenta annumerandum Sancti Patres noſtri, Concilia, & Univerſalis Eccleſiæ traditio ſemper docuerunt.* Et Can. I. *Si quis dixerit, Matrimonium non eſſe vere & proprie unum ex ſeptem Legis Evangelicæ Sacramentis, a Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neque gratiam conferre; anathema ſit.*

338. Prob. IV. Præscriptionis argumento. Certum est, Theologos omnes Latinos, qui per annos CCCC. a Petro Lombardo ad Lutherum usque floruerunt, constanter semper docuisse, Matrimonium verum esse novæ Legis Sacramentum. Certum est, Patres quorum loca in probatione adduximus, & Concilia ante sæculum XVI. celebrata, nimirum Florentinum in Decreto pro Armenis, Constantiense in Constitutione Martini V. in qua præcipitur suspectus de hæresi interrogari: *An credat, quod Christianus contemnens ſuſceptionem Sacramentorum, Confirmationis, vel extremæ Unctionis, vel ſolemnizationis Matrimonii peccet mortaliter?* idem prorsus nobiscum hac in re sensisse. Certum est, eamdem esse Græcorum sententiam, quamvis a Romana Ecclesia diuturno schismate sint divisi, ut manifestum est ex Simeone Thessalonicensi Lib. de Initiatis, Cap. XXXIII. ex Jeremia Constantinopolitano in ejus Responsione ad Theologos Würtembergenses, Cap. VII. Gabriele Philadelphiæ in Tract. de Sacram. Gregorio Protosyncello in Epitome divinorum mysteriorum. Ex Synodo Græcorum Constantinopolitana A. 1638. sub Cyrillo Berrhoeensi,

Atque argumento Præſcriptionis.

hoeensi, in qua dicitur: *Anathema Cyrillo* (Lucari) *nova dogmata fabricanti, & credenti, non esse ex institutione Jesu Christi, Apostolorum traditione, praxique perpetua, septem Ecclesiæ Sacramenta, Baptisma videlicet, Chrisma, Pœnitentiam, Eucharistiam, Sacerdotium, extremam Unctionem, & Matrimonium: sed falso asserenti duo tantum a Christo data esse, aut instituta, Baptismum & Eucharistiam.* Item ex alia Synodo Constantinopolitana A. 1647. celebrata sub Parthenio, in qua Artic. XV. dicitur: *Negat* (Cyrillus Lucares) *Ecclesiæ Sacramenta quinque, Sacerdotium, sacram Unctionem sacrum Oleum, Confessionem cum pœnitentia, & honorabiles nuptias, quæ omnia ut Sacramenta, & divinam gratiam conferentia, antiqua nobis traditio reliquit.* Eamdem esse Coptorum, Jacobitarum, Syrorum, aliorumque Orientalium fidem, certo conficitur ex eorum Euchologiis. Ergo cum Protestantes ostendere nequeant, quo auctore, quo tempore, qua occasione, quo loco, nova hæc opinio invaluerit, dicendum est, universam Ecclesiam ab Apostolis edoctam, ita semper credidisse. Atqui quod universa semper Ecclesia credidit, non potest non esse verum, nisi Deum ipsum mendacii accusare velimus, quod impium, blasphemum, ac perfatuum est. Ergo certum est fidei dogma, Matrimonium verum esse novæ Legis Sacramentum.

Actus conjugalis solius delectationis causa exercitus, culpa veniali non caret.

339. Quæres I. An actus conjugalis solius delectationis causa exercitus, sit licitus & honestus? Resp. esse venialiter culpabilem. Prob. assertio 1mo Auctoritate Innocentii XI. qui hanc propositionem, inter damnatas ordine IX. proscripsit: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni pœnitus caret culpa, ac defectu veniali.* II. Auctoritate S. Augustini, qui Lib. I. de Nuptiis & concupiscentia, Cap. XV. scribit: *Sed tamen aliud est, non concumbere nisi sola voluntate generandi; aliud, carnis concumbendo appetere voluptatem, sed non præter conjugem, quod venialem habet culpam.* Et Lib. de Bono conjugali, Cap. X. *Concubitus necessarius causa generandi, inculpabilis & solus ipse nuptialis*

nuptialis est. Ille autem, qui ultra istam necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem. III. Auctoritate S. Thomæ, qui in IV. Sentent. Dist. XXXI. Quæst. II. Artic. II. & in Supplemento, Quæst. XLIX. Art. V. de conjugibus scribit: *Duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causa procreandæ prolis, & debiti reddendi: alias autem semper est ibi peccatum, ad minus veniale.* IV. Ratione Theologica. Actus conjugalis, cum in hoc statu naturæ corruptæ adjunctam habeat fœdam libidinem, ut licitus sit & honestus, debet honestari bonis matrimonii, nimirum vel bono prolis generandæ, vel bono fidei, id est, fidelitatis conjugalis, vi cujus obligantur conjuges sibi invicem debitum reddere: vel bono Sacramenti, id est, vinculi illius indissolubilis, quatenus repræsentat indissolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia. Atqui actus conjugalis solius delectationis causa exercitus, nullo ex his bono honestatur, ut per se manifestum est. Ergo.

340. Quæres II. An actus conjugalis, qui exercetur solummodo ad vitandam in se incontinentiam vel illius periculum, licitus sit & honestus? Resp. esse venialiter culpabilem. Prob. assertio I. Auctoritate S. Augustini, qui pluribus in locis diserte id ipsum docuit. In Enchiridio, Cap. LXXVIII. scribit S. Doctor: *Putari posset, non esse peccatum misceri scilicet conjugi non filiorum procreandorum causa, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis; ut fornicationis, sive adulterii, sive cujuspiam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quo potest tentante satana libido pertrahere, incontinentiam devitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset,* (Apostolus I. ad Cor. Cap. VII.) *Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium. Quis autem jam esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus, Apostolica auctoritate fateatur?* Et

Item venialiter culpabilem esse, si solummodo ad vitandam in se incontinentiam exerceatur, ostenditur auctoritate Patrum.

Lib. de Bono conjugali, Cap. VII. *Reddere debitum conjugale nullius eſt criminis, exigere autem ultra generandi neceſſitatem, culpæ venialis.* Eadem fuit doctrina S. Fulgentii Epist. I. de Conjugali debito, Cap. IV. & S. Gregorii M. Lib. XXXII. Moralium, Cap. XVII.

Scholæ Principum

341. Prob. II. Auctoritate Scholæ Principum. S. Thomas in IV. Sentent. Dist. XXXI. Quæst. II. ait: *Semper in actu matrimonii aliquod peccatum accidit, niſi hac intentione fiat conjunctio, ut proles procreetur, vel ſaltem ut debitum reddatur. Nam motus naturæ ſolius tendit in prolem habendam abſolute: quæ intentio non eſt recta, niſi ulterius referatur in Deum, ita ut proles quæratur ad cultum Dei, ſuſcipienda & nutrienda.* Et in Supplemento Quæst. XLIX. Artic. V. ad II. *Si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in conjuge, non eſt aliquod peccatum, quia hæc eſt quædam redditio debiti, quæ ad bonum fidei pertinet; ſed ſi intendat vitare fornicationem in ſe, ſic eſt ibi aliqua infirmitas, & ſecundum hoc eſt peccatum veniale: nec ad hoc eſt matrimonium inſtitutum, niſi ſecundum indulgentiam, quæ eſt de peccatis venialibus.* S. Bonaventura in IV. Sentent. Dist. XXXI. Art. II. Quæst. II. *Dicendum, quod qui coit cauſa fornicationis vitandæ, aut hoc eſt in ſe, aut in altero. Si in altero, ut reddat debitum, hoc eſt puræ juſtitiæ, hoc eſt fidei, & eſt de bonis matrimonii: recte ideo omnino a culpa excuſatur. Qui vero coit cauſa fornicationis vitandæ in ſe, in hoc ſemper peccat venialiter.*

Ac ratione Theologica

342. Prob. III. Ratione Theologica. Qui exercet actum conjugalem ad vitandam incontinentiam in se ipso, obsequitur libidini intra limites matrimonii, & operationem ordinat ad delectationem; re vera enim quærit in matrimonio voluptatem, ne eam quærat extra illud. Atqui obsequi libidini intra limites matrimonii, & operationem ordinare ad delectationem, semper est peccatum veniale, quia est aliquid inordinatum. Ergo. *Confirm.* Qui die v. g. qua abstinentia

stinentia a carnibus ab Ecclesia præcipitur, tentatur ad manducandas carnes, atque ad hanc tentationem evitandam se oblectat in esu delicatorum piscium, revera obsequitur gulæ circa materiam licitam, ne ei obsequatur circa materiam illicitam: atque inordinate agit, quia delectatio orta ex esu delicatorum piscium non est medium a Deo ordinatum ad vitandam delectationem ex esu carnium. Ergo a pari qui actum conjugalem exercet ad vitandam in se incontinentiam, revera obsequitur libidini intra limites matrimonii, ne extra illius limites ei obsequatur: atque inordinate agit, quia opus conjugii non est medium a Deo ordinatum ad sedandam aut vitandam libidinem, sed ad prolis procreationem.

343. Dices I. Apostolus I. ad Cor. Cap. VII. scribit: *Iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* II. Idem loco cit. ait: *Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri.* Ergo Apostolus adhortatur, & consilium dat nubendi ad vitandam incontinentiam. III. Si actus conjugalis licitus non esset ad vitandam incontinentiam, miserrimus foret status conjugum, innumeris peccatis venialibus obnoxius. IV. Conjugatus potest exigere debitum ad evitandam incontinentiam compartis. Ergo etiam ad vitandam propriam incontinentiam. V. Deus instituit matrimonium in remedium concupiscentiæ. Ergo. VI. Conjugati habent dominium mutuum in sua corpora. Ergo non peccant utendo hoc dominio. VII. Actus matrimonialis licitus est ad sanitatem conservandam vel recuperandam. Ergo etiam licitus est ad vitandam incontinentiam. VIII. Honestum est vitare incontinentiam. Ergo etiam honestum est ordinare actum conjugalem ad illam vitandam. IX. Tali modo sequeretur, quod senes & steriles matrimonium licite inire nequeant, cum sciant ineptos se esse ad generandum. Atqui hoc dici nequit, alias Ecclesia conjugia hæc prohiberet. Ergo.

Argumenta adversariorum.

344. Resp.

Contrarium non evincunt.

344. Resp. ad I. Apostolus hæc dicit, non secundum imperium, sed secundum indulgentiam, permittendo scilicet minus malum ad evitandum majus; illico enim subjungit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Ad II. C. A. D. C. Consilium dat nubendi ad vitandam incontinentiam per copulam exercendam propter libidinem, N. C. Per copulam exercendam propter debitos fines, nempe ob generationem prolis, aut debiti redditionem, quos tamquam effectus aliquis consequitur sedatio concupiscentiæ, C. Consec. Ad III. D. A. Conjugum status foret miserrimus ratione sui, N. A. Vitio hominum, & effrenatæ in carnalem voluptatem propensionis, C. A. Si quid hoc argumentum probaret, evinceret omnino licitum esse comedere, bibere, operi conjugali vacare solius voluptatis causa. Ut enim S. Augustinus scribit Lib. de Bono conjugali, Cap. XIII. *Quod tam magnum est, ut multi hodie facilius se tota vita ab omni concubitu abstineant, quam modum teneant non coeundi, nisi prolis causa, si matrimonio copulentur. - - - Quem tandem audivimus inter familiaria colloquia, sive eorum qui conjugati sunt, sive qui fuerunt, indicantem nobis numquam se conjugi esse commixtum, nisi sperando conceptum?* Quod si quæras, quid ergo conjugibus Matrimonium prosit? Resp. ad hoc, ut qui extra illud per gravia peccata libidini suæ facerent satis; jam saltem intra legitimi conjugii fines levius & veniabilius peccent, vel certe omnino non delinquant, si per Dei gratiam eousque sibi temperaverint, ut numquam nisi ob legitimos fines matrimonio utantur. Ad IV. C. A. N. C. Qui debitum petit propter compartis periculum, reddere magis quam petere censetur, eoquod altera pars interpretative tunc petat. Præterea periculo compartis tunc alio modo occurri nequit, proprio autem obsisti potest aliis remediis, v. g. orando, jejunando &c. Ad V. N. A. Deus non instituit matrimonium, aut actum conjugalem ordinavit directe atque immediate tamquam medium ad vitandam incontinentiam: ideoque

vitatio

vitatio incontinentiæ neque secundarius est finis matrimonii, sed proprie loquendo est matrimonii effectus; quia concupiscentia per actum conjugalem sedata, non ita stimulat continuo ad libidinem. Ad VI. C. A. D. C. Non peccant contra justitiam, C. C. Non peccant contra temperantiam, si utantur matrimonio ad vitandam incontinentiam, N. C. Ad VII. O. A, quod S. Thomas diserte negat, quia talis utitur medio de se non ordinato ad hunc finem, & N. C. Qui actum conjugalem exercet ad incontinentiam in se ipso vitandam, agit propter libidinem, & ei re ipsa obsequitur: at vero libidini non obsequitur, qui actum conjugalem exercet propter sanitatem vel recuperandam vel conservandam. Ad VIII. D. A. Honestum est vitare incontinentiam per media debita, atque ad hoc ordinata, nempe per Eucharistiæ frequentem usum, per orationem, jejunia, & carnis macerationem, C. A. Per media indebita, quale merito censetur esse actus conjugalis, a Deo atque a natura ordinatus ad generationem prolis, non vero ad sedandam libidinem, N. A. Ad. IX. Resp. N. sequelam. Senes & steriles licite matrimonium contrahunt, vel ut caste vivant, & fratris ac sororis instar simul cohabitent, vel ut debitum dumtaxat reddant; quod agendo non peccant, quia quasi inviti & mere propter obligationem justitiæ carnale commercium exercent, neque propriam, neque conjugis debitum exigentis libidinem intendentes; sed justa de causa relaxari permittentes, ne scilicet justitiam violent, & ne compars majoris incontinentiæ crimine inquinetur. Quod si illi matrimonium ineundo intendant congressum maritalem vel solius voluptatis causa, vel ad vitandam incontinentiam petere, a veniali culpa omnino excusari nequeunt. Neque idcirco Ecclesia arguenda est, quod ejusmodi matrimonia iniri permittat, quamvis de contrahentium non usque adeo recta intentione sufficienter illi constaret: præstat enim venialem illorum culpam

permit-

permittere, quam eos in gravioris incontinentiæ periculo versantes a nuptiis arcere.

Materia Sacramenti Matrimonii eſt legitimus contrahentium conſenſus.

345. Quæres III. Quænam sit materia Sacramenti Matrimonii? Resp. est legitimus contrahentium consensus. Prob. afsertio Imo. Sacramenti Matrimonii eadem est materia, quæ est cæterorum contractuum; Tridentinum enim Seſs. XXIV. Cap. unico de Matrim. non aliud agnoscit discrimen inter matrimonium veteris & novæ Legis, quam quod istud gratiam ex opere operato conferat. Atqui materia cæterorum contractuum est legitimus consensus contrahentium. Ergo. II. In Sacramentis illud se habet per modum materiæ, quod ab alio in ratione signi sensibilis, & virtute conferendi gratiam perficitur ac completur. Atqui consensus matrimonialis in ratione signi sensibilis & virtute conferendi gratiam perficitur ac completur per verba aliaque signa externa, sicut alii contractus re, verbis, aut litteris compleri solent. Ergo consensus legitimus contrahentium est materia proxima Sacramenti Matrimonii; ipsa vero corpora conjugum dici poterunt materia remota, circa quam versatur contractus matrimonialis.

346. Dices I. Juxta Florentinum in Decreto pro Armenis, *Cauſa efficiens matrimonium regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus.* Ergo consensus non est materia proxima matrimonii. II. Sacramenta alia constant rebus & verbis. Ergo etiam Matrimonium. Atqui consensus internus non est res. Prob. min. subsumpta. Res Sacramenti debet eſse sensibilis. Atqui consensus internus non est sensibilis. Ergo. Resp. ad I. D. A. Consensus est causa efficiens matrimonii formaliter & constitutivè, sicuti gratia hominem sanctum efficit, & albedo parietem album, C. A. Causa efficiens physice atque extrinsecus, si Matrimonium accipiatur pro ipso contractu Sacramentali, N. A. & Consec. Causa efficiens Sacramentalis contractus vere ac proprie est Miniſter, qui contractum hunc celebrat. Ad II. N. min.

min. subsumptam. Ad hujus *prob.* D. M. Res Sacramenti debet esse sensibilis immediate semper & in se, N. M. Mediate & per aliud, nempe per signa quibus significatur, aut verba quibus exprimitur, C. M. Et sic dist. minore N. C. Ad valorem contractus sufficit, ut consensus signis vel verbis exprimatur. Ergo etiam sufficit ad valorem matrimonii, quod nullum habet specialem ritum, distinctum a legitimo contractu.

347. Quæres IV. Quænam sit forma Sacramenti Matrimonii? Resp. non esse verba Sacerdotis, *Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris &c.* sed verba, aut signa, quibus ipsi contrahentes consensum suum exprimunt, æquivalenter dicendo, *Ego te accipio in meam. Ego te accipio in meum.* Prob. Ima pars assertionis Imo. Tridentinum Sess. XXIV. Cap. I. de Reform. Matrim. ait: *Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris &c. vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum.* Ergo Tridentinum supponit, verba illa ad essentiam formæ nequaquam pertinere; secus ea verba non reliquisset arbitratui provinciarum, sed determinata forma quemlibet Parochum uti jussisset. Et merito sane, cum in tanta varietate facile posset subrepere mutatio substantialis, eaque tam multiplex varietas dedeceat dignitatem Sacramentorum. Unde communiter docent Theologi eum peccare, qui verba formarum in Sacramentis determinata & præscripta ab Ecclesia, mutat in alia etsi æquivalentia.

Forma Sacramenti Matrimonii non sunt verba Sacerdotis.

348. Prob. II. In aliquibus Ecclesiis adhibebantur a Sacerdote verba quoad sensum omnino diversa ab illis, *Ego vos conjungo &c.* neque tamen minus Sacramentum Matrimonii validum erat. Ergo verba illa Sacerdotis non sunt forma essentialis Sacramenti Matrimonii. P. A. Rituale Ecclesiæ Constantiensis hæc verba præscribit: *Matrimonium per vos contractum secundum ordinem Matris Ecclesiæ, Ego auctoritate,*

tate, qua hac in parte fungor, ratifico, confirmo, & benedico, in nomine Patris &c. Dominicus Soto, qui Tridentino interfuit, in IV. Sentent. Dist. XXVI. Artic. III. refert, in quibusdam Hispaniæ provinciis hanc adhiberi formulam: *Ego vos ſponſo, & Sacramentum confirmo.* In aliis istam: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Adde, quod horum verborum, *Ego vos conjungo &c.* nullum exstet vestigium in scriptis Patrum, in Canonibus Conciliorum, ac Ritualibus libris etiam non ita antiquis, ut testatur Martene de antiquis Ecclesiæ ritibus, Tomo II. Lib. I. Cap. IX. Artic. III. Num. VI.

349. Prob. III. Auctoritate S. Thomæ in IV. Sentent. Dist. XXVI. Quæst. II. Artic. I. *Verba, quibus conſenſus matrimonialis exprimitur, ſunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ eſt quoddam Sacramentale.* Et in IV. Dist. XXVIII. Quæst. unica, Artic. III. *Conſenſus expreſſus per verba de præſenti inter perſonas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit; quia hæc duo ſunt de eſſentia Sacramenti, alia autem omnia ſunt de ſolemnitate Sacramenti, quia ad hoc adhibentur ut matrimonium convenientius fiat. Unde ſi omittatur, verum eſt matrimonium, quamvis peccent ſic contrahentes, niſi per aliquam legitimam cauſam excuſentur.* Et paulo post: *In matrimonio actus noſtri ſunt cauſa ſufficiens ad inducendum proximum effectum, qui eſt obligatio; quia quicunque eſt ſui juris, poteſt ſe alteri obligare. Et ideo Sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio, quaſi de eſſentia Sacramenti.*

350. Prob. IV. Adversarii neque ex Scripturis neque ex traditione ostendere poſsunt, quod Christus instituendo hoc Sacramentum quid aliud fecerit, nisi quod contractui matrimonii, qui mere civilis antea fuerat, virtutem gratiæ producendæ adjunxit. Ergo quæ forma contractus civilis est, eadem est forma Sacramenti matrimonii. Atqui forma matrimonii, ut est contractus civilis, non sunt verba Sacerdotis, sed verba vel signa contrahentium, quibus consen-

sum

sum interiorem explicant. Ergo. Accedit, quod Sacerdos non sit minister Sacramenti Matrimonii, ut paulo post pluribus ostendemus. Ergo verba quibus ille utitur, non sunt forma eſsentialis hujus Sacramenti.

351. Prob, etiam altera pars aſsertionis. Illud eſt forma Sacramenti Matrimonii, quod est forma matrimonii ut est contractus civilis; quia neque Scriptura neque traditio docent, quod Christus contractum matrimonialem ad rationem Sacramenti elevando novam aliquam formam requisierit. Atqui forma matrimonii ut est contractus civilis, sunt verba vel nutus contrahentium, quibus illi consensum interiorem exprimunt & significant. Ergo. Dixi, *verba vel nutus*. Cum enim matrimonium sequatur naturam contractuum, & contractus poſsint iniri solis etiam nutibus; hi nutus æquivalent verbis, quia non secus ac verba interiorem consensum exprimunt. Atque ideo Florentinum in Decreto pro Armenis, ubi de Sacramento Matrimonii agit, dicit causam ejus efficientem eſse *regulariter* consensum per verba de præsenti expreſsum; quia aliquando loco verborum quæ proferri non poſsunt a mutis, adhibentur nutus ad exprimendum consensum, qui æquivalent verbis de præsenti: unde aliquando contingit perfici Sacramentnm Matrimonii per consensum, non verbis, sed nutibus expreſsum. Ex quo tamen cave inferas, poſse etiam reliqua Sacramenta per nutus tantum absque verbis conferri: quia solum Sacramentum Matrimonii sequitur naturam contractus, qui solo nutu celebrari potest, eoquod per illum æque ac per verba consensus interior manifestetur.

Sed verba vel ſigna, qnibus ipſi contrahentes conſenſum ſuum exprimunt.

352. Dices I. Si verba contrahentium sunt forma hujus Sacramenti, tunc falsa forent verba Sacerdotis, *Ego vos conjungo*. Atqui hoc dici nequit, quia Ecclesia præcipit illa adhiberi. Ergo. P. M. Sponsi consensum suum internum jam manifestarunt, quando Sacerdos hæc verba profert. Ergo juxta nos jam sunt conjuncti: adeoque falsa forent verba Sacerdo-

Argumenta adverſariorum.

tis. II. Sacerdos dicendo, *Absolvo te*, vere ac proprie absolvit. Ergo etiam dicendo, *Ego vos conjungo*, vere ac proprie conjungit. III. Forma Sacramentorum debet proferri in persona Christi. Atqui hæc verba, *Accipio te in meam*, non proferuntur in persona Christi; non enim Christus uxorem ducit. IV. Matrimonium solis conjugum verbis contractum nullam gerit similitudinem effectus Sacramentalis, quem significat & causat Sacramentum Matrimonii. Ergo. V. Formæ, quibus Sacramenta perficiuntur, sunt verba sacra. Atqui hæc verba, *Accipio te in meam*, non sunt sacra, sed mere naturalia, ab omnibus Gentibus usurpata. VI. Tertullianus Lib. II. ad Uxorem ait: *Matrimonium Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, obsignat benedictio*. VII. S. Evaristus Epist. I. ad Episc. Africæ scribit, *connubia sine Sacerdotis benedictione contracta seu præsumpta, non conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes potius quam legitima conjugia esse.* VIII. Carthaginense IV. Cap. XIII. ait: *Sponsus & sponsa cum benedicendi sunt a Sacerdote, a parentibus suis vel paranymphis offerantur. Qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis, in virginitate permaneant.* Atqui hoc non præcepisset Concilium, si per verba Sacerdotis non perficeretur Sacramentum. IX. S. Siricius Epist. ad Himerium Tarraconensem, Cap. IV. ait: *Illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.* Ergo benedictio Sacerdotis est forma Sacramenti, alias illius violatio non foret sacrilegium. X. Alexander III. Extra, Cap. *Cum in Ecclesiæ* IX. de Simonia: *Horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere: ita ut pro Episcopis vel Abbatibus, seu quibuscunque personis Ecclesiasticis ponendis in sedem, seu introducendis Presbyteris in Ecclesiam, nec non pro sepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, seu aliis Sacramentis aliquid requiratur.* Ergo benedictio

nedictio Matrimonii recensetur inter Sacramenta, adeoque est forma Matrimonii.

353. Resp. ad I. N. M. Ad hujus *prob.* N. C. *Dituuntur.* Verbum *Conjungo* a Sacerdote non profertur efficienter, sed solum approbative, ita ut hunc sensum reddat: *Ego matrimonium veſtrum ratum habeo, & confirmo ac declaro vos in facie Eccleſiæ eſſe legitime conjunctos.* Nimirum eo fere modo, quo pater dicitur matrimonio jungere filiam suam consentiendo in ejus matrimonium, dotem dando &c. juxta illud Apostoli I. ad Cor. Cap. VII. *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit.* Aut quomodo secreto absolutus ab excommunicatione, postea publice absolvitur a Judice Ecclesiastico per verba illa, *Abſolvo te a vinculo excommunicationis*, id est, declaro atque approbo legitimam eſse tuam absolutionem. Ad II. C. A. N. C. Scriptura & traditio docent, Sacerdotem in Sacramento Pœnitentiæ veram potestatem judiciariam exercere, ideoque vere ac proprie a peccatis absolvere: at vero neque Scriptura neque traditio ostendunt, Sacerdotem vere sponsos conjungere; idque a communiſsima Theologorum negatur. Ad III. C. M. D. min. Verba illa, *Ego te accipio in meam vel meum*, non proferuntur a sponsis in persona Christi, quatenus illi ineunt contractum civilem, & se jungunt in ordine ad carnale commercium, C. min. Quatenus faciunt Sacramentum, & se jungunt per gratiam Sacramentalem, N. min. Sic enim Christus est principalis Minister, & accipit sponsam in suam, sicut accipit in suos illos omnes quibus gratiam sanctificantem confert. Ad IV. N. A. Consensus per verba de præsenti a conjugibus expreſsus, a Christo ad ordinem rerum sacrarum elevatus, est imago quædam & similitudo spiritualis conjunctionis eorumdem conjugum per mutuam charitatem, cujus Sacramentum Matrimonii signum est & causa. Ad V. C. M. D. min. Verba contrahentium non sunt sacra, sed mere naturalia, si considerentur secundum se, præscindendo a Christi institutione, C. min. Si consideren-

tur ut subsunt institutioni Christi, a quo elevata sunt ad significandam & efficiendam gratiam, qua conjuges sanctificantur, eorumque amor perficitur, N. min. Ad VI. Resp. Tertullianum loqui de confirmatione & obsignatione accidentali, non substantiali; nullibi enim Tertullianus docet perfici matrimonium per Sacerdotis benedictionem. Ad VII. Resp. Decretalem illam S. Evaristi Epistolam suppositiam esse, ex vitiatis Isidori mercibus depromptam. Et quamvis daremus eam genuinam esse, nihil tamen ex ea evinceretur, quia sermo ibi est de connubiis clandestinis, in quibus non adest utriusque contrahentis interior consensus; statim enim post citata verba subjungitur: *Nisi voluntas propria suffragata fuerit, & vota succurrerint legitima.* Præterea si ex ea Epistola evinceretur benedictionem Sacerdotis pertinere ad substantiam Sacramenti Matrimonii, sequeretur præter illam plurima alia requiri ad ejus valorem; ait enim Epist. cit. Pseudo-Evaristus: *Aliter legitimum, ut a patribus accepimus, & a sanctis Apostolis, eorumque successoribus traditum invenimus, non fit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam fœminam dominationem videntur habere, & a quibus custoditur, uxor petatur, & a parentibus aut propinquioribus sponsetur; & legibus dotetur, & suo tempore Sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus a Sacerdote benedicatur; & a paranymphis, ut consuetudo docet, custodita & consociata, a proximis tempore congruo petita, legibus detur, & solemniter accipiatur, & biduo vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant, ut bonæ soboles generentur, & Domino in actibus suis placeant. - - Quapropter - - - ita peracta legitima scitote esse connubia. Aliter vero præsumpta, non conjugia, sed aut adulteria, aut contubernia, aut stupra, vel fornicationes potius quam legitima conjugia esse non dubitate, nisi volantas propria suffragata fuerit, & vota succurrerint legitima.* At vero quis hæc omnia hic recensita asserat ad valorem Sacramenti Matrimonii pertinere? Ad VIII. N. min. Carthagi-

thaginense id non præcipit, sed suadet, quia illa Ecclesiæ cæremonia est tali reverentia digna. Ad IX. N. C. Quia benedictio illa non violatur, nisi violando matrimonium, idcirco violatio benedictionis dicitur a Siricio sacrilegium, ut patet ex verbis immediate præcedentibus: *De conjugali autem violatione requisisti, si desponsatam alii puellam alter in matrimonium possit accipere. Hoc ne fiat modis omnibus inhibemus, quia illa benedictio &c.* Petrus Coustant in Notis ad Epistolas Pontificum, Tomo I. Colum. 628. putat Siricium loqui de benedictione, qua in veteri Ecclesia obsignabantur sponsalia de futuro. Ad X. N. C. Vox *aliis* non est hic relativa, sed absoluta, habetque hunc sensum: *Seu aliis rebus, qualia sunt Sacramenta.* Si enim relativa foret, sequeretur etiam sepulturas & exequias mortuorum, & introductionem Presbyterorum in Ecclesiam esse vera Sacramenta.

Sacerdotem non esse ministrum Sacramenti Matrimonii ostenditur auctoritate Florentini.

354. Quæres V. Quinam sit Minister Sacramenti Matrimonii? Resp. non esse Sacerdotem, sed ipsos contrahentes. Ita communissima Theologorum contra Melchiorem Canum, Sylvium, Estium, Juenin, Serry, Du Hamel, Le Drouven, Tournely, Herminier, Piette, &c. Prob. assertio Imo Auctoritate Florentini, quod in Decreto pro Armenis ait: *Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi & Ecclesiæ, secundum Apostolum dicentem: Sacramentum hoc magnum est; Ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Ex his sic argumentor. Qui Sacramentum Matrimonii efficit, est etiam illius Minister. Atqui juxta Florentinum Sacramentum Matrimonii efficiunt contrahentes, non autem Sacerdos. Ergo. Respondent adversarii, quando Florentinum assignat causam illius efficientem, loqui de matrimonio ut est contractus civilis, non vero ut est Sacramentum. Sed bona illorum pace exceptionem hanc falsam & absurdam esse autumo. Imo. Quia initio hujus Decreti ait Florentinum: *Ecclesiasticorum Sacramentorum veritatem*

ritatem pro ipsorum Armenorum - - - faciliori doctrina, sub hac brevissima redigimus formula. II. Quia immediate antequam causam efficientem assignet, loquitur de matrimonio, ut est Sacramentum. *Septimum est Sacramentum Matrimonii &c.* III. Nullum alium ministrum Sacramenti Matrimonii alibi designat, neque Sacerdotis meminit. IV. Armeni non indigebant instrui de causa efficiente matrimonii, ut est contractus civilis. Noluit autem Concilium materiam distincte exprimere, eam determinate assignando sub expressis nominibus; quia Doctores idem unanimiter sentientes de ministro & forma hujus Sacramenti, controvertebant inter se, quid venire deberet nomine materiæ. Ab hac autem controversia definienda prudenter abstinuit Florentinum, quia talis definitio minime necessaria erat ad assignanda omnia ad Sacramenti Matrimonii perfectionem requisita; quæ reipsa assignavit, statuendo causam efficientem hujus Sacramenti esse consensum per verba de præsenti expressum.

Tridentini. 355. Prob. II. Authoritate Tridentini, quod Sess. XXIV. Cap. unico de Matrim. nullum ponit discrimen, quantum ad ritum, inter matrimonium in Lege naturæ & Mosaica ac Evangelica; atque in eo tantum differre ait, quod in Lege Evangelica gratiam causet, quam non causabat in Lege naturæ & Mosaica. Ergo juxta Tridentinum Matrimonium ut Sacramentum non alium habet ministrum, quam habuerit ante adventum Christi, quando erat contractus mere civilis. Idem Sess. XXIV. Cap. I. de Reformat. Matrim. statuit, clandestina matrimonia, quæ absque præsentia idoneorum testium & Parochi, illiusque benedictione celebrantur, vera & rata esse matrimonia, quamdiu ea Ecclesia irrita non fecit. *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; & proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant - - - nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.* Ergo Tridentinum

dentinum docet, matrimonium initum absque præsentia & benedictione Sacerdotis, esse verum Sacramentum, in iis nempe regionibus, in quibus Decretum Tridentini irritans matrimonia clandestina, non est promulgatum. Ergo juxta Tridentinum Sacerdos non est Minister hujus Sacramenti. P. C. Matrimonium ratum ac verum fidelium non est tantum contractus civilis, sed etiam Sacramentum, ut docet Innocentius III. Extra, Cap. *Quanto*, de Divortiis: *Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum & ratum existit, quia Sacramentum fidei quod semel est admissum, numquam amittitur, sed ratum efficit conjugti Sacramentum.* Quod si dicas, Pallavicinum in Hist. Conc. Tridentini, Lib. XXIII. Cap. IX. testari, quod Tridentinum numquam declaraverit ea clandestina matrimonia fuisse Sacramenta. Resp. Dist. Tridentinum nunquam declaravit ea matrimonia esse Sacramenta, præsupposita lege Ecclesiastica, quæ ejusmodi matrimonia clandestina irrita facit, C. A. Hac lege non supposita, N. A. Cum in Tridentino formaretur Decretum, quo irrita in posterum pronuntiabantur matrimonia clandestina, quidam ex Patribus ducti authoritate Decretalis quæ Evaristo tribuitur, opinabantur superfluum esse hoc Decretum, eoquod Ecclesia jam ab antiquissimis temporibus ea matrimonia ut invalida rejecerit: alii vero contendebant, improbata quidem illa olim fuisse ut illicita, non autem ut invalida. Itaque ne litem hanc inter Patres agitatam dirimere videretur Concilium, Cap. I. de Reform. Matrim. pronuntiavit, ejusmodi clandestina conjugia minime dubitandum esse vera fuisse ac rata, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit: an vero Ecclesia jam primis sæculis fecerit ea irrita, Tridentinum declarare noluit.

Veterum Scholastico-rum.

356. Prob. III. Authoritate veterum Scholasticorum, qui omnes nullo excepto, præter Guilielmum Parisiensem, ad sæculum usque XVI. unanimi calculo docuerint, Ministros Sacramenti Matrimonii esse ipsos contrahentes. Hugo Victorinus Lib. II. de Sacram.

Parte

Parte II. Cap. V. ait: *Si quis autem quærat, quando conjugium eſse incipiat, dicimus, quod ex quo talis conſensus, qualem ſupra definivimus, inter masculum & fœminam fuerit; ex eo ſtatim conjugium eſt.* Magister ſententiarum Petrus Lombardus Lib. IV. Dist. XXVII. Litt. C. *Efficiens autem causa matrimonii eſt conſensus, non quilibet, ſed per verba expreſsus, nec de futuro, ſed de præsenti.* Et Dist. XXVIII. Litt. B. *In hujus Sacramenti celebratione, ſicut in aliis, quædam ſunt pertinentia ad ſubſtantiam Sacramenti, ut conſensus de præsenti, qui ſolus ſufficit ad contrahendum matrimonium: quædam vero pertinentia ad decorem & ſolemnitatem Sacramenti, ut parentum traditio, Sacerdotum benedictio - - - ſine quibus legitime fit conjugium quantum ad virtutem, non quantum ad honeſtatem Sacramenti.* S. Thomas in IV. Sentent. Dist. XXVIII. Quæst. unica, Art. IV. in responsione ad I. objectionem: *In aliis Sacramentis id quod eſt ex parte miniſtrorum, eſt de eſsentia Sacramenti, non autem in Matrimonio, ſed ſolum de ſolemnitate. - - - Unde absque miniſtris Eccleſiæ poteſt fieri Matrimonium, non autem alia Sacramenta.* S. Bonaventura in IV. Sentent. Dist. XXVIII. Quæst. V. *Dicendum, quod ad eſse Matrimonii iſta duo ſufficiunt, ſcilicet legitimitas in perſonis, & unitas in conſensu. Ad ſolemnitatem vero & decorem ſive honeſtatem requiritur & parentum traditio, & Sacerdotum benedictio: hæc autem ita ſunt ad decorem Sacramenti, ut tamen ſint de neceſsitate præcepti.* Scotus in IV. Sentent. Dist. XXVI. Quæst. unica: *Sacramentum Matrimonii eſt expreſsio certorum verborum maris & fœminæ ſe invicem ſignificantium traditionem mutuæ poteſtatis corporum ad prolem debite procreandam, ex inſtitutione divina efficaciter ſignificans gratiam conferendam mutuo contrahentibus ad conjunctionem mutuam animorum gratiosam.* Durandus in IV. Sentent. Dist. XXVII. Quæst. I. docet, Matrimonium ut Sacramentum causari per consensum expreſsum verbis de præsenti. Verbo, nullus ostendi potest ex Veteribus Scholasticis, qui per annos CCCC. nempe a Sæculo XII. usque ad XVI. id est, ad tempora usque Melchioris Cani,

ni, & Simonis Vigorii Theologi Parisiensis, sententiam nobis oppositam docuerit, præter Guilielmum Parisiensem Episcopum, qui quamvis doceat Sacerdotem esse hujus Sacramenti ministrum, formam tamen non statuit cum Cano in illis verbis Sacerdotis, *Ego vos conjungo &c.* sed in benedictione & precibus, quæ tempore Sacrificii a Sacerdote recitantur in Missa pro Sponsis. Verum hæc Guilielmi opinio omnino sustineri nequit; constat enim secundas nuptias verum esse Sacramentum, quamvis juxta Ecclesiæ morem non benedicantur solemni illa benedictione, quæ continetur in speciali Missa pro Sponso & Sponsa. Ex hoc autem unanimi Scholasticorum consensu non leve argumentum contra adversarios instrui potest: cum enim Episcopi, & alii Pastores communem totius scholæ sententiam secuti fuerint, vel oportet falsam esse sententiam Cani, vel universam Ecclesiam per quadringentos annos errasse circa essentiam Sacramenti Matrimonii, & ejus institutionem. At nihil certe Canus vidit, quod SS. Thomas & Bonaventura, aliique scholæ Principes aut videre non potuerint, aut etiam non viderint.

357. Prob. IV. ex sequelis. Si Sacerdos foret hujus Sacramenti minister, forma autem essent verba Sacerdotis, *Ego vos conjungo*, sequeretur I. Matrimonium per Procuratorem contractum non esse verum Sacramentum, quia forma hujus Sacramenti, *Ego vos conjungo*, præsentes supponit contrahentes, non secus ac forma Sacramenti Pœnitentiæ, *Ego te absolvo.* Atqui id dici nequit, alias Ecclesia ejusmodi matrimonia non permitteret, quia ageret contra institutionem Christi, & fideles illos perpetuo privaret gratia Sacramentali. Neque dicas, sponsos qui per Procuratorem contraxerunt, solere postea cum testibus præsentes se sistere coram Sacerdote, ut benedictionem ab ipso accipiant. Resp. enim longe probabilius esse, quod matrimonium semel validum in ratione contractus, non possit deinde renovari, & assequi virtutem Sacramenti; quia res semel valide donata & tradita, cum non sit amplius sub dominio donatoris, non potest amplius valide donari,

Atque ex sequelis.

nari, ficque deficeret materia Sacramenti Matrimonii. Sequeretur II. Matrimonia coram testibus & Parocho, ſed renitente, & benedictionem denegante, non eſse Sacramentum. III. Item ea Matrimonia irrita eſse in ratione Sacramenti, quæ cum impedimento occulto dirimente in facie Ecclesiæ fuerunt celebrata, licet postea ſublato impedimento, partes novum consensum occulte præbeant absque præsentia Parochi. Atqui id dici nequit, quia ſacra Cardinalium Congregatio, & S. Pius V. ut refert Prosper Fagnanus ad Cap. *Is qui fidem*, de Sponsal. ſæpius declararunt, ejusmodi matrimonia convalescere. Quod si dicas, valida fieri in ratione contractus, non in ratione Sacramenti. Resp. si quæstio fuiſset mota de valore contractus, non de valore Sacramenti, tunc nulla fuiſset causa Pontificem aut Cardinales interrogandi; cum aliunde certum ſit, consensum legitimum omni impedimento dirimente liberum, ſufficere ad valorem contractus. Ergo Pontifex & Cardinales locuti ſunt de valore Sacramenti.

Exceptiones adversariorum.

358. Dices I. S. Ambrosius Epist. LXX. ait, conjugium ſanctificari debere benedictione Sacerdotali. Ergo Sacerdos est minister. II. Cum Lotharius Rex Lotharingiæ affirmaret, ante Theutbergam legitimam ſuam conjugem quam repudiaverat, duxiſse ſe Waldradam, S. Nicolaus I. Legatis ſuis præcepit, ut diligenter investigarent, an revera Lotharius, priusquam conjugali fœdere ſe devinciret Theutbergæ, matrimonium celebraſset cum Waldrada coram testibus, ſecundum legem & ritum quo nuptiæ celebrari ſolent. *Si vero*, ait, *minime probatum fuerit, Waldradam fuiſse uxorem legitimam, neque nuptiis ſecundum morem celebratis, per benedictionem ſcilicet Sacerdotis, filio noſtro Lothario exſtitiſse conjunctam: ſuggerite illi ut non moleſte ferat, legitimam ſibi, ſi ipsa innocens apparuerit, reconciliari uxorem.* Ergo judicavit S. Nicolaus I. matrimonium inter Waldradam & Lotharium initum, invalidum eſse, si absque benedictione Sacerdotali fuiſset celebratum. III. Martinus V. in Constantiensi ſolemnizationem matrimonii vocat Sacramentum. IV. Colonienſe I. A. 1536.

1536. Parte VII. Cap. XL. ait: *Quod Sacramentum si quis, sicut decet, acceperit, accedente Sacerdotali precatione confert donum Spiritus, quo vir diligat uxorem amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Et in Enchiridio Conc. Coloniensis dicitur: *De ministro hujus Sacramenti* (Matrimonii) *postremo videndum est. Ut forsan quidam non improbanda ratione dicant, matrimonium certum ministrum non exigere, quod conjuges in se casto amore ac religiose consentientes Deus ipse conjungat; tamen videmus & in veteri Lege quosdam fuisse, qui Dei vice conjuges conjungerent: quanto ergo magis putandum est, in nova Lege Sacerdotes, qui legatione pro Deo funguntur, legitimos hujus Sacramenti ministros esse.* Sacerdotale Romanum editum ab Alberto Castellano A. 1494. ait: *Sacerdos proferat verba, quæ sunt forma hujus Sacramenti cum consensu utriusque.* S. Carolus Borromæus in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, Parte IV. Paragr. I. Concilium Cameracense A. 1567. Cap. I. de Matrim. Manuale Iprense, A. 1576. promulgatum, & Mechliniense A. 1589. editum, Sacerdotem vocant Ministrum Sacramenti Matrimonii. V. Ministri aliorum Sacramentorum sunt Sacerdotes. Ergo etiam Matrimonii. VI. In aliis Sacramentis non est idem conficiens & suscipiens Sacramentum. Ergo nec in Matrimonio. VII. Paradoxum est, quod hujus Sacramenti non sit unus minister, sed duo: non ordinati, sed laici: vir & mulier: quod iidem sint suscipientes, & conferentes. VIII. Nullus sibi ipsi Sacramentum ministrat quod in actione consistit. Ergo contrahentes non sunt ministri Matrimonii. IX. Saltem negari a nobis nequit, multo concinnius, aliis Sacramentis conformius, ipsa Sacramenti ratione dignius, ac denique minoribus difficultatibus obnoxium esse, si Sacerdos dicatur esse minister Matrimonii. Ergo.

359. Resp. ad I. N. C. Conjugium sine Sacerdotali benedictione non sanctificatur, non quod desit ei aliquid ad substantiam pertinens; sed quia fideles præceptum Ecclesiæ sub gravi obligans transgrediendo, indigne Sacramentum hoc ministrant & suscipiunt. Di- *Enervatur.*

ci etiam potest, S. Ambrosium loqui de sanctificatione accidentali & impetratoria per preces & cæremonias sacras Ecclesiæ. Ad II. N. C. Cum Lotharius minime sibi constans modo hanc modo illam obtenderet repudii causam, S. Nicolaus probe gnarus quam parum fidendum esset assertionibus parum sibi cohærentis Lotharii, nullam quoad hoc ei fidem adhibendam esse rescripsit, nisi ostenderet se legitime, omnibusque adhibitis juris solemnitatibus, nupsisse Waldradæ; sed agendum esse decrevit juxta præsumptionem fori externi, in quo non reputatur matrimonium verum esse, quod a partibus probari palam nequit. Cæterum a Nicolao validum habitum fuisse matrimonium, clanculum solo contrahentium consensu celebratum, liquet ex ejusdem Responsis ad Consulta Bulgarorum, Cap. III. *Peccatum autem esse, si hæc cuncta* (a Leone Imperatore Novella LXXXIX. præscripta, inter quæ erat etiam sacra benedictio nuptiarum) *in nuptiali fœdere non interveniant, non dicimus, quemadmodum Græcos vos adstruere dicitis: præsertim cum tanta soleat arctare quosdam rerum inopia, ut ad hæc præparanda nullum his suffragetur auxilium; ac per hoc sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui consensus si solus in nuptiis forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.* Ad III. Resp. Matrimonii solemnizatio, non in abstracto, sed in concreto, id est, ipsum matrimonium solemne, in facie Ecclesiæ celebratum, dicitur a Martino V. Sacramentum. Ad IV. N. C. Sacerdotes vocantur ministri matrimonii, non quoad valorem illius & essentiam, sed quoad accidentalem illius solemnitatem, quia sine Sacerdotis benedictione Sacramentum hoc licite & solemniter perfici nequit. Hinc Sacerdotale Romanum ait, verba Sacerdotis cum consensu utriusque contrahentis esse formam hujus Sacramenti, nempe adæquate accepti secundum substantiam & solemnitatem simul. Concilium & Enchiridion Coloniense minime favent adversariis: dicitur enim Sacerdotalis benedictio Spiritum conferre, quia qui hanc negligit, gratiæ obicem ponit,

nit, grave præceptum Ecclesiæ transgrediendo; in Enchiridio autem sermo non est de ministro Sacramenti, sed de ministro solemnitatis accidentalis, ut patet tum ex paritate quam instituit inter veteris & novæ Legis Sacerdotes, tum etiam ex alio Enchiridii loco in Tract. de Sacram. Matrimonii, ubi diserte affirmatur, verba contrahentium esse formam hujus Sacramenti: *Verbum itaque hujus Sacramenti, quo accedente ad elementum fit Sacramentum, id nimirum est, quo ambo, mas & fœmina, cum pietatis respectu quæ in Deum est, sibi mutuo fidem conjugalem dant accipiuntque, non quovis modo, sed in Dei nomine conjunguntur ac copulantur.* Ad V. N. C. Sacramenta alia non fundantur in contractu; at vero Matrimonium nihil aliud est quam contractus civilis elevatus ad rationem Sacramenti. Unde causa efficiens contractum, efficit simul Sacramentum. Ad VI. eadem datur rensponsio, eademque ut prius assignatur disparitas. Ad VII. Resp. paradoxum id videri illis dumtaxat, qui naturam matrimonii perspectam non habent, aut agnoscere nolunt. Cum enim matrimonium fidelium sit simul Sacramentum & contractus civilis, mirum non est aut paradoxum, quod Sacramentum hoc eamdem habeat causam efficientem, quam habet contractus civilis & naturalis. Ad VIII. O. A. N. C. Si verum est antecedens, id unum ex eo sequitur, quod fœmina mari, & mas fœminæ hoc Sacramentum ministrent. Ad IX. Resp. Quid magis concinnum, quid aliis Sacramentis conformius, quid ipsa Sacramenti ratione dignius sit, non ex recenti Theologorum quorumdam opinione, sed ex sapientissima sanctissimaque Christi omnium Sacramentorum authoris voluntate dignoscendum est. Atqui voluit Christus ministros Sacramenti Matrimonii esse ipsos contrahentes, ut in probatione ostendimus. Difficultates quod attinet, ajo, novum idcirco systema cudendum non esse, ut eis facilius occurratur; multoque infeliciores esse adversarios in iis expediendis, quas sententiæ nostræ patroni ipsis objiciunt, ut patet consideranti momenta probatio-

tionum nostrarum, quibus asſertionem hanc communivimus.

Argumenta contraria refutantur.

Matrimonii honeſtati non refragantur Scripturæ.

360. Objicitur I. contra I. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Apostolus I. ad Cor. Cap. VII. ait: *Revertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram. Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium: Volo enim omnes vos eſſe ſicut me ipsum.* Ergo indicat usum matrimonii eſse malum; quia quod ſecundum indulgentiam conceditur, bonum de ſe non est. II. Ad Rom. Cap. VIII. dicitur: *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Sed uxorati ſunt in carne. Ergo Deo placere non poſsunt, adeoque conjugium est de ſe malum. III. Apostolus I. ad Cor. Cap. VII. v. 29. ait: *Ut & qui habent uxores tamquam non habentes ſint.* Atqui innupti non exercent actum conjugalem. Ergo neque uxorati illum exercere debent. IV. Eodem Cap. v. 1. dicitur: *Bonum eſt homini mulierem non tangere.* Ergo tangere illam est malum. V. Et v. 32. ac 33. *Qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus eſt.* Ergo usus matrimonii dividit a Deo, adeoque illicitus est. VI. Nuptiæ impediunt, ne homo ad Cœnam mysticam Patrisfamilias admittatur. Lucæ Cap. XIV. *Uxorem duxi, & ideo non poſsum venire.* Resp. ad I. N. C. S. Augustinus explicat hunc locum Lib. I. de Nuptiis & Concupisc. Cap. XIV. *Ubi ergo venia danda eſt, aliquid eſse culpæ nulla ratione negabitur. Cum igitur culpabilis non ſit generandi intentione concubitus, qui proprie nuptiis imputandus eſt, quid ſecundum veniam concedit Apoſtolus, nisi quod conjuges, dum ſe non continent, debitum ab alterutro carnis exposcunt, non voluntate propaginis, ſed libidinis voluptate? Quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, ſed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam hinc ſunt laudabiles nuptiæ, quia & illud quod non pertinet*

net ad se, ignosci faciunt propter se. Vide dicta superius in Responsione ad Quæsitum II. Ad II. Resp. Deo placere illos non posse, qui in carne sunt, & secundum carnem vivunt: tales autem conjugati non sunt ratione status matrimonialis, sed si qui sunt, ob propriam malitiam. Apostolus certe ad Romanos scribens, quorum plurimi uxorem habebant, post citata verba illico subjungit: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.* Ad III. Resp. Apostolum verbis illis non prohibere usum matrimonii, sed tantum fideles monere, ne magnopere afficiantur erga rem uxoriam; utque unimum, mentem, viresque omnes divino servitio, & saluti suæ serio procurandæ impendant. Ad IV. N. C. Apostolus indicat quid melius sit, seu quid conjugatis magis expediat in Domino: velletque, si fieri posset, ne amplius cum uxoribus commercium habeant, quia hoc magis perfectum foret; at vero matrimonii usum nullibi reprobat. Ad V. D. C. Ergo usus matrimonii divisit a Deo quantum ad habitum charitatis, N. C. Quoad actum contemplationis & amoris, quod accidit etiam in actionibus quæ nullum peccatum continent, C. Consec. Multæ occupationes licitæ circa terrena negotia animum sæpe ita distrahunt, ut actu Deo conjungi non sit idoneus. Ad VI. D. A. Nuptiæ ita impediunt per se & ex natura sua, N. A. Ex malitia, & vitio conjugatorum, C. A. N. C.

361. Objicitur II. Authoritas Patrum. Tertullianus Llb. de Exhortatione Castitatis, Cap. IV. locum Apostoli I. ad Cor. Cap. VII. *Melius est nubere, quam uri*, sic explicat: *Sic accipiendum est, quomodo melius est uno oculo, quam duobus carere: si tamen a comparatione discedas, non erit melius unum oculum habere, quia nec bonum.* Ergo nubere per se est malum, licet minus malum sit, quam uri. II. S. Siricius Epist. ad Himerium Tarraconensem, Cap. V. matrimonium vocat pollutiones. III. S. Hieronymus Lib. I. contra Jovinianum, Cap. IV. ait, malum esse tangere mulieres. Resp. ad I. Tertullianus locum illum Apostoli male *Patres.*

male interpretatus est, in transversum actus errore Montanistarum, ad quos jam defecerat, antequam librum hunc scriberet. Quamquam nec absolute nuptias malas esse l. c. asseruit, quas potius in Libris suis contra Marcionem editis propugnavit per se optimas; sed alteras tantum nuptias malas esse, secundum Montani dogma, pertinaciter defendit, ut ex antecedentibus & consequentibus perspicuum est. Ad II. Resp. a S. Siricio non ita vocari matrimonia legitima, sed conjugia Monachorum, Sacerdotum, & illorum qui post actam publicam pœnitentiam nuptias attentabant, quod Canonicis legibus prohibebatur. Ad III. Resp. S. Hieronymus id solum contendit, conjugium non esse tale bonum, quod possit cum Virginitate comparari. Itaque tangere mulierem malum vocat, non culpæ, sed pœnæ; quia id non fit sine turpi concupiscentia, quæ est pœna peccati originalis, & excusatur per bona Matrimonii.

Aut ratio Theologica

362. Obj. III. Ratio. Nuptiale commercium non potest esse absque libidine. Ergo est peccatum. II. Est proxima peccandi occasio; quia vix fit, ut libido dominans non reperiatur in conjugatis. III. Ex conjugio, tamquam ex fonte, derivatur peccatum originale. Ergo natura sua malum est. IV. Ipsos conjuges pudet actus conjugalis. Ergo ipsa natura & sana ratio dictant esse malum. Resp. ad I. D. A. Non potest esse absque libidine dominante, seu illa, quæ sola propter se in nuptiis quæritur, N. A. Absque libidine serviente, sive illa quæ sequitur ex matrimonio, suscipiendæ prolis causa inito, C. A. N. C. Licet non possit in præsenti statu naturæ lapsæ sine serviente libidine esse commercium nuptiale, non debent tamen nuptiæ ipsæ damnari, quia bona voluntas animi sequentem habet, non ducentem sequitur corporis voluptatem. Ad II. N. A. Quod libido dominans sæpissime reperiatur in conjugatis, id non fit vitio nuptiarum, sed vitio conjugum. Ad III. N. A. Causa originalis peccati non est conjugium, sed voluntas Adami ut moraliter nostra. *Carnalis concupiscentiæ malum*, ait S. Augusti-

gustinus Lib. I. de Nuptiis & Concupisc. Cap. I. *propter quod homo qui per illam nascitur, trahit originale peccatum, discernamus a bonitate nuptiarum. Hæc enim quæ ab impudentibus impudenter laudatur, pudenda concupiscentia nulla esset, nisi homo ante peccasset; nuptiæ vero essent, etiamsi nemo peccasset.* Vide dicta Tomo IV. Num. 29. & 30. Ad IV. D. A. Ipsos conjuges pudet actus conjugalis secundum se præcise spectati, N. A. Propter inordinatos concupiscentiæ motus, qui actum conjugalem semper comitantur, quique de se non sunt peccata, sed pœna peccati, C. A. N. C. In statu naturæ integræ, quia abfuissent inordinati illi concupiscentiæ motus, conjuges non puduisset actum conjugalem exercere, utpote carentem tunc non modo culpa, sed etiam naturali defectu.

Nec Protestantium ratiunculæ evincunt, Matrimonium e Sacramentorum numero expungendum esse.

363. Obj. IV. contra II. Conclusionem, variæ ratiunculæ. Matrimonium Adami & Evæ fuit signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, nec tamen idcirco verum erat Sacramentum. Ergo a pari. II. Christiani conjuges multi licentiorem agunt vitam quam idololatræ. III. Unum Sacramentum non opponitur alteri. Atqui Matrimonium opponitur Ordini. Ergo Matrimonium non est Sacramentum. IV. Matrimonium significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem & charitatem, & tamen eam non efficit. Ergo non est verum Sacramentum, quia verum Sacramentum efficere debet quod significat. V. In Sacramentis omnibus tria reperiuntur, nempe id quod est Sacramentum tantum, id quod est res tantum, atque id quod est res simul & Sacramentum. Atqui hæc tria assignari non possunt in Matrimonio. Ergo. VI. Si Matrimonium foret Sacramentum, Virginitate præstaret, quæ quamvis in se sit maximopere laudanda, Sacramentis tamen non accensetur. Atqui hoc repugnat Apostolo I. ad Cor. Cap. VII. dicenti: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit.* VII. Pecunia pro Sacramento non datur. Atqui datur pecunia pro matrimonio. Ergo. VIII. Ecclesia nihil potest in substantiam Sacramentorum. Atqui Ecclesia

irritavit in Tridentino matrimonia clandestina. IX. Actus conjugalis est pars matrimonii. Ergo causaret gratiam. Atqui hoc dici nequit. Ergo. P. A. Matrimonium dari nequit sine congressu maritali: neque consummari dicitur, nisi per illum, quia sic perfectissime significatur conjunctio Christi cum Ecclesia. Ergo.

364. Resp. ad I. C. A. N. C. Matrimonium Adami & Evæ conjunctionem Christi cum Ecclesia significabat tantum ut futuram; nostra vero significant illam ut præsentem, ideoque majorem habent efficaciam. Ad II. Resp. Ex eo inferri etiam posset, neque Baptismum, neque Eucharistiam conferre gratiam, veraque esse Sacramenta, quia multi Christiani, licet ea Sacramenta susceperint, vitam agunt bestiæ quam homini propiorem. Quare C. A. N. C. Sacramenta non ponentibus obicem dant quidem gratiam sanctificantem, sed homines qui ea frequentant, non reddunt impeccabiles. Ad III. C. M. D. min. Matrimonium opponitur Ordini ut Sacramento, & ratione sui, N. min. Ordini opponitur ratione status, qui exigit removeri impedimenta functionum Sacerdotalium, subdist. Jure divino opponitur Ordini, N. Jure humano & Ecclesiastico pro Ecclesia Latina, C. min. & N. C. Ad IV. D. A. Significat illam practice, N. A. Speculative tantum, C. A. N. C. Matrimonium practice significat tantum gratiam, quam etiam efficit; speculative autem significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem & charitatem, quam neque efficit, neque ut efficiat requiritur. Exemplum habemus in Baptismo, qui non operatur sepulturam Christi, & ejus Resurrectionem, eoquod hæc speculative tantum repræsentet; sed operatur in initiato mysticam sepulturam, & spiritualem resurrectionem, quatenus sacro Fonti immersus quodammodo sepelitur, moritur peccato, & resurgit in vitæ novitate. Ad V. N. min. Matrimonialis contractus est Sacramentum tantum, quia significat, & non significatur: gratia sanctificans est res tantum, quia significatur, & non significat: vinculum vero matrimoniale est res & Sacramentum, quia significat conjunctio-

ctionem Christi cum Ecclesia, & significatur per contractum, quo efficitur. Ad VI. N. vel D. M. Matrimonium præstaret Virginitate, quantum ad rationem divini Mysterii, atque ad virtutem gratiæ conferendæ, C. M. Habita ratione status, in quo hominem collocat, N. M. Status Virginitatis longe excellentior est statu matrimoniali, atque in eo fideliter perseverantes plus gratiæ a Deo recipiunt, quam sit id quod Conjugibus datur in Sacramento Matrimonii. Ad VII. D. min. Pecunia datur pro matrimonio ut est Sacramentum, N. min. Ut est contractus civilis, atque ad sublevanda onera matrimonii, & sustentationem uxoris ac prolium, C. min. Ad VIII. Resp. Tridentinum non immutavit materiam matrimonii, quæ semper fuit atque etiamnum est contractus legitimus inter personas habiles: sed irritando matrimonia clandestina, personas reddidit inhabiles ad contrahendum clandestine, effecitque ut contractus qui antea legitimus erat, evaserit illegitimus. Ad IX. N. A. Actus conjugalis non est pars, sed actus sive officium matrimonii, adeoque non constituit, sed supponit matrimonium: gratia autem datur in eo instanti quo matrimonium perficitur, id est, quo contrahentes consensum suum legitimum exterius produnt, non autem tunc quando suscepti Sacramenti officium exercent. Quod si dicas, actum conjugalem posse esse partem Sacramenti Matrimonii, si in iis regionibus in quibus Tridentinum non fuit promulgatum, affectu maritali exerceretur post sponsalia; quia tunc actus ille rationem formæ haberet, sufficienter exprimentis consensum interiorem. Resp. non ipsum actum conjugalem ratione sui fore partem Sacramenti, sed quia vices agit formæ in illis circumstantiis: neque gratiam dandam, quia actus conjugalis exercetur, sed quia forma in eo instanti ponitur, sufficienter exprimens consensum interiorem. Immo vero in præsenti rerum ordine, cum Ecclesia omnibus prohibuerit matrimonia clandestina, qui illud sic contraheret etiam in regionibus, in quibus Decretum Tridentini Concilii matrimonia clandestina irritans pro-

mulgatum non fuit, quamvis valide ageret, graviſsime tamen peccaret, ideoque gratiam Sacramentalem non perciperet, eoquod peccato ſuo illi obicem ponat. Ad *prob.* N. A. Matrimonium verum ſtare potest cum perpetua continentia, ut patet ex conjugio B. Mariæ & S. Josephi, cujus occasione ſcribit S. Augustinus Lib. II. de Consensu Evangelistarum, Cap. I. *Hoc enim exemplo magnifice insinuatur fidelibus conjugatis, etiam ſervata pari consensu continentia, poſse permanere vocarique conjugium, non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu.* Et S. Ambrosius Lib. de Instit. Virg. Cap. VI. *Non enim defloratio virginitatis facit conjugium, ſed pactio conjugalis. Denique cum jungitur puella, conjugium eſt, non cum virili admixtione cognoscitur.* Matrimonium equidem consummari dicitur, per actum conjugalem, non quod ille ſit pars eſsentialis matrimonii; ſed quia per illum conjugium fidelium redditur omnino indiſsolubile, ſicque perfectius ſignificatur conjunctio Christi cum Ecclesia, quam Christus numquam derelicturus est. At vero Matrimonium ut gratiam ex opere operato conferat, non indiget expreſsa illa & plena ſignificatione conjunctionis Christi cum Ecclesia; hoc ipso enim perfectum est Sacramentum, adeoque vim habet conferendi gratiam ex opere operato, quod ſignum ſit ſpiritualis conjunctionis & dilectionis animorum, qua inter ſe conjuges uniri debent. Est autem tale ſignum independenter a carnali commercio, atque antequam actus conjugalis exerceatur.

CONTROVERSIA II.

DE UNITATE MATRIMONII, SEU DE POLYGAMIA SIMULTANEA ET SUCCESSIVA.

CONTRA MONTANISTAS, NOVATIANOS, LUTHERUM, CALVINUM.

Quid & quotuplex ſit polygamia?

365. *Polygamia* seu conjugium viri cum pluribus fœminis, duplex est, simultanea & succeſsiva. *Simultanea* est, quando vir cum duabus aut pluribus fœminis pactum init conjugale, ita ut eodem tempore

re plures habere uxores vere dicatur. Quod si fœmina idem pactum ineat cum pluribus viris simul, *polyviria* simultanea nuncupatur. Polygamia *succeſſiva* vocatur, quando vir mortua priori conjuge ad novas nuptias transit. Primum matrimonium græca phrasi *monogamia* dicitur, secundæ nuptiæ *bigamia*, tertiæ *trigamia*, quartæ & ulteriores *tetragamia*.

366. Polygamiam succeſsivam, id est, iteratas ac secundas a morte conjugis nuptias damnarunt tamquam illicitas Montanistæ, ut refert S. Aug. Lib. de Hæres. Cap. XXVI; & manifestum redditur ex Lib. de Monogamia, quem Tertullianus conscripsit, postquam deserta veritate Catholica Montani partes amplexus est. Idem fuit error Novatianorum, qui secundis nuptiis alligatos a sacris Mysteriis repellebant, teste Theodoreto Lib. III. Hæretic. Fabularum, Cap. V. Lutherus simultaneæ polygamiæ patrocinium suscepit; in propositionibus enim de Bigamia, quas edidit A. 1528. ita scribit propositione LXV. & LXVI: *Nota ſunt jura Moſaica de fratris defuncti uxore, & de filia corrupta invito patre, quæ cogunt plurium eſſe uxorum virum: quæ non magis ſunt abrogata, quam reliqua omnia, id eſt, libera, nec prohibita, nec præcepta.* Idem in explicatione Geneseos, quam A. 1525. edidit, in Comment. ad Cap. XVI. ex instituto disputat, an Christianis liceat exemplo Abrahæ plures simul uxores habere: ac tandem respondet, id neque eſse præceptum, neque prohibitum, sed liberum; & se quidem nolle hanc novam consuetudinem introducere, sed nec improbare posse, cum exempla Patrum adhuc sint libera. Hanc Lutheri sententiam sequuntur Anabaptistæ, ut ipse Kemnitius testatur in II. Parte Examinis Conc. Trident. At quamvis Lutherus scripserit, nolle se hanc novam consuetudinem introducere, consentientibus tamen Philippo Melanchtone, Martino Bucero, aliisque sectæ suæ Theologis, Philippo Haſsiæ Landgravio aſserenti non poſse se ab impudica vita abstinere, nisi secunda uxor sibi concedatur, ut illum Protestanti-

Errores Sectariorum.

testanticæ factioni arctius devinciret, benigne induxit per modum dispensationis, ut vivente adhuc legitima conjuge Christina, Georgii divitis Saxoniæ Ducis filia, matrimonium celebraret cum Margaretha de Saal A. 1540. Monebant tamen Principem mollissimi hi Theologi, qui paulo ante contra licitas & moderatas Romani Pontificis dispensationes tot clamores excitaverant, ut matrimonium hoc celebraret coram paucis testibus, sub sigillo Confessionis ad secretum custodiendum adstringendis, *Ne si palam id fiat*, inquiebant, *Evangelii hostes exclament, Evangelicos similes esse Anabaptistis, qui simul plures duxerunt uxores. Item Evangelicos eam sectari libertatem simul plures ducendi, quæ in Turcia in usu est. - - Nam ditio vestræ Celsitudinis, aliique nos impeterent: quod nobis eo minus ferendum esset, quod ex præcepto divino nobis incumbat, matrimonium, omniaque humana ad divinam institutionem dirigere, atque in eo quoad possibile conservare, omneque scandalum removere.* Vide Jac. Benignum Bossuetum Meldensem Episcopum, Lib. VI. Hist. Variationum. Calvinus polygamiam simultaneam non modo in Evangelica Lege, verum etiam in veteri Testamento numquam fuisse licitam contendit: ideoque veteres etiam Patriarchas peccasse plures simul uxores habendo; ipsis tamen utpote prædestinatis adulterii crimen imputatum non fuisse.

Secundas nuptias de se licitas esse, ostenditur auctoritate Scripturarum.

367. Conclusio I. Bigamia, sive secundæ nuptiæ ab Ecclesia tam Græca quam Latina habitæ semper fuerunt de se tamquam licitæ ac legitimæ, adeoque tamquam verum Sacramentum. Prob. Conclusio Imo. Auctoritate Scripturarum. Apostolus ad Rom. Cap. VII. ait: *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.* I. ad Cor. Cap. VII. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus,*

ejus, liberata est: cui vult nubat: tantum in Domino. 1. ad Timoth. Cap. V. ait de junioribus viduis: *Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.* Ergo quod Apostolus de fœminis, id etiam de viris intelligendum est, cum eadem pro utrisque ratio pugnet.

368. Prob. II. Auctoritate Patrum. Clemens Alexandrinus Lib. III. Stromatum ait: *Si cui Apostolus propter intemperantiam & ustionem ex venia secundum concedit matrimonium; hic quidem non peccat ex testamento, non est enim lege prohibitus: non implet autem summam illam perfectionem quæ agitur ex Evangelio.* S. Epiphanius Hær. XLVIII. *Quod si quis post uxoris obitum secundas nuptias pro sua imbecillitate desiderat, minime id quidem veritatis regula prohibet.* Et Hær. LIX. *Ut prima uxor a Deo constituta est, ita imbecillitati hominum posterior indulta. Quod si alteram præterea sibi copulet, hujus hac in parte toleratur infirmitas. Scriptum est enim: Mulier alligata est nuptiis &c. Quo quidem declarat, post viri obitum ab omni illam peccato liberam esse, adeo ut contradicere nemo possit. Quod hoc addito significavit, In Domino, quasi minime a Domino sit aliena, quæ post viri obitum alteri se viro conjunxerit: ut nec illum vicissim, qui uxore mortua sese ad secundam applicarit.* S. Basilius in Epist. ad Amphilochium, Can. XLI. *Quæ in viduitate potestatem sui habet, ita ut viro cohabitet, ab omni accusatione libera est, si nemo est qui conjugium divellat, cum Apostolus dicat, Si mortuus fuerit vir ejus, libera est, ut nubat cui vult, tantum in Domino.* S. Ambrosius Lib. de Viduis: *Non prohibemus secundas nuptias: sed nec probamus sæpe repetitas. Neque enim quidquid licet, & decet: Omnia mihi licent, dicit Apostolus, sed non omnia sunt utilia.* S. Hieronymus Epist. XCI. alias XI. ad Ageruchiam: *Quid igitur? Damnamus secunda matrimonia? Minime, sed prima laudamus. Abjicimus de Ecclesia digamos? Absit: sed monogamos ad continentiam provocamus.* S. Chrysostomus

Patrum.

mus Hom. XIX. in Epist. ad Ephes. *Pacem sectamini & sanctificationem, sine qua nemo videbit Deum. Ut ergo digni censeamur eum videre, sive sumus in Virginitate, sive in primis, sive in secundis nuptiis, hanc sectemur.* S. Augustinus Lib. de Bono Viduitatis, Cap. XI. *Ne arbitreris vel secundas nuptias crimen esse, vel quascunque nuptias, cum sint nuptiæ, malum esse. Non itaque illas abs te damnatas velis esse, sed spretas.* Theodoretus Lib. V. Hæretic. Fabularum Cap. XXVI. *Notandum est autem, quod non beatam sed beatiorem eam dicat, quæ se continet: ita docens, quod non omnino sit beatitudine destituta, quæ secundum etiam matrimonium amplectitur.*

Concilii Nicæni I.

369. Prob. III. Auctoritate Concilii Nicæni I. quod ex versione Dionysii Exigui Can. VIII. ita statuit: *De his qui se nominant Catharos, id est mundos* (Novatiani intelliguntur) *si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit sancto & magno Concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in clero permaneant. Hæc autem præ omnibus eos scriptis convenit profiteri; quod Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ dogmata suscipiant & sequantur; id est, & bigamis se communicare, & his qui in persecutione prolapsi sunt.*

Ac ratione.

370. Prob. IV. Ratione. Per mortem prioris conjugis vinculum matrimonii est solutum. Ergo nihil impedit quo minus licitum & validum sit novum matrimonium. Ergo secundæ nuptiæ legitime a fidelibus celebratæ verum sunt Sacramentum; quia in illis omnia inveniuntur, quæ ad essentiam Sacramenti Matrimonii pertinent, quod nullum characterem imprimit, adeoque iterari potest.

Tertiæ ac ulteriores nuptiæ de se licitæ sunt, verumque Sacramentum.

371. Conclusio II. Trigamia & Tetragamia, id est, tertiæ & ulteriores nuptiæ, si nullum adsit impedimentum canonicum, licitæ sunt ac legitimæ, adeoque verum sunt Sacramentum. Prob. Conclusio Imo ex iis Apostoli locis, quæ priori Conclusione exhibuimus, ubi B. Paulus indefinite loquitur, jus nubendi non restringens ad secundas tantum vel tertias

tias nuptias. Prob. II. Auctoritate Patrum. S. Hier. Epist. L. quæ est Apologia ad Pammachium pro libris suis adversus Jovinianum, ait: *Aperiant quæso aures obtrectatores mei, & videant me secundas & tertias nuptias concessisse in Domino. -- Non damnavi in Ecclesia digamiam, immo nec trigamiam: & ita licere quinto & sexto, & ultra, quomodo & secundo marito nubere. Sed quomodo non damnantur istæ nuptiæ, ita nec prædicantur. Solatia miseriæ sunt, non laudes continentiæ. Unde & in alio loco dixi: Ubi unus maritus exceditur, nihil refert secundus an tertius sit, quia desinit esse monogamus. Omnia licent, sed non omnia expediunt. Non damno digamos, immo nec trigamos, & si dici potest octogamos. Habeat, cui libet, octavum maritum, & definat esse prostituta.* S. Aug. Lib. de Bono Viduitatis, Cap. XII. *De tertiis, & quartis, & de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem. Unde ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre.*

372. Prob. III. Auctoritate Pontificum. Innocentius IV. in Epist. ad Ottonem Card. Tusculanum, Sedis Apostolicæ in Regno Cypri Legatum, prohibet, ne Græci in Cypro habitantes, qui Latinis Episcopis parebant, ideoque Romano Patriarchatui subdebantur, tertias ac ulteriores nuptias reprehendant. *Quia vero secundum Apostolum mulier mortuo viro ab ipsius lege soluta, ut nubendi cui vult in Domino habeat liberam facultatem; secundas & tertias, ac ulteriores etiam nuptias Græci non reprehendant aliqnatenus, nec condemnent, sed potius illas approbent inter personas, quæ alias licite ad invicem matrimonio jungi possunt.* Eugenius IV. in Decreto pro Jacobitis, apud Harduinum Tomo IX. Colum. 1028, quod sacro approbante Florentino Concilio editum est, ait: *Quoniam non nullos asseritur quartas nuptias tamquam condemnatas respuere, ne peccatum, ubi non est, esse putetur, cum secundum Apostolum mortuo viro mulier sit ab ejus lege soluta, & nubendi cui vult in Domino habeat potestatem, nec distin-*

guat mortuo primo, vel ſecundo, vel tertio, declaramus non ſolum ſecundas, ſed tertias & quartas, atque ulteriores, ſi aliquod impedimentum non obſtat, licite contrahi poſſe. Commendatiores tamen dicimus, ſi ulterius a conjugiis abſtinentes, in caſtitate permanſerint: Quia ſicut viduitati virginitatem; ita nuptiis caſtam viduitatem laude ac merito præferendam eſſe cenſemus.

In Eccleſia Græca tamen trigamia plerumque, tetragamia ſemper illicita & invalida eſt jure Eccleſiaſtico.

373. Conclusio III. In Ecclesia Græca trigamia plerumque, tetragamia semper illicita & invalida eſt, non jure divino sed Ecclesiastico, idque jam a sæculo X. Dixi I. *In Eccleſia Græca*, id est, in iis regionibus, quæ Patriarchatui Constantinopolitano subjectæ sunt. II. Trigamiam *plerumque* eſse illicitam & invalidam, quia in duobus tantum casibus permittitur, ut ex dicendis patebit. Prob. Conclusio. S. Nicolaus Mysticus, Patriarcha Constantinopolitanus, Sede sua pulsus, quod Leonem sapientem, Basilii Macedonis filium, ab Ecclesia segregaſset ob celebratas quartas cum Zoe nuptias, atque Jmperatore demortuo Sedi suæ denique restitutus, A. 920. imperantibus Constantinopoli Constantino VIII. & Romano Lacapeno, Synodum habuit Episcoporum sui Patriarchatus, in qua approbantibus etiam Jmperatoribus, Decretnm contra quartas & tertias nuptias promulgatum est, ut legitur Lib. II. Juris Orientalis: *Deçernimus ſententia judicioque communi, ne ab hoc anno præſenti* (920.) *quartas nuptias ullus contrahat, ſed & omnino eae rejiciuntur. Quod ſi quis ad ejuſmodi conjugium progredi decreverit, ab omni conventu Eccleſiaſtico excluſus eſto, & ab ipſo in ſacroſanctam Ædem ingreſſu tantiſper alienus, donec in hoc conjugio permanſerit. - - Cæterum ut & illa, quæ ad alia matrimonia pertinent, honeſtius conſtituantur, & conciliationem vita Chriſtianorum non indignam habeant, de tertio quoque matrimonio definimus, ne ſimpliciter atque temere perficiatur.* Tum denique regula in illo observanda statuitur. *Ut ſi quis ſit triginta annorum, & careat prole, mereatur veniam, & facile ipſi condonetur matrimonium, conſueta ni-*

mirum

mirum impoſita pœna; ſin habeat prolem, permittatur etiam, ſed graviore pœna mulctetur. Si autem ad annum quadrageſimum provectus careat liberis a prioribus uxoribus relictis, tertiam ducere poſſit, diuturniore & auſteriore impoſita ſibi pœnitentia. Sin extent liberi, tertium ei conjugium nulla ratione permittatur. Communi etiam Decreto delicti remiſsionem Leoni Jmperatori post mortem conceſsit Synodus, Constantinum Leonis ex quarta conjuge filium ut legitimum hæredem agnoscens; immo anathema etiam dixit iis, qui accusant sanctam Ecclesiam, *quia quartas nuptias* (Leonis) *admiſit, ob diſpenſationem Dei benignitate factam, ac propter aſſumptionem unionemque fratrum.* Ipsi enim Episcopi Orientales ante Synodum illam duas in partes erant divisi, aliis pro Nicolao Mystico, aliis pro Euthymio quem Leo Jmp. Nicolao subrogaverat, dimicantibus. Ex quo satis apparet Græcos Episcopos existimasse, tetragamiam non jure divino, sed Ecclesiastico tantum esse invalidam, alias ridicula & inanis fuisset dispensatio. His ita compositis Nicolaus Patriarcha Epistolam misit ad Joannem X. Rom. Pontificem, qua communionem illius expetebat. Pollicebatur vero se Pontificis nomen repositurum in Diptychis, ea modo conditione contentus sit, ut declaret Pontifex, quartum connubium a prædecessoribus suis permissum fuisse Jmperatori Leoni, ne repulsa offensus Princeps deteriora moliretur. Accepisse oblatas conditiones Sedem Apostolicam, & perfectam cum Nicolao concordiam iniviſse constat ex litteris Nicolai Patriarchæ ad Simeonem Bulgariæ Regem, quas refert Cæsar Card. Baronius in Annal. Ecclesiast. ad A. 917. *Hæc tibi de Legatorum* (Pontificis Joannis X.) *adventu. Qui & ſcandala ex quarto connubio orta ſedarunt, & pacem Clero reddiderunt. Communiter enim & ſimul a Deo inſpirata conſenſione intemeratis Myſteriis operati ſumus. Denique ut uno verbo dicam, ita Romana & Conſtantinopolitana Eccleſia unius facta eſt conſpirationis & conſenſionis, ut nihil amplius impediat,*

quo minus participes ſimus eorum ſanctificationis & conſenſionis. Vide Petrum Arcudium Corcyræum Lib. VII. de Concordia, Cap. XXIX. Edmundum Simmonet Tract. XVIII. de Matrimonio, Disputat. IV. Artic. II.

Quæ diſciplina ſæculo X. non eſt antiquior.

374. Equidem jam sæculo IV. Patres Græci trigamiam, multoque acrius tetragamiam improbabant. S. Gregorius Nazianzenus Orat. XXXVII. de Matrimonio scribit: *Primum lex eſt; ſecundum venia & indulgentia; tertium iniquitas: qui autem hunc numerum excedit, porcinus plane eſt, utpote ne multa quidem vitii exempla habens.* S. Basilius Epist. I. ad Amphilochium, Can. IV. ait: *Trigamorum & polygamorum eumdem canonem definimus, quem in digamis pro proportione. Annum enim in digamis, alii vero duos annos, trigamos autem ſæpe tribus & quatuor annis ſegregant. Id autem non amplius conjugium, ſed polygamiam appellant, vel potius caſtigatam fornicationem.* Et Can. LXXX. *Polygamiam* (quo nomine S. Basilius non trigamiam, de qua jam Can. IV. egerat: sed tetragamiam intelligit) *Patres ſilentio prætermiſere, ut belluinam, & omnino ab hominum genere alienam. Nobis autem probatur eam majus eſſe fornicatione peccatum. Et ideo conſentaneum eſt, ut ii canonibus ſubjiciantur, ut ſcilicet poſtquam anno fleverint, & tribus ſubſtrati fuerint, ita demum ſuſcipiantur.* Ex quibus Arcudius loco cit. infert, Basilium & Gregorium Nazianzenum jam sæculo IV. non quidem in universo Oriente, sed in suis tantum Ecclesiis saltem tetragamiam irritaſse; id quod Episcopis eo tempore facere justis de causis licebat, quo Pontifex Romanus potestatem impedimenta Matrimouii statuendi nondum sibi reservaverat. Verum hanc Petri Arcudii illationem legitimam eſse non puto. Basilius equidem & Gregorius Nazianzenus trigamiam, ac præcipue tetragamiam non secundum se, quasi verum conjugium non eſset, improbarunt, sed relate ad affectum eorum, qui non contenti primis atque etiam secundis nuptiis, non ex intentione prolem

lem suscipiendi, & susceptam Christiane educandi, sed explendæ libidinis causa tertium aut quartum matrimonium inire præsumebantur. Quare tertias & quartas nuptias non ratione sui, sed ratione libidinis, ad quam valde proclives se ostendebant qui tot conjugia inibant, illicitas esse putaverunt, at numquam invalidas pronuntiarunt; alias illos etiam post aliquot annorum pœnitentiam ad participationem Sacramentorum non admisisset, nisi dissoluto prius matrimonio: ea scilicet ratione, qua publici adulteri & fornicarii ab Ecclesia excludebantur, & qua Græci Episcopi A. 920. tetragamos excludi præceperunt. Atqui S. Basilius Can. IV. & LXXX. trigamos & tetragamos post expletam pœnitentiam admitti jubet ad Communionem, neque verbo aliquo insinuat ejusmodi conjugia prius dissolvenda esse. Ergo illa pro validis habuit: adeoque ea disciplina, quæ Græcos inhabiles reddit ad contrahendum quartum, atque etiam in certis casibus tertium conjugium, antiquior non est sæculo X.

375. Conclusio IV. Polygamia simultanea in Lege Evangelica est illicita & invalida. Prob. Conclusio hæc dogmatica Imo Auctoritate Scripturarum. Matth. Cap. XIX. Christus matrimonium ad primævam suam institutionem revocans ait: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. - - Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Et Marci Cap. X. *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Ergo Christus in Lege Evangelica observari jussit primævam institutionem matrimonii, ut duo tantum, non tres aut plures sint in carne una. Ergo si a Christo adulter dicitur, qui dimissa uxore alteri conjungitur, a fortiori adulter dicendus est, qui retenta priori conjuge alteram sibi jungit. II. Auctoritate Tridentini

Polygamia simultanea in Lege Evangelica est illicita & invalida.

Sess.

Seſs. XXIV. Can. II. *Siquis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum; anathema ſit.* III. Auctoritate Patrum. S. Hier. Comment. in Cap. XIX. Matth. scribit: *Ubicunque eſt igitur fornicatio, & fornicationis ſuſpicio, licere uxor dimittitur. Et quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob ſecundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret, ſic priorem dimittere jubetur uxorem, ut ſecundam prima vivente non habeat.* S. August. Lib. II. de Conjugiis adulterinis, Cap. IX. *Mulier alligata eſt, quamdiu ejus vir vivit. Ergo conſequenter & vir alligatus eſt, quamdiu mulier ejus vivit. Hæc alligatio facit, ut aliis conjungi ſine adulterina copulatione non poſſint.* Et Lib. de Bono conjugali, Cap. VII. *Poſſet enim homo dimittere ſterilem uxorem, & ducere de qua filios habeat, & tamen non licet; & noſtris quidem jam temporibus ac more Romano, nec ſuperducere, ut amplius habeat quam unam vivam.* IV. Auctoritate Pontificum. S. Nicolaus I. in Responsis ad Consulta Bulgarorum, Cap. LI. ait: *Duas tempore uno habere uxores nec ipſa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Chriſtianorum ulla permittit. Nam Deus, qui fecit hominem, ab initio unum maſculum fecit, & unam fœminam tantum: cui potuit utique ſi vellet duas uxores tribuere, ſed noluit.* Innocentius III. Extra, de Divortiis, Cap. *Gaudemus. Si ergo uxore dimiſſa, duci alia de jure non poteſt, fortius & ipſa retenta: per quod evidenter apparet, pluralitatem in utroque ſexu, cum non ad imparia judicentur, circa matrimonium reprobandam.* V. Ex universali sensu fidelium & praxi Ecclesiæ: nulli enim fidelium ante Lutherum in mentem venit, licitum eſse plures habere uxores simul, aut Ecclesia id aliquando indulsit. Quin potentiſsimi etiam Principes, quamvis libidine excæcati, atque in transversum acti, ut v. g. Lotharius Rex Lotharingiæ sæculo IX. & Henricus VIII. Rex Angliæ sæculo XVI. ad secundas nuptias vivente priore conjuge non ante convolarunt, quam emendicatis undecunque demum

mum ratiunculis ostendere sint conati, matrimonium se cum prima conjuge adhuc vivente contra Dei, aut saltem Ecclesiæ leges invalide contraxisse.

In Lege veteri autem post diluvium fuit a Deo permissa.

376. Conclusio V. Post diluvium tamen, atque ante Legem Evangelicam, ex dispensatione divina licitum erat viris plures simul uxores habere. Dixi I. *Post diluvium*; ante illud enim tempus nullus virorum justorum quorum meminit Scriptura, plures simul habuisse uxores legitur. Lamechum de semine Cain, qui Gen. Cap. IV. duas simul habuisse uxores dicitur, adulterii accusant Tertullianus Lib. de Exhortat. castitatis, Cap. V. S. Hieronymus Lib. I. contra Jovinianum, item Epist. XI. ad Ageruchiam, & IX. ad Salvinam. S. Nicolaus I. Epist. ad Lotharium Regem &c. Et sane ad generis humani multiplicationem necessaria non videtur tunc fuisse uxorum pluralitas, quia eo tempore homines diutissime vivebant. Dixi II. *Ex dispensatione divina*, non quod Deus in lege naturali dispensaverit, sed in lege divina positiva. Adamus enim a Spiritu Sancto inspiratus, (Christus Matth. Cap. XIX. illa verba ipsi Deo tribuit) ait Gen. Cap. II. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una.* Ergo Deus instituendo matrimonium legem tulit, ut duo tantum, masculus & fœmina essent in carne una. Itaque cum homo dominium sui corporis habeat Deo subordinatum, qui instituendo matrimonium facultatem ei dedit corpus suum uni tantum mulieri tradendi, non autem pluribus simul; homo seclusa dispensatione divina, & stante prima matrimonii institutione, nec valide, nec licite potuit dominium sui corporis pluribus simul fœminis tradere. Ergo cum polygamia post diluvium, atque ante Legem Evangelicam fuerit licita, Deus in hac lege positiva dispensavit, ut multiplicato genere humano cultus Dei propagaretur. Cæterum hæc dispensatio vel externa locutione Noëmo

intimata

intimata est a Deo, licet Scriptura hujus rei non meminerit; vel per internam inspirationem Noëmo ejusque filiis manifestata est, ac per eos ad posteros transmissa ac communicata.

Idque ostenditur auctoritate Scripturarum.

377. Prob. Conclusio I. Auctoritate Scripturarum. Deuteronomii Cap. XXI. Lex de polygamia loquitur tamquam de re licita, & communi more recepta. *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos dividere: non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ.* Deuteronomii Cap. XXV. *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui: & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israël.* Ergo cum Lex Mosaica nihil illicitum præceperit, certum est polygamiam fuisse tunc licitam. Neque dicas, in Lege Mosaica pro eo tantum casu id præcipi, quo frater superstes uxorem nondum duxerat. Apud Judæos enim matrimonia mature inibant qui ad annos pubertatis pervenerant, nullumque in Mosaicis libris vestigium exstat hujus exceptionis, quæ in Judaico populo frequentissime locum habuisset. II. Regum Cap. XII. Deus ingrato Davidi exprobrat beneficia a se collata, atque inter ea illud recenset: *Dedi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in sinu tuo.* Atqui Deus adulteria non intendit, nec inter beneficia recenset.

Exemplo Patriarcharum.

378. Prob. II. Sanctissimorum virorum & Patriarcharum exemplo, quorum Scriptura meminit nempe Abrahami, Jacobi, Davidis &c. qui plures eodem tempore uxores habuerunt. Atqui hos veteris Testamenti Heroës, quorum virtutem ac pietatem prolixe commendant sacræ Litteræ, Abrahamum patrem credentium, a Prophetis, ab Apostolis, immo ab ipso Christo semper cum honore nominatum: Davidem

dem virum secundum cor Dei, de quo III. Regum Cap. XV. dicitur: *Eoquod feciſſet David rectum in oculis Domini, & non declinaßet ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Uriæ Hethæi*, adulterii idcirco insimulare, aſsereque quod vitam omnem propemodum in his sordibus transegerint, non nisi insolentiſsimæ insaniæ est, projectæ audaciæ, infruniti atque irreverentis animi.

379. Prob. III. Auctoritate Patrum. S. Hieron. Epist. LXXXIII. ad Oceanum scribit: *Sciebat* (Apoſtolus) *Lege* (Mosaica) *conceßum, & exemplo Patriarcharum ac Moyſis familiare populo noverat, in multis uxoribus liberos ſpargere: ipſis Sacerdotibus hujus licentiæ patebat arbitrium.* S. Chrysost. Hom. LVI. in Cap. XXX. Genesis: *Tunc enim, quia principia erant, permiſſum fuit cum duabus vel tribus, vel pluribus uxoribus miſceri, ut humanum genus propagaretur.* S. August. Lib. III. de Doctrina Christiana, Cap. XII. *Sufficiendæ prolis cauſa erat uxorum plurium ſimul uni viro habendarum inculpabilis conſuetudo.* Et Lib. XXII. contra Faustum, Cap. XLVII. *Quid tandem criminis eſt, quod de pluribus ſimul habitis uxoribus objicitur ſancto viro Jacob? Si naturam conſulas, non laſciviendi, ſed gignendi cauſa illis mulieribus utebatur: ſi morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur: ſi præceptum, nulla lege prohibebatur.* Theodoretus Quæst. LXXX. in Genesin: *Ad hæc etiam illud advertendum eſt, tunc temporis nondum datam eße ullam legem, quæ multiplices nuptias prohiberet.* Accedit his Innocentius III. Extra, de Divortiis, Cap. *Gaudemus. Nec ulli umquam licuit ſimul plures uxores habere, niſi cui fuit divina revelatione conceßum, - - - per quam ſicut Jacob a mendacio, Iſraëlitæ a furto, Samſon ab homicidio, ſic & Patriarchæ & alii viri juſti, qui plures leguntur habuiße ſimul uxores, ab adulterio excuſantur.* *Et Patrum auctoritate.*

380. Ex his patet, non modo Calvinum, & Joannem Henricum Heideggerum Tigurinum rejiciendos eſse, qui veteres Patriarchas, & Judaicæ Ecclesiæ lumi- *Adeo ut ne materialis quidem ad ulterii ac-*

cuſari poſſint veteres Patriarchæ.

na formalis adulterii reos fuiſse impie ſentiunt, quamvis dicant adulterii peccatum ipsis utpote prædestinatis non fuiſse imputatum; verum etiam a veritate longiſsime aberraturum, atque acriori censura perstringendum eſse illum, qui contra unanimem Catholicorum ſententiam aſserere auderet, veteres illos Patriarchas non formalis quidem, ſed materialis tamen adulterii reos fuiſse, ſolaque invincibili ignorantia excusari poſse. Nam I. Deuteronomii Cap. XXV. Lex præcipit, ut frater ſuperſtes defuncti fratris viduam ducat, ſiquidem illa liberos ex marito non genuiſset. Atqui Lex Mosaica nullum adulterium, etiam materiale tantummodo, præcipere potuit. II. Dici non potest, ignorantiam invincibilem in re graviſsimi ſane momenti, & maxime frequentata viguiſse per plurima ſæcula: neque ullum inventum fuiſse ex Patriarchis & Prophetis, qui glaucoma hoc ab oculis Synagogæ removeret, ac fideles hac in re instrueret. III. Sine horrore ac pia indignatione ea opinio excipi non potest, quæ aſserit, Sanctos veteris Testamenti vitam omnem inter continua adulteria, quantumvis tantum materialia, transegiſse. IV. Ecclesia Judaica, quia a Deo fundata, neceſsario debuit eſse ſancta ſanctitate doctrinæ, quia in ea colebatur Deus eo modo quo volebat. Atqui ſancta non fuiſset ſanctitate doctrinæ; ſiquidem ob invincibilem ignorantiam in re maxime frequenti docuiſset, polygamiam eſse licitam, quam tamen juxta hujus opinionis patronos Deus re vera prohibuerat.

Polygamia ſimultanea ante adventum Chriſti permiſsa fuit etiam Gentilibus.

381. Quæres I. An polygamia ante adventum Christi licita fuerit etiam Gentilibus, ipsisque postea a Christo prohibita? Resp. ad utrumque affirmative. Prob. I^ma pars aſsertionis. Ac I^mo quidem exemplo Estheris, quæ paſsa non fuiſset jungi ſe in matrimonium Aſsuero Regi, uxorem Vasthi quamvis repudiatam habenti: neque piiſsimus Mardochæus hoc conjugium ſuasiſset & approbaſset, ſiquidem illicitum fuiſset. II. Ex ſilentio Scripturæ, quæ nullibi Gentiles ex eo capite reprehendit. III. Authoritate S. Augu-

stini,

stini, qui Lib. III. de Doctrina Christ. Cap. XII. ait: *Sufficiendæ prolis causa erat uxorum pluralitas uni viro habendarum inculpabilis consuetudo.* Hæc autem ratio propagandi humanum genus tam valet pro Gentilibus quam pro Judæis. Idem Lib. XXII. contra Faustum, Cap. XLVII. scribit, Jacobum in Mesopotamia, quam Gentiles incolebant, absque crimine duas uxores accepisse, quia tunc temporis in illis regionibus mos invaluerat, ut unus vir plures simul uxores haberet: aitque, id nulla lege fuisse prohibitum; quia nimirum Deus pro suo jure, ad humani generis propagationem, in lege matrimonii a se lata in statu innocentiæ, qua præscribebatur uxoris singularitas, post diluvium cum omnibus indiscriminatim Noëmi posteris dispensavit, dando eis facultatem dividendi dominium corporis sui in plures uxores.

Ipsis postea a Christo prohibita.

382. Prob. etiam altera pars assertionis. Lege matrimonii in statu innocentiæ lata, qua vir prohibebatur sui corporis dominium transferre in plures simul uxores, obligabantur omnes Adæ posteri, tam fideles quam Gentiles; cum illis perfectius dominium in corpus suum non competat quam fidelibus, sed omnes æqualiter Dei potestati ac supremo illius dominio subjaceant. Ergo cum Christus factam post diluvium legis relaxationem abrogaverit, & matrimonium ad primævam suam institutionem revocaverit, hoc ipso Gentiles æque ac fideles hac lege iterum obligabantur.

Polygamia simultanea ratione sui, ac præscindendo a lege divina positiva, non est intrinsece mala.

383. Quæres II. An conjugium viri cum pluribus simul fœminis initum, sit non tantum jure divino positivo, ut antea diximus, sed etiam jure divino naturali illicitum atque invalidum? Resp. probabilius negative. Ut assertio rite intelligatur, notandum est, quæstionem hic non esse, an polygamia quatenus est accessus ad non suam, vel saltem traditio juris quod tradens non habet, jure divino naturali sit licita. Certum est enim id jure naturæ semper fuisse & fore prohibitum: neque Deum veteribus Patriarchis & Judæis in hoc umquam dispensasse. Nam eo ipso quod dederit illis jus in plura corpora, & pluribus fœminis

in corpus unius viri, dispensavit quidem in lege positiva quam tulerat matrimonium in Paradiso instituendo, at non dispensavit in lege naturali, immo effecit, ut actus conjugalis unius viri cum pluribus uxoribus exercitus, fuerit acceſsus ad ſuas, & traditio juris quod tradens habebat. Ex quo patet, in Lege Evangelica matrimonium unius viri initum cum pluribus fœminis, ſimul jure naturali illicitum atque irritum fore, quia eſset acceſsus ad non ſuas, & traditio juris quod tradens non habet; Christus enim in nova Lege potestatem hanc Judæis factam ſustulit, & matrimonium ad primævam inſtitutionem revocavit. Igitur præsens quæſtio in eo versatur, an tanta ſit polygamiæ ſimultaneæ malitia ſundamentalis atque inconvenientia, ut Deus tamquam providus humanæ Reipublicæ Gubernator, ſalvis ſuis perfectionibus divinis, non poſsit homini potestatem facere corpus ſuum pluribus fœminis ſimul tradendi. Sive, an polygamia ſimultanea ſit de ſe ac ratione ſui, præscindendo a lege divina positiva, tam intrinsecus mala, ut repugnet ſinibus matrimonii, atque exigat a Deo pro ſemper prohiberi.

Adeoque non eſt jure naturali illicita, atque invalida.

384. Prob. itaque aſsertio ſic explicata I^mo. Jure naturali ea tantum prohibentur, quæ de ſe ſunt intrinsecus mala. Atqui talis non est polygamia ſimultanea. Ergo jure naturali non prohibetur. P. min. Si polygamia ſimultanea foret de ſe intrinsecus mala, Deus illam in veteri Lege non permisiſset tamquam licitam: impoſsibile est enim ut Deus tamquam licitum permittat in ullo casu quod infinita Dei ſapientia, bonitas, providentia, neceſsario exigunt prohiberi in ordine ad rectam creaturæ rationalis constitutionem. Atqui certum est, quod Deus illam in veteri Lege tamquam licitam permiserit, ut ostendimus Conclusione V. Ergo. II. Polygamia ſimultanea non repugnat de ſe ſini primario matrimonii, qui est ſusceptio & educatio prolis, quia unus vir ſufficit procreandis ex pluribus uxoribus liberis, iisque rite educandis: neque per ſe impedit, aut incompaſsibilis est cum fine ſecundario matrimonii, qui est ſocialis & pacifica conjugum vita,

atque

atque mutua obsequia; si enim per se impediret, aut incompatsibilis esset cum fine secundario matrimonii, foret intrinsecus mala, adeoque numquam eam Deus permisisset in veteri Lege tamquam licitam. Haud equidem nego a pluribus fœminis pacem familiæ sæpissime turbandam vitio ac protervia mulierum, sicque per accidens secundarium matrimonii finem sæpissime impediendum fore. Verum ex eo tantum sequitur, naturam magis inclinare, probare, ac consulere unam magis uxorem eodem tempore quam plures: aut etiam si velis, prohibitionem pluralitatis uxorum inchoari quidem in jure naturali, at non compleri nisi per præceptum positivum divinum, quo Deus matrimonium iustituendo statuit ut esset unius tantum cum una. Adde, quod Jus naturæ ad ea non attendat, quæ vitio hominum mala sunt, sed quæ intrinsecam habent ac fundamentalem malitiam; alias sequeretur, matrimonium cum unica litigiosa ac rixosa fœmina contractum, jure naturæ illicitum atque invalidum esse, quia hæc finem secundarium matrimonii, id est, pacem domesticam & mutua obsequia impediret. Vide Edmundum Simonnet Tract. XVIII. de Matrim. Disput. IV. Artic. III. Josephum Biner in Apparatu Eruditionis, Parte II. Cap. I. Quæst. V. Num. XXVII. Ignatium Schwarz in Institut. Juris naturæ ac Gentium, Parte II. Tit. I. de Statu hominis adventitio.

385. Dices I. Communissima est sententia, polygamiam simultaneam jure naturali prohiberi. II. Polyviria simultanea est contra legem naturalem. Ergo etiam polygamia simultanea. III. Natura contractus matrimonialis exigit, ut vir & mulier sibi mutuo tradant totum dominium corporum in ordine ad actum conjugalem. Ergo contractus matrimonialis jure naturali validus esse nequit, nisi inter unum & unam. P. A. Corpus viri jure naturali eodem modo debet esse in potestate uxoris, quo corpus uxoris est in potestate viri, ut ait Apostolus I. ad Cor. Cap. VII. Ergo sicut vir totum habere debet dominium corporis uxoris: ita uxor totum habere debet dominium in cor-

pus

pus viri. IV. Obligatio reddendi debitum petenti est eſsentialis matrimonio. Atqui vir non potest reddere debitum pluribus uxoribus ſimul petentibus. Ergo. Resp. ad I. Authores illos vel alium ſibi quæstionis ſtatum præfigere, vel minus congrue loqui de jure naturali proprie ac ſtricte dicto; idemque illos re vera nobiscum docere, quamvis verba contrarium videantur ostendere. Ad II. C. A. N. C. Polyviria ſimultanea repugnat fini primario matrimonii, quia mulieris cum pluribus viris congreſsus, ſaltem ut plurimum, impediret generationem: & si quando non impediret, incertum redderet patrem prolis, quod filiorum educationi manifeste adversatur. Unde pluralitas virorum respectu unius fœminæ est per ſe atque intrinsecus mala, adeoque pro omni casu est jure naturali prohibita. At vero pluralitas uxorum fini primario matrimonii non repugnat, nec nisi per accidens fini ſecundario opponitur, ideoque per ſe non est intrinsecus mala. Ad III. D. A. Natura contractus matrimonialis qualis a Deo institutus est, hoc exigit, C. A. Natura contractus matrimonialis præcisa institutione divina, & attento ſolo jure naturali, N. A. Contractus matrimonialis attento ſolo jure naturali consideratus non aliter exigit traditionem dominii in corpora viri & mulieris, quam exigit finis primarius matrimonii. Atqui hic requirit quidem ex parte mulieris ut viro tradat totum dominium corporis ſui; at ex parte viri requirit tantum ut partem dominii in corpus ſuum tradat mulieri. Ad *prob.* N. A. Apoſtolus I. ad Cor. Cap. VII. loquitur de matrimonio non ſecundum id præcise quod exigit jus naturale, & quod ad eſsentiam ejus neceſsario requiritur; ſed ſecundum id quod exigit prima ejus institutio, ad quam a Christo in Lege Evangelica revocatum est. Ad IV. Resp. attenta præcise eſsentia matrimonii, vir non dat per matrimonium potestatem ſui corporis uxori quantum ad omnia, ſed ſolum quantum ad illa quæ matrimonium requirit, & finis ejus primarius exigit, qui est ſusceptio prolis. Ab hoc autem

autem conjugali debito ſic reddendo vir non impeditur per pluralitatem uxorum.

Argumenta contraria refutantur.

386. Objicitur I. contra I. Conclusionem, Authoritas Patrum Græcorum. Origenes Hom. XVII. in Lucam ſcribit: *Nunc vero & ſecundæ, & tertiæ, & quartæ nuptiæ, ut de pluribus taceam, reperiuntur, & non ignoramus, quod tale conjugium ejiciet nos de regno Dei. Sicut enim ab Ecclesiaſticis dignitatibus non ſolum fornicatio, ſed & nuptiæ repelluntur; - - - ſic forsitan & de cœtu primitivorum immaculatorumque Ecclesiæ, quæ non habet maculam neque rugam, ejicietur digamus, non quo in æternum mittatur incendium, ſed quo partem non habeat in regno Dei.* II. S. Greg. Nazianz. Orat. XXXVII. *Hac oratione ſecundas nuptias mihi deprecari videtur.* (Apostolus) *Si enim duo Chriſti ſunt, duo quoque viri ſint, & duæ uxores: Si autem unus Chriſtus, unum Ecclesiæ caput: una etiam caro ſit, ſecunda autem respuatur.* III. S. Chrysost. Hom. XXXII. Operis imperfecti in Matth. *Apoſtoli quidem præceperunt ſecundas adire nuptias, propter incontinentiam hominum. Nam ſecundam quidem accipere, ſecundum præceptum Apoſtoli eſt; ſecundum veritatis autem rationem vere fornicatio eſt. Sed dum permittente Deo publice & licenter committitur, ſit honeſta fornicatio.* Ergo PP. Græci ſecundas nuptias tamquam illegitimas rejiciunt. Resp. ad I. Origenes per *Regnum Dei* non intelligit æternam ſalutem & beatitudinem, quæ in visione ac fruitione Dei posita est, ſed tantum ſublimiorem gloriæ ac beatitudinis gradum, a cujus consecutione digamos, utpote imperfectiores, prohiberi censuit; illico enim ſubjungit: *Puto enim monogamum, & virginem, & eum qui in caſtimonia perseverat, eſse de Ecclesia Dei: eum vero qui ſit digamus, licet bonam habeat conversationem, & cæteris virtutibus polleat, tamen non eſse de Ecclesia, & de eo numero qui non habet rugam, aut maculam: ſed eſse de ſecundo gradu, & de his*

Secundis nuptiis non adversatur Patrum Græcorum.

qui

qui invocant nomen Domini, & qui ſalvantur quidem in nomine JESU *Chriſti, nequaquam tamen coronantur ab eo.* Ad II. Resp. S. Gregorius Nazianzenus id unum dicere voluit, quod bigamia non omnino perfecte exprimat Sacramentum mystici connubii Christi cum Ecclesia: ita enim Christus est unus unius, ut non fuerit, neque futurus ſit alterius; ob quem defectum Ecclesia ſanxit, ne bigamus ad ſacros Ordines promoveatur. Cæterum ſecundas nuptias tamquam legitimas probaſse Nazianzenum, constat ex ejus Oratione XXXIX. quæ est in Sancta Lumina, ubi Novatianos perstringens hæc habet: *An ne juvenibus quidem viduis, propter ætatis lubricum, ineundi matrimonii poteſtatem facis? At Paulus hoc facere minime dubitavit, cujus te ſcilicet Magiſtrum profiteris, perinde atque ad quartum cælum, aliumque Paradiſum perveneris. At hæc minime poſt Baptiſmum, inquis. Quo argumento id confirmas? Aut rem ita ſe habere proba: aut ſi id nequis, ne condemnes. Quod ſi res dubia eſt, vincat humanitas & facilitas.* Ad III. Resp. Authorem Operis imperfecti in Matthæum, non eſse S. Joannem Chrysostomum, ut eruditi omnes norunt, ſed incerti nominis hominem, eumque hæreticum; aut certe ab hæreticis interpolatum fuiſse illud Opus.

S. Hieronymi. 387. Objic. II. Authoritas S. Hieronymi, qui Lib. I. contra Jovinianum, Cap. VIII. ſic contra ſecundas nuptias declamat: *Melius eſt enim, licet alterum, & tertium, unum virum noſse, quam plurimos: id eſt, tolerabilius eſt uni homini proſtitutam eſse, quam multis. --- Conſidera, quod quæ duos habuit viros, etiamſi anus eſt, & decrepita, & egens, Eccleſiæ ſtipes non meretur accipere. Si autem panis illi tollitur eleemoſynæ, quanto magis ille Panis qui de cœlo deſcendit, quem qui indigne comederit, reus erit violati corporis & ſanguinis Chriſti?* Similia habet Epist. XI. ad Ageruchiam. Ergo si ſecundæ nuptiæ, juxta Hieronymum, indignum reddunt Communione Eucharistica, graviter ſunt illicitæ. Resp. Hæc vehementiori ſtylo & declamatorio a S. Hieronymo ſcripta fuiſse, tum ad continentiæ commendationem,

nem, tum ad condemnationem libidinis, quæ ſecundarum ordinarie conciliatrix est nuptiarum. Accidit illi nimirum adversus Jovinianum pugnanti, qui matrimonium virginitati æquabat, quod iis qui arbores colunt evenire ſolet, ut Theodoretus Dial. III. qui inscribitur *Impatibilis*, observat: *Cum enim incurvam plantam viderint, non ſolum ad rectam normam erigunt, ſed in alteram quoque partem ultra directum inflectunt, ut per nimiam in contrarium inclinationem ad rectum ſtatum perducatur.* Cæterum S. Hieronymum ſecundas nuptias re vera non improbaſse tamquam illicitas, ipse Hieronymus, verborum ſuorum optimus interpres, testatur Epist. L. ad Pammachium, Apologetica ſuorum librorum adv. Jovinianum, & Epist. XI. ad Ageruchiam. (Vide Num. 368. & 371.) Dicendum itaque est, quod ex mente S. Hieronymi, ſecundæ nuptiæ non ratione ſui, ſed ratione concupiscentiæ quæ illis dominari videtur, digamos indignos efficiant Communione corporis Christi. Vide Natalem Alexandrum Diſsertat. XVIII. in Hist. Eccles. Sæculi II. Artic. I.

Aut Conciliorum authoritas.

388. Obj. III. Authoritas Conciliorum & Ecclesiæ. Concilia pœnitentiam digamis imposuerunt. Laodicenum A. 372. Can. I. ait: *De his, qui ſecundum Eccleſiaſticam regulam libere ac legitimè ſecundis nuptiis juncti ſunt, nec occulte nuptiarum copulam fecerunt; oportet, ut parvo tempore transacto, vacent orationibus & jejuniis; quibus etiam juxta indulgentiam communionem reddi decrevimus.* Neocaesariense A. 314. Can. III. *De his, qui in plurimas nuptias inciderunt, tempus quidem præfinitum manifeſtum eſt: ſed conversatio eorum & fides tempus abbreviat.* Can. VII. *Presbyteris in nuptiis bigami prandere non convenit: quia cum pœnitentia bigamus egeat, quis erit Presbyter, qui propter convivium talibus nuptiis poſsit præbere consensum?* II. Ecclesia benedictionem ſecundis nuptiis non impertitur, & bigamos eſse juſsit irregulares ob defectum Sacramenti. Ergo judicat illos eſse pœna dignos, quod rem illicitam perpetrarint. Resp. D. A. Concilia digamis pœnitentiam imposuerunt ob

nuptias ipsas repetitas, quasi istæ de se forent illicitæ, N. A.: has enim ut legitimas Laodicenum Can. I. cit. agnoscit. Pœnitentiam digamis imposuerunt propter quamdam incontinentiæ speciem, & propensionem in rem veneream, quam præferre videntur secundæ nuptiæ, C. A. N. C. Ad II. Resp. C. A. N. C. Bigami irregulares sunt, non ob culpam, sed ob defectum Sacramenti, sive Mysterii; quia digamia non tam perfecte conjunctionem Christi cum Ecclesia significat, quam monogamia. Cæterum irregularitatem in bigamis non habere rationem pœnæ proprie talis quæ culpam supponit, docent Patres. S. Ambrosius Epist. LXXXII. ad Ecclesiam Vercellensem scribit: *Qui iteravit conjugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærogativa exuitur Sacerdotis.* S. Epiphanius Hær. LIX. *Eos omnes, qui secundum priores nuptias, mortua uxore, alteris sese nuptiis illigarint, sanctissima Dei disciplina ab Ordinum susceptione rejicit, propterea quod incredibilis est Sacerdotii honor & dignitas.* S. Augustinus Lib. de Bono conjugali, Cap. XVIII. *Non absurde visum est, eum qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse; sed normam quamdam Sacramenti amisisse; non ad vitæ bonæ meritum, sed ad Ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam.* Secundis nuptiis, quamvis eodem ritu quo primæ coram Parocho & testibus peragantur, Ecclesia denegat eam solemnem benedictionem, quæ continetur in peculiari Missa pro Sponso & Sponsa; tum quia secundum matrimonium deficit ab illa perfecta significatione unionis Christi cum Ecclesia, quæ fuit unius cum una: tum quia, ut Urbanus III. ait, Extra, de secundis Nuptiis, Cap. *Vir autem: Cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet.*

Nec ratio Theologica

389. Objic. IV. Ratio. Significatio conjunctionis Christi cum Ecclesia est de essentia Sacramenti Matrimonii. Atqui hæc significatio non datur in secundis nuptiis. Ergo illæ non sunt verum Sacramentum. P. min. Conjunctio Christi cum Ecclesia fuit conjunctio unius qui antea alterius non fuit, cum una. Atqui

hæc

hæc ſignificatio in ſecundis nuptiis non datur, quia vel uterque vel ſaltem unus ex conjugibus fuit antea alterius. Ergo. Resp. D. M. Significatio plena & perfecta conjunctionis Christi cum Ecclesia est de eſsentia Sacramenti Matrimonii, N. M. Significatio minus perfecta, & quoad ſubstantiam, est de eſsentia Sacramenti Matrimonii, C. M. Et ſic dist. min. N. C. Ad *prob.* C. M. D. min. Hæc ſignificatio perfecta non datur in ſecundis nuptiis, quæ ad eſsentiam Sacramenti non requiritur, C. min. Non datur hæc ſignificatio quoad ſubstantiam, & ſaltem minus perfecta, quæ ſufficit ad eſsentiam Sacramenti, N. min. Ad eſsentiam Sacramenti Matrimonii requiritur, ut per illud ſignificetur conjunctio Christi cum Ecclesia quoad ſubstantiam ſpectata, ſive unius cum una: atque hæc ſignificatio datur etiam in ſecundis nuptiis ſecundum ſe consideratis; in illis enim vere conjungitur unus cum una, mas cum fœmina. At vero non requiritur ad rationem Sacramenti, ut quoad perfectionem etiam accidentalem & ſecundariam ſignificetur conjunctio Christi cum Ecclesia, prouti nimirum Christus antea non fuit alterius: hac enim ex parte deficere fatemur ſecundas nuptias, neque tam exacte ſignificare illas conjunctionem Christi cum Ecclesia, ac primum matrimonium; quin tamen idcirco desinant verum eſse Sacramentum.

Tertias & ulteriores nuptias Scripturæ non reprobant.

390. Obj. V. contra II. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Joan. Cap. IV. Samaritanæ dicenti, *Non habeo virum*, respondit Christus: *Bene dixiſti, quia non habeo virum: quinque enim viros habuiſti; & nunc quem habes, non eſt tuus vir.* Ergo Christus pluralitatem conjugiorum reprobat, tamquam adulteria & pellicatus. Resp. N. C. Samaritana cum ſexto illo viro matrimonium non contraxerat, neque illi maritali, ſed fornicaria conjunctione erat copulata: atque idcirco Christus ait: *Et nunc quem habes, non eſt tuus vir.* Quod si pluralitatem conjugiorum tamquam malam Christus reprobaſset, quinque priores non vocaſset viros, ſeu maritos Samaritanæ. Hinc etiam Matth. Cap. XXII. Sadducæis illam Christo Domino quæstionem proponenti-

nentibus de muliere quæ fuerat uxor ſeptem fratrum, Christus non respondit, primum aut ſecundum matrimonium fuiſse legitimum, reliqua non item; ſed admiſso ſeptimo matrimonio, in altera vita negavit illius fore usum. Quod etiam observat S. Augustinus Lib. de Bono Viduitatis, Cap. XII. *Sed nec ipsam, ut videmus, tot maritorum mulierem ulla fuæ ſententiæ ſignificatione* (Christus) *damnavit. Quapropter nec contra humanæ verecundiæ ſensum audeo dicere, ut quoties voluerit, viris mortuis nubat fœmina: nec ex meo corde præter Scripturæ ſanctæ authoritatem quotaslibet nuptias audeo condemnare.*

Polygamiæ ſimultaneæ non ſuffragatur Lex Civilis & Canonica.

391. Obj. VI. contra Conclusionem IV. Authoritas Legum, Civilis & Canonicæ. Socrates Lib. IV. Hist. Eccl. Cap. XXVI. refert, Imperatorem Flavium Valentinianum I. legem tuliſse, ut cuivis liceret duas ſimul uxores legitimas habere, hac que per omnes civitates promulgata, Imperatorem Justinam quam deperibat duxiſse, retenta priori conjuge Severa, ex qua Gratianum jam ſusceperat. II. S. Gregorius II. Epist. XIV. ad Bonifacium, relatus a Gratiano Causa XXXII. Quæst. VII. Cap. *Quod proposuiſti*, ſcribit: *Proposuiſti, ſi mulier infirmitate correpta non voluerit debitum viro reddere, quid ejus faciet jugalis: bonum eſset, ſi ſic permaneret, ut abſtinentiæ vacaret: ſed quia hoc magnorum eſt, ille qui ſe non poteſt continere, nubat magis; non tamen ſubsidii opem ſubtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, non deteſtabilis culpa excludit.* Resp. Quamvis vera narraſset Socrates l. c. ex eo tamen minime ſequitur, divinas ſanctiones Cæsareis legibus infringi poſse. Resp. II. Legem hanc commentitiam eſse, deceptumque fuiſse Socratem, ſilentio ſuo ſatis indicant ſcriptores omnes illorum temporum tam ſacri, ut Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Sulpicius Severus, Orosius, Theodoretus &c. quam etiam profani, ut v. g. Zosimus, ac præcipue Ammianus Marcellinus, qui res Valentiniani diligentiſsime memoriæ prodidit, quique Valentinianum prolixe dilaudat etiam ob pudicitiæ cultum

domi

domi forisque. Justinam itaque duxit Valentinianus, non vivente sed demortua jam prima conjuge Severa. Ad II. Resp. S. Gregorium II. in cit. Epistola loqui de infirmitate matrimonium præcedente, & quæ perpetuam impotentiam adjunctam habet, ac non nisi post contractum jam matrimonium innotescit. Atque ita Gregorium interpretari necesse est. Constans enim semper fuit dogma in Ecclesia, validi matrimonii vinculum jure divino esse indissolubile inter fideles, atque in nullo omnino casu, si consummatum fuerit, solutionem pati. Vide dicta Tomo III. Num. 454.

Polygamiam in veteri Lege illicitam fuisse, Calvinus neque ex Scripturis evincit.

392. Obj. VII. contra Conclusionem V. Authoritas Scripturarum. III. Reg. Cap. XI. Salomon Rex a Deo reprehensus est, quod plures habuerit uxores. Ergo polygamia in veteri Testamento non erat permissa. II. In Scripturis secundariæ conjuges vocantur concubinæ & ancillæ. Gen. Cap. XXV. *Deditque Abraham cuncta quæ possidebat, Isaac, filiis autem concubinarum largitus est munera.* Gen. Cap. XXXV. *Abiit Ruben, & dormivit cum Bala concubina patris sui.* Gen. XXI. *Ejice ancillam hanc, & filium ejus.* Atqui concubinæ & ancillæ non sunt legitimæ uxores. Ergo. P. min. Ancilla non est socia. Atqui legitima uxor debet esse socia viri. Ergo ancilla non est legitima uxor. Ergo non maritalis, sed adulterina erat Patriarcharum cum pluribus uxoribus conjunctio. III. Joan. Cap. VIII. Judæi Christo dicebant: *Nos ex fornicatione non sumus nati.* Id est, non progeniti sumus ex Agar, sicut Ismaelitæ, sed ex Sara legitima Abrahami conjuge. Ergo ipsi Judæi sentiebant, Abrahamum fornicarium habuisse cum Agar commercium. Resp. ad I. Salomonem non reprehendi, quod plures uxores, sed quod alienigenas duxerit contra præceptum Domini, per quas cor ejus depravatum est, ut sequeretur Deos alienos. III. Reg. Cap. XI. v. 9. *Igitur iratus est Dominus Salomoni, quod aversa esset mens ejus a Domino Deo Israel.* Ad II. Resp. I. easdem in Scripturis sæpe vocari uxores. Gen. Cap. XVI. *Sarai tulit Agar Ægyptiam, ... & dedit eam viro suo uxorem.* Gen. Cap. XXV. *Abraham vero aliam duxit*

xit uxorem, nomine Ceturam. Resp. II. Ancillas vocari, quia per conjugium libertate non donabantur; Concubinas vero, non quod adulterina conjunctione eſsent copulatæ; ſed quia erant uxores ſecundariæ tantum, ad ſolum procreationis liberorum officium, non ad bonorum & oeconomicæ gubernationis communionem aſsumptæ: ideoque absque dotalibus tabulis & ſolemnitate ductæ, quæ Matres familias non dicebantur, nec ipsarum filii in partem hæreditatis vocabantur. Ad *prob.* N. min. In Lege veteri ſolæ primariæ uxores erant ſociæ mariti; quæ vero ſecundi erant generis, uxores erant non ſociæ, & ancillæ. Sane potuit v. g. Agar vero ac legitimo contractu matrimoniali Abrahamo copulari in ordine ad filiorum procreationem, quamvis ſui juris non fieret, nec ab Abrahamo admitteretur ad bonorum ſocietatem, & gubernationem domus. Sic autem factum fuiſse ſatis indicat Scriptura, quæ Agarem aliquando uxorem vocat, aliquando concubinam nominat: uxorem quidem, quia dominium habebat corporis Abrahami in ordine ad actum conjugalem; concubinam vero, quia bonorum Abrahami non erat domina, nec ejus in gubernanda domo ſocia. Ad III. N. C. Verba illa Judæorum non ſunt intelligenda de carnali, ſed ſpirituali fornicatione, ſive idololatria, quæ in Scripturis ſæpiſsime fornicatio vocatur. Jllico enim ſubjungunt Judæi: *Unum Patrem habemus Deum.* Ac si dicerent: Ex gentibus idololatris originem non ducimus, quæ cum multis Diis fornicantur; ſed ex Patriarchis, ac præcipue ex Abrahamo unius veri Dei cultore religiosiſsimo.

Neque ex Patribus. 393. Obj. VIII. Authoritas Patrum. S. Ambrosius Lib. I. de Abraham Cap. IV. ait, Abrahamum filium ex ancilla ſuscipiendo in errorem lapsum, ac cæterorum hominum fragilitatem expertum fuiſse, ac postea pœnitentiam egiſse. Tum ſubjungit: *Pater erat, cum de ancilla prolem haberet: ſed pater filii non erat, quia non erat ei filius, qui non erat legitimo ſusceptus conjugio. Peperit Sara, & factus eſt pater filii.* Ergo ſensit adulterinum fuiſse Abrahami cum Agare conjugium. II. S. Aug.

Aug. Lib. XXII. contra Faustum, Cap. XXX. Abrahamum a crimine adulterii, quod illi Manichæi objiciebant, excusare ex eo capite nititur, quod non impetu libidinis, sed causa gignendæ prolis, ipsaque incitante Sara id fecerit. Ergo sensit Agarem non fuisse legitimam Abrahami uxorem; alias Manichæis felicius ac facilius os obstruxisset dicendo, Abrahamum affectu maritali ad Agarem accessisse, tamquam ad veram ac legitimam suam conjugem. III. S. Leo M. Epist. XCII. ad Rusticum Narbonensem, in Responsione ad inquisitionem IV. scribit proposito Agaris exemplo, aliud esse uxorem, aliud concubinam: aliud ancillam, aliud liberam; indeque velut rem certam eruit, posse ab eo nuptias contrahi cum alia libera, qui prius serva concubina potitus fuerit. Ergo S. Leo sensit, Agarem non fuisse legitimam Abrahami uxorem, adeoque adulterinum fuisse illud commercium. Resp. ad I. S. Ambrosium in excusando Abrahamo fluctuasse fatemur. Quia tamen loco cit. subjungit: *Tertia quoque est* (defensio) *quam nobis Apostoli Pauli tribuit authoritas, qui ait, illa quæ gessit Abraham, ut de ancilla susciperet sobolem, in figuram facta sunt, & secundum allegoriam dicta. - - - Quod ergo putas esse peccatum, advertis esse mysterium, quo ea quæ posterioribus erant futura temporibus, revelabantur. - - Agnoscamus ergo quoniam hæc, quæ in figuram contingebant illis, crimini non erant; nobis autem erunt, si ad correptionem nostram scripta cavere nolimus;* idcirco dicendum est, Ambrosium priora illa scripsisse non ex propria, sed ex aliorum mente per figuram concessionis, idque forsitan eo magis, quod coram Catechumenis tunc loquebatur, quos a pellicatu vehementius deterrere voluerit. Alia certe via Ambrosium cum Ambrosio conciliandi non superest. Si enim ex propria mente dixit legitimum non fuisse Abrahami cum Agare conjugium, quomodo illud crimini non fuit, aut ab adulterio excusari potuit Abrahamus? Ad II. Resp. N. C. & rationem additam. S. Augustinus l. c. idcirco non respondet, Agarem fuisse legitimam Abrahami uxorem, quia Manichæi Abraha-

mo

mo non polygamiam, ſed libidinem objiciebant. Unde Augustinus criminationem hanc diluit dicendo, Abrahamum ſolo prolis desiderio, nec nisi consentiente Sara, illiusque precibus adductum, ad Agarem maritali affectu ingreſsum eſse. Ad III. N. C. S. Leo M. ita loquitur habita ratione disciplinæ, quæ jam ſuo tempore invaluerat, qua a nuptiis valide contrahendis arcentur illi ſive mares ſive fœminæ, qui juris ſui non ſunt, ſed conditione ſervi, ac ſtricte dicto ſervitio mancipati, nisi uterque conjux ſervus fuerit, aut liber ſervilem compartis conditionem non ignorarit: ideoque S. Doctor id unum videtur aſserere, quod Agar jure uxorio plene non ſit potita. Atque ita communiter responderi ſolet. Verum alii fatentur, si verba S. Leonis ſecundum rigorem ſpectentur, plus aliquid ex illis evinci, nempe Abrahamum inter & Agarem verum non interceſsiſse conjugium; at non evincitur permiſsum non fuiſse in Lege veteri, ut vir cum pluribus fœminis liberis matrimonium contrahat, v. g. Jacob cum Rachele & Lia, quarum utraque uxor fuit primi ordinis. Ergo S. Leonis authoritas adversariis non ſuffragatur, qui nullo facto liberas inter & ancillas discrimine, polygamiam in veteri Lege numquam fuiſse permiſsam contendunt.

CONTROVERSIA III.

DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII.

CONTRA GRÆCOS, ET PROTESTANTES.

Quid ſit matrimonium legitimum, ratum, ac conſummatum?

394. Matrimonium aliud dicitur legitimum, aliud ratum, aliud consummatum. *Legitimum* est, quod jure Gentium, & legum civilium decretis firmatur; quales sunt Infidelium & Judæorum maritales conjunctiones: licet enim extra Ecclesiam non habeant rationem Sacramenti, civilis tamen contractus & naturalis officii titulo gaudent. *Ratum* appellant, quod secundum leges non civiles tantum, aut natura magistra dictatas, sed & juxta Decreta Ecclesiæ inter Chri-

Christi fideles contrahitur. Unde ratum dicitur, id est, ab Ecclesia approbatum. *Consummatum* denique vocatur, quod interveniente copula maritali perfectum est, quodque est eo deductum, ut esent duo in carne una, & jam non esent duo, sed una caro. Porro matrimonium consummatum duplici de causa dicitur perfectum. I. Quia juxta consuetas naturæ leges non aliter quam ex sexuum commixtione suscipitur proles, quæ est finis primarius matrimonii. II. Quia matrimonium consummatum perfectiori modo conjunctionem Christi cum Ecclesia significat: Ratum enim repræsentat unionem Christi cum anima existente in gratia, & cum Ecclesia per charitatem; consummatum vero præter illam significat etiam conjunctionem Christi cum Ecclesia per mysterium Incarnationis. In præsenti controversia nobis potisimum sermo erit de matrimonio consummato, cujus duplex intelligi potest solutio, propria & impropria. *Propria* est, quando alter conjugum non solum a matrimonii usu & officio conjugali, sed etiam ab ipso vinculo, in quo contractus nuptialis natura posita est, ita liberatur, ut pristinæ redditus libertati, plene sit sui juris, posítque si voluerit ad nova vota transire. *Impropria* dicitur, quando conjugi, sui licet juris non sit, neque possit matrimonium novum inire vivente adhuc comparte, propter præcedentis vinculi firmitatem; liberum tamen est non habitare cum conjuge, & a nuptiali officio abstinere: eaque appellatur matrimonii solutio quoad thorum & cohabitationem.

395. Græci a pluribus jam sæculis, relicta Majorum suorum doctrina, putant, matrimonium consummatum, etiam fidelium, non tantum quoad thorum & cohabitationem, sed etiam quoad vinculum dirimi posse ob fornicationem vel adulterium compartis; ideoque permittunt conjuges in causa adulterii ad alias nuptias convolare. Qua de re sæpius fuerunt reprehensi a Latinis, atque etiam in Synodo Florentina, ut illius Acta testantur. Consummato e- *Error Græcorum.*

nim unionis negotio, multa Latini a Græcis quæsiverunt, inter quæ fuit etiam illud: *Quare conjugia dirimunt, dicente Domino: Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet?* Mitylenensis Archiepiscopus nomine Græcorum, ut in Actis dicitur, *canonice omnia legitimeque diſſolvit, præterquam duo, de quibus Papa ſignificavit Imperatori, cur ſcilicet Matrimonia dirimantur, & Patriarcha non eligatur.* Post aliquot dierum intervallum, Eugenius IV. Orientales Præsules omnes ad se vocavit, eosque sic allocutus est: *Nos, Fratres, Dei beneficio ſumus fide conjuncti. Quoniam ergo arcanis Dei judiciis ego ſum inter vos membra Caput; debeoque qualitercunque admonere, & conſiliis inſtruere ad ea, quæ videntur pietatem & Eccleſiam noſtram conſtabilire; propono vobis aliqua ut fratribus, ut membris, ut Eccleſiarum Doctoribus. Et primo dico: Omnes conqueri de ſeparatione matrimoniorum; idque correctione indiget.* Responderunt Græcorum Deputati, æquiſsima eſse & sapientiſsima, quæ proponebat Summus Pontifex, sed ad hæc perfectam responsionem se dare non poſse inconsulto Imperatore Palæologo, cæterisque Præsulibus Græcis. Privato vero nomine responderunt, non eſse hæc præsentis temporis, esto justa & neceſsaria eſsent. *Nam*, inquiebant, *Matrimonia dirimimus, non ſine juſtis cauſis.* Ad hæc cum Græci utcunque respondiſsent, omniaque Imperatori renuntiaſsent, nullum ille de his ulterius verbum fieri est paſsus, sicque ex Italia discesſum est. Vide Natalis Alexandri Diſsertationem X. in Hist Eccles. Sæculi XV. & XVI. ad finem Articuli II.

Proteſtantium. 396. Græcis hac in re adhæserunt Martinus Kemnitius in II. Parte Exam. Conc. Tridentini, Joannes Brentius in Conf. Würtembergensi, Cap. de Conjugio, & Calvinus Lib. IV. Instit. Cap. XIX. tyrannicam vocans legem, quæ aliud conjugium non permittit ei, qui ab adultero conjuge divortium fecit. Lutherus Lib. de Captivit. Babylon. pugnantia loquitur; Capite enim de Matrim. Pontificem erroris arguit, quod extra causam fornicationis, quam solam

Iam Christus excepit, divortium sive separationem a thoro & mensa conceſserit: tum vero subjungit, cupere se vehementer definiri, non solum in causa fornicationis, sed etiam quando alter conjux recedit in aliam regionem, post decennium aut forte numquam reversurus, licitum eſse aliud matrimonium contrahere. Commentario in Cap. VII. I. ad Cor. quem A. 1523. conscripsit, multis de causis matrimonium solvi, aliudque iniri poſse aſserit, si nempe falsus Christianus Christianam conjugem deserat, si illam ad furtum vel ad alia peccata inducat, si alter diu absit, aut si ob frequentes rixas molesta sit cohabitatio cum priore conjuge. Bucerus, Luthero impudentior, Commentario in Cap. XIX. Matth. contendit, matrimonium diſsolvi poſse, & aliud iniri, quoties uxor non se commodam viro, aut vir non se commodum uxori præbet, quacunque videlicet de causa sibi invicem conjuges displiceant.

Cajetani & Catharini.

397. Ex Catholicis Doctoribus duo leguntur exorbitaſse, Card. Cajetanus Comment. in Cap. XIX. Matthæi, & Ambrosius Catharinus in Opusculo de Matrim. Quæst. ultima, qui putant, neque ex Apostolo colligi poſse, non licere viro ob adulterium uxoris aliud matrimonium inire; quamvis id illicitum eſse contendant uxori ob adulterium viri. Verum uterque lucubrationes suas judicio Ecclesiæ subjecit: & Cajetanus quidem ante Concilium Tridentinum obiit A. 1534. Catharinus vero A. 1552. antequam Canones Tridentini de Matrimonio sancirentur.

Matrimonium consummatum Fidelium quoad vinculum diſsolvi non poſſe, oſtenditur ex Scripturis.

398. Conclusio. Matrimonium consummatum Fidelium nulla umquam de causa, ne adulterii quidem, diſsolvi potest quoad vinculum. Prob. Conclusio I. Auctoritate Scripturarum. Matth. Cap. V. ait Christus: *Omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Marci Cap. X. *Et in domo iterum diſcipuli ejus de eodem interrogaverunt eum. Et ait illis: Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adul-*

terium committit ſuper eam. Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur. Lucæ Cap. XVI. *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur.* Ergo cum Christus illimitate pronuntiet adulterii reos illos omnes, qui ducunt dimiſsas a maritis suis quacunque ex causa, aut qui dimiſsa uxore alias ducunt, neceſsario sequitur; matrimonium consummatum fidelium nulla umquam de causa, etiam adulterii, dissolvi poſse quoad vinculum: si enim illud sublatum eſset, qui nova ineunt conjugia non poſsent adulterii accusari. Apostolus pari modo ad Rom. Cap. VII. nulla facta fornicationis mentione illimitate loquitur: *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri: ut non ſit adultera ſi fuerit cum alio viro.* Et I. ad Cor. Cap. VII. *Iis autem, qui matrimonio junctì ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere. Quod ſi diſceſſerit, manere innuptam aut viro ſuo reconciliari.* Quibus verbis prohibet uxorem a thoro & mensa mariti secedere, saltem perpetuo, nisi ille adulterio aliquo causam dederit faciendi divortium. Quod si vir adulterium commiserit, prohibet uxorem alteri viro nubere, jubetque, si nolit se continere, viro suo reconciliari. Ergo Apostolus manifeste docet, matrimonium ne adulterii quidem causa quoad vinculum diſsolvi. Neque dicas, Apostolum loqui de muliere, quæ sine justa causa a marito diſceſsit, aut quæ ob causam adulterii a marito ejecta est. Nam sermo illi est de muliere quæ auctor est divortii, quæ prohibetur a viro suo discedere, quæ potest viro suo non reconciliari, si velit se continere. Atqui talis non est, quæ sine justa causa diſceſsit, aut quæ ob commiſsum adulterium a viro suo ejecta est. Ergo.

Patribus Græcis. 399. Prob. II. Auctoritate Patrum Græcorum. Hermas in libro, cui titulus, *Paſtor*, quique apud Græcos

Græcos magni fit, Lib. II. de dimittenda adultera ita scribit: *Dimittat illam vir, & vir per se maneat: quod si dimiserit mulierem suam, & aliam duxerit, & ipse mœchatur.* Et infra: *Non debet dimißa conjuge sua vir aliam ducere.* S. Justinus M. Apologia II pro Christianis ad Antoninum Imp. *Qui dimißam ab altero viro ducit, adulteratur.* Athenagoras in Apologia pro Religione Christiana: *Ut natus est unusquisque nostrum, manet, vel nuptiis copulatur unicis; secundæ enim decorum quoddam adulterium sunt; qui enim uxorem suam dimiserit, & duxerit aliam, adulteratur, inquit Dominus noster.* Clemens Alexandrinus Lib. II. Stromatum: *Legem* (Christus) *aperte constituit, Non dimittes uxorem præterquam propter fornicationem: adulterium autem existimat conjungi matrimonio, vivo aliquo ex separatis --- Qui autem dimißam accipit uxorem, mœchatur eam, hoc est, cogit eam mœchari. Non solum autem qui dimisit, est ejus causa, sed etiam qui eam suscipit, præbens mulieri peccandi occasionem; si enim non suscepißet eam, reverteretur ad virum.* Quæ verba vinculi conjugalis indissolubilitatem aperte adstruunt. Origenes Tract. VII. in Matth. *Scio quosdam qui præsunt Ecclesiis, extra Scripturam permisiße aliquam nubere, viro priore vivente: & contra Scripturam quidem fecerunt, dicentem: Mulier ligata est, quanto tempore vivit vir ejus. Non tamen omnino sine causa hoc permiserunt; forsitan enim propter infirmitatem & incontinentiam hominum, priorum comparatione quæ mala sunt permiserunt, adversus ea quæ ab initio fuerant scripta: Dico autem vobis, quoniam quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur.* S. Basilius Lib. de Virginitate, aut quicunque alius fuerit ejus libri auctor, scribit: *Non audis vero, quod etiam qui dimißam ducit, adulterium committit? Etsi enim dimißa est propter causam, attamen vivit vir ipsius. Quid igitur vexas dimißam? neque concedis tempus & illi corrigendi se ipsam in iis propter quæ dimißa est, & ei qui dimisit, ut ob correctionem ejus misertus membrum su-*

um rursus ad se ipsum recipiat, sed præripis tempus emendandi, vivente viro dimissam in matrimonium ducens? Sine aut ad viventem reverti, simulque factam meliorem uxorem redire; aut neque viduam, neque uxorem existentem, culpæ ob quam eam maritus dimisit, pœnam dare. S. Joannes Chrysost. Hom. XIX. in Cap. VII. Epist. I. ad Cor. scribit: *Scio equidem novum & paradoxum videri multis quod affero; non tamen silebo, sed prius recitata vobis lege, etiam contrarietatem legis solvere conabor. Quæ igitur lex est quam vobis imposuit Paulus? Mulier, inquit, ne divellatur vivente viro, neque alterum introducat sponsum, neque secundas contrahat nuptias. Et observa, quomodo cum exacta discussione ipsa etiam natura vocabulorum utitur. Non enim dixit, cohabitet viro, quamdiu vivit ejus vir. Sed quidnam? Mulier alligata est legi, quamdiu vivit ejus vir. Quare quamvis libellum repudii det, ac domum relinquat; quamvis ad alium proficiscatur, legi tamen alligata & adultera est ejusmodi mulier. Si igitur vir uxorem expellere voluerit, vel uxor maritum relinquere, hoc dictum memoria teneat, & Paulum adesse putet, qui eam insectetur, clamet, ac dicat: Mulier adstricta est lege. Quemadmodum enim servi fugitivi etiamsi domum relinquant herilem, catenam nihilominus secum trahunt: sic & uxores tametsi viros relinquunt, habent secum legem vinculorum instar condemnantem eos qui eas ducunt, adulterii accusantem, & dicentem: Adhuc superstes est vir, & adulterium est quod committitur. Quippe mulier alligata est legi, quamdiu vivit ejus vir. Et omnis qui dimissam duxerit, mœchatur. Quando igitur ei licet secundum inire conjugium? cum soluta fuerit vinculo; cum vir ejus vita functus fuerit.*

Qui æquale esse jus conjugum negant.

400. Quod si dicas, juxta Patres Basilium præcipue ac Chrysostomum, matrimonium ob causam fornicationis a solo viro dissolvi posse, non autem ab uxore, ita ut solus vir uxorem adulteram dimittere possit, aliamque ejus loco ducere, minime autem uxor innocens abdicato adultero marito novum conjugium inire queat; rem dicis Christianæ Legi ac Patribus

tribus injuriosam, & sanæ rationi atque æquitati naturali repugnantem. Quamvis enim gravius sit adulteræ uxoris delictum, quia facile contingere potest, ut marito falsum hæredem supponat, & prolis patrem incertum reddat; in his tamen quæ ad matrimonium pertinent, jus conjugum est omnino æquale, quia ut Apostolus ait I. ad Cor. Cap. VII. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ergo si viro fas foret uxore adultera repudiata aliam ducere, idem jus exercere poterit uxor innocens maritum adulterum rejiciendo. Eamdem omnino esse conditionem viri & mulieris, quod separationem matrimonii spectat, agnoverunt Patres, ac singillatim S. Basilius Epist. I. ad Amphilochium, Can. IX. *Domini autem sententia æque viris ac mulieribus convenit, quod non liceat a matrimonio discedere, præterquam propter fornicationem.* S. Gregor. Nazianz. Orat. XXXI. *Quid enim causæ fuit, cur mulierem* (Lex civilis) *pœnis afficeret, marito contra indulgeret? Et mulier quidem, quæ improbum consilium adversus viri sui cubile susceperit, adulterii piaculo constringitur, indeque acerbissimis legum pœnis excruciatur; vir autem, qui fidem uxori datam per adulterium violat, nulli supplicio est obnoxius. Hanc legem nequaquam probo, hanc consvetudinem minime laudo: viri erant, qui hanc legem sanxerunt; ea propter adversus mulieres lata est. Quandoquidem & filios paternæ potestati subjecerunt, infirmiorem vero sexum neglectum reliquerunt. At Deus non sic.* S. Chrysostomus Hom. XIX. in Cap. VII. Epist. I. ad Cor. in illa verba, *Uxori vir debitum reddat*, scribit: *Multis in locis magnam tribuit viro eminentiam tam in novo quam in veteri Testamento, dicens: Ad virum tuum conversio tua. & ipse tibi dominabitur. Paulus vero ita dividit, & scribit: Viri diligite uxores, uxor autem virum timeat; hic autem neque majus neque minus habet locum, sed una potestas est. Qua de causa? Nimirum quia de pudicitia sermonem habebat. In aliis quidem plus*

habeat,

habeat, inquit, vir: ubi vero ratio habenda eſt pudicitiæ, minime ſuperior ſit. Vir ſui corporis poteſtatem non habet, neque uxor. Magna hic paritas, & prærogativa nulla. S. Ambrosius Lib. I. de Abraham, Cap. IV. *Nemo blandiatur ſibi de legibus hominum: nec viro licet quod mulieri non licet. Eadem a viro, quæ ab uxore debetur caſtimonia.* S. Hieronymus Epist. XXX. ad Oceanum de Vita Fabiolæ: *Præcipit Dominus uxorem non debere dimitti, excepta fornicationis cauſa; & ſi dimiſſa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris jubetur, hoc conſequenter redundat in fœminas. Neque enim adultera uxor dimittenda eſt, & vir mœchus tenendus. Si quis meretrici jungitur, unum corpus facit. Ergo & quæ ſcortatori impuroque ſociatur, unum cum eo corpus efficitur. Aliæ ſunt leges Cæſarum, & aliæ Chriſti: aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit. - - Apud nos quod non licet fœminis, æque non licet viris, & eadem ſervitus pari conditione cenſetur.* Et sane aſsertioni nostræ ipsa æquitas naturalis suffragatur; iniquum enim videtur afserere, Legem Christi adulteris maritis, qui pravas cupiditates promptius coercere deberent, eoquod ingenio, rerum usu, prudentia ac viribus magis polleant, longe magis hac in re favere, quam fœminis, sexui imbecilli, ac natura sua quodammodo magis fragili.

Et Latinis. 401. Prob. III. Auctoritate Patrum Latinorum. S. Hier. Epist. CLVII. ad Amandum scribit: *Omnes igitur cauſationes Apoſtolus amputans, apertiſſime definivit, vivente viro adulteram eſſe mulierem, ſi alteri nupſerit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris perſuaſionem, patris auctoritatem, propinquorum catervam, ſervorum inſidias, atque contemptum, damna rei familiaris. Quamdiu vivit vir, licet adulter ſit, licet ſodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc ſcelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec Apoſtolus hæc propria auctoritate decernit, ſed Chriſto in ſe loquente, Chriſti verba ſecutus eſt, qui ait in Evangelio: Qui dimittit uxorem ſuam,*

excepta

excepta causa fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimissam acceperit, adulter est. Animadverte quod dicat: Qui dimissam acceperit, adulter est, sive ipsa dimiserit virum, sive a viro dimissa sit, adulter est qui eam acceperit. Similia habet Commentario in Cap. XIX. Matth, & Epist. XXX. ad Oceanum, in qua laudat Fabiolam Matronam Romanam, quæ viro propter adulterium ejecto, cum alteri nupsisset, suum deinceps errorem agnovit, & tantum scelus publica pœnitentia expiavit. S. Innocentius I. Epist. ad Exsuperium Tolosanum, Cap. VI. scribit: *Requisivit dilectio tua de his etiam, qui interveniente repudio alii se matrimonio copularunt; quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui ergo vel quæ, viro vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri: in tantum ut etiam hæ personæ, quibus tales conjuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur; secundum illud quod legimus in Evangelio: Qui dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur: similiter & qui dimissam duxerit, mœchatur. Et ideo tales omnes a Communione fidelium volumus abstinendos.* S. Aug. Lib. I. de Conjugiis adulterinis, Cap. IX. *Qui ergo nos sumus, ut dicamus, Est qui mœchatur, uxore sua dimissa alteram ducens, & est qui hoc faciens non mœchatur? cum Evangelium dicat omnem mœchari qui hoc facit. Proinde si quicunque hoc fecerit, id est, omnis qui hoc fecerit, ut uxore sua dimissa alteram ducat, mœchatur; sine dubitatione ibi sunt ambo, & qui præter causam fornicationis, & qui propter causam fornicationis dimittit uxorem, Hoc est enim, Quicunque dimiserit, hoc est, Omnis qui dimittit.* Et Lib. II. Cap. IV. *Hæc verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prius esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus; non si fornicetur. Licite itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis; sed manet vinculum prioris, propter quod sit reus adulterii, qui*

dimißam duxerit etiam ob cauſam fornicationis. Idem repetit S. Augustinus Lib. I. de Sermone Domini in Monte, Cap. XVI. Lib. I. de Nuptiis & Concupisc. Cap. X. Lib. de Bono conjugali, Cap. VII. S. Isidorus Hispalensis Lib. II. de Officiis Ecclesiast. Cap. XIX. *Sacramentum ideo inter conjugatos dictum eſt, quia ſicut non poteſt Eccleſia dividi a Chriſto, ita nec uxor a viro. Quod ergo in Chriſto & in Eccleſia, hoc in ſingulis quibusque viris atque uxoribus conjunctionis inſeparabile Sacramentum eſt.* Eadem fuit doctrina Ven. Bedæ Comment. in Cap. X. Marci, Paschasii Ratberti Comment. in Matth. Joannis VIII. Epist. LXV. ad Ederedum Anglorum Archiepiscopum, Ivonis Carnotensis Epist. CXXV. ad Daimbertum Senonensem, Lantfranci Cantuariensis Epist. X. ad Thomam Eboracensem, Alexandri III. Extra, de Sponsalibus & Matrim. Cap. *Ex parte.* Innocentii III. Extra, de Divortiis, Cap. *Gaudemus.* & Scholasticorum, S. Thomæ, S. Bonaventuræ, Scoti, Durandi &c.

Auctoritate Conciliorum.

402. Prob. IV. Auctoritate Conciliorum. Initio sæculi IV. Eliberitanum Can. IX. statuit: *Item fidelis fœmina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum ducit, prohibeatur ne ducat; ſi autem duxerit, non prius accipiat communionem, niſi quem reliquerit prius de ſæculo exierit; niſi forte neceſſitas infirmitatis dare compulerit.* Milevitanum II. seu potius Carthaginense A. 418. Can. XVII. *Placuit, ut ſecundum Evangelicam & Apoſtolicam diſciplinam, neque dimißus ab uxore, neque dimiſſa a marito, alteri conjungantur: ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur. Quod ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur. In qua cauſa legem Imperialem petendam promulgari.* Synodus autem petendam eſse legem Imperialem dicit, non ut prohibeatur separatis ne vivente altero conjuge aliud matrimonium contrahant, cum hoc contra Evangelicam & Apostolicam disciplinam fieri aperte profiteatur; sed ut ii qui non verentur legem divinam, ab humana

pote-

potestate coerceantur. Arelatense I. A. 314. Can. X. *De his, qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, & iidem sunt adolescentes fideles, & prohibentur nubere, placuit ut in quantum possit consilium eis detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant.* Ideo autem Arelatense dicit, adhortatione magis quam præcepto urgendos, quia tunc per leges civiles immune licebat eis alia inire conjugia. Forojulienſe A. 791. Cap. X. *Item placuit, ut resoluto fornicationis causa jugali vinculo,* (quoad thorum scilicet) *non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere* Nannetense sæculo IX. Can. XII. *Si cujus uxor adulterium perpetravit, & hoc a viro deprehensum fuerit, & publicatum, dimittat uxorem, si voluerit, propter fornicationem; - - vir vero ejus illa vivente nullatenus accipiat aliam.* Florentinum in Decreto pro Armenis: *Quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere; non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii legitime contracti vinculum perpetuum sit.* Tridentinum Sess. XXIV. Can. V. *Si quis dixerit, propter hæresin, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum; anathema sit.* Et Can. VII. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit; & eam, quæ dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit.*

403. Prob. V. Ratione Theologica in Scripturis fundata. Matrimonium fidelium magnum est mysterium, non ideo tantum quia significat conjunctionem spiritualem per charitatem inter Deum & animam justi, aut conjunctionem Christi cum humana natura per unionem hypostaticam, quæ etiam significatur in matrimoniis infidelium; sed præcipue ex eo capite, *Ac rationa Theologica*

quia significat conjunctionem Christi & Ecclesiæ per charitatem, juxta illud Apostoli ad Ephesios Cap. V. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Ergo cum spiritualis illa Christi & Ecclesiæ conjunctio sit omnino indissolubilis, quia Christus Ecclesiam sponsam suam numquam deseret; etiam matrimonium fidelium debet esse pro omni casu indissolubile: alias si signum sacræ hujus conjunctionis dissolvi posset, indicaretur, etiam rem significatam, nimirum conjunctionem Christi & Ecclesiæ posse aliquando dissolvi. Quod si reponas, ex hac argumentatione inferri, neque matrimonium ratum licet non consummatum, a fidelibus contractum dirimi posse per professionem religiosam. Resp. N. illatum; matrimonium enim ratum inchoative tantum ac minus perfecte hanc Christi conjunctionem cum Ecclesia significat: ideoque eam firmitatem nondum acquisivit, ut per professionem religiosam dissolvi nequeat etiam quoad vinculum.

Error hic Græcorum, quamvis aliqui aliter sentiant.

404. Ex his, quæ hactenus diximus, manifestum est, Protestantium sententiam, quæ asserit Matrimonium consummatum fidelium dissolvi posse quoad vinculum aliis etiam de causis præterquam ob fornicationem, a Tridentino tamquam hæreticam proscriptam fuisse Sess. XXIV. Can. V. An vero Tridentinum tamquam dogma fidei contra Græcos definierit, neque ob causam fornicationis dirimi posse quoad vinculum, res non usque adeo liquida & comperta est. Qui putant rem hanc ab Ecclesia esse decisam, has potissimum rationes afferunt. I. Hanc Græcorum doctrinam & consuetudinem Eugenius IV. in Florentino Concilio, atque in Decreto pro Armenis improbavit. Item Clemens VIII. in Instructione pro Italo-Græcis, quam nuper confirmavit Benedictus XIV. Constitut. LVII. *Etsi Pastoralis.* II. Tridentinum Sess. XXIV. Can. VII. ait, Ecclesiam juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam docere, quod propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum dissolvi nequeat, atque anathema dicit illi qui dixerit,

dixerit, Ecclesiam hac in re errare. Ex quibus hoc argumentum instruitur. Fide divina credendum est, doctrinam Ecclesiæ Romanæ de indiſsolubilitate matrimonii, interveniente etiam adulterio, eſse Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ conformem, & Ecclesiam non errare hoc in negotio. Ergo fide divina credendum est, oppositam Græcorum doctrinam difformem eſse Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ, ideoque Græcos hac in re errare. Neque dici potest cum Launoio in Tract. de Regia in Matrimonium potestate, rem hanc meram spectare disciplinam; quia sententia Ecclesiæ fundatur in doctrina Evangelica & Apostolica, quæ utique ad fidem pertinet. Ex quo confici putant, a Tridentino damnatum fuiſse hunc Græcorum errorem.

Non videtur clare et explicite ab Eccleſia proscriptus tamquam hæreticus.

405. Nihilominus indiſsolubilitatem Matrimonii consummati fidelium, ob causam fornicationis, nondum ab Ecclesia aut Tridentino Concilio clare atque explicite censeo fuiſse definitam tamquam dogma fidei nostræ, ab omnibus Christianis neceſsario fide divina credendum: quamvis ultro concedam, eam Græcorum opinionem omnino improbabilem, certo falsam, ac temerariam eſse; & Tridentinam Synodum ab ea expreſse & clare damnanda ſolius oeconomiæ causa abstinuiſse. Rationes ita ſentiendi has potiſsimum profero. 1ma est. Cum Seſs. XXIV. Patres Tridentini Canonem VII. jam meditati eſsent, quo anathemate confodiebantur qui dicunt, matrimonium propter adulterium conjugum poſse diſsolvi quoad vinculum; & prælegeretur ille Canon, ultimo dein totius Concilii examini ſubjiciendus antequam ritu ſolemni constitueretur & promulgaretur: Sereniſsimæ Reipublicæ Venetæ Oratores interceſserunt, exposueruntque ſacræ Synodo, ut Sfortia Card. Pallavicinus refert Hist. Conc. Tridentini Lib. XXII. Cap. IV. nisi Canon ille moderatione aliqua reformaretur, inferri poſse non modicam offensionem Orientis Ecclesiæ, præcipue Græcis, in ſubjectis Venetæ Reipublicæ locis degentibus, nempe in Insula Cretæ, Cypri, Corcyræ, &c. apud quos in more positum

tum esset, quamvis Præsulibus a Romano Pontifice constitutis obtemperarent, uxorem adulteram deserere, & aliam ducere. Qui si anathemate ob eam Ecclesiæ suæ disciplinam ferirentur, in maximum detrimentum Ecclesiasticæ unitatis ea definitio esset cesura. Hujus interceſsionis habita ratione, Tridentini Patres Canonem VII. emollierunt, sicque laudatus Canon promulgatus est, prout Sess. XXIV. nunc legitur, & a nobis Num. 402. adductus est. II. In iis etiam provinciis & diœcesibus, ubi Græci Latinis permixti proprias Ecclesias habent, a Latinis Episcopis quibus subjiciuntur, contra antiquam quam hactenus retinuerunt matrimonia propter adulterium dirimendi consuetudinem, nihil legimus ordinatum; idque tantummodo Synodicis constitutionibus cautum est, ne mariti authoritate propria, nullaque præmissa forma judicii, uxores adulterii prætextu dimitterent, & novis deinceps uxoribus jungerentur, ut patet ex Synodo Montis Regalis A. 1652. in Sicilia habita a Cardinale Montaltio.

Matrimonium ratum vel consummatum infidelium dissolvitur quoad vinculum per conversionem unius conjugis ad fidem Christianam.

406. Quæres I. An Matrimonium Infidelium, non ratum modo sed etiam consummatum, in nullo casu possit dissolvi quoad vinculum? Resp. Jure divino posse dissolvi, si unus conjugum ad Christianam fidem convertatur, & alter vel discedat, vel nolit cohabitare sine contumelia Creatoris, vel conjugem fidelem pertrahat ad peccatum mortale. Prob. assertio I. Authoritate Apostoli, qui I. ad Cor. Cap. VII. postquam de fidelibus dixit: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Illico de matrimonio Infidelium subjungit: *Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si quæ mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si infidelis discedit, discedat:*

scedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi: in pace autem vocavit nos Deus. Neque dici potest, hæc verba Apostoli intelligenda esse de separatione quoad thorum tantum. Apostolus enim concedit v. g. viro fideli habenti conjugem infidelem, quod denegat conjugibus fidelibus. Atqui illis non denegat separationem quoad thorum tantum ob justas causas. Ergo viro fideli habenti conjugem infidelem concedit separationem matrimonii etiam quoad vinculum, ita ut deserta conjuge infideli possit legitime aliam uxorem ducere: hancque potestatem dat in gratiam Religionis Christianæ. Prob. II. Authoritate Pontificum. Innocentius III. Extra, Cap. *Quanto*, de Divortiis: *Si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit. Et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: Si infidelis discedit, discedat: frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi.* Prob. III. Ex usu & praxi Ecclesiæ, quæ conjugem conversum ad alia vota permittit transire, vivente licet priori conjuge infideli, quæ ei non vult cohabitare, aut saltem non sine injuria Creatoris.

407. Ex his sequitur I. Verba illa Christi Matth. Cap. XIX. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Et Matth. Cap. V. *Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari*, nullam pati exceptionem, si sermo sit de matrimonio consummato fidelium, non autem si sermo sit de matrimonio infidelium. II. Matrimonium non dirimi, si uterque conjux ad fidem convertatur; quia tunc cessat ratio dispensationis divinæ, & quia, ut Innocentius III. ait, Extra, Cap. *Gaudemus*, de Divortiis: *Per Sacramentum Baptismi non solvuntur conjugia, sed crimina dimittuntur.* III. Prioris matrimonii vinculum non antea solvi, quam conversus secundum matrimonium actu inierit; quia ut ait Innocentius III. Extra, Cap. *Gaude-*

Consectaria hujus Privilegii.

Gaudemus, Si conversum ad fidem & illa conversa ſequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur. Sicque ſacram Congregationem Concilii A. 1727. decidiſse in causa Florentina testatur Benedictus XIV. Lib. VI. de Synodo Diœcesana, Cap. IV. Num. IV. Commoda ratio hæc aſsignari potest; quia nimirum in favorem Religionis Christianæ, & conversi, potestas illi ſit transeundi ad aliud conjugium. Ergo quamdiu ille vitam cœlibem agit, prioris matrimonii vinculum non ſolvitur. IV. Infidelem invalide contrahere matrimonium cum alio, priusquam conversus ad alias nuptias transierit; quia nimirum prioris matrimonii vinculum tamdiu perseverat: neque uxor duos maritos, aut maritus duas ſimul uxores habere potest. Hinc si conversus Religiosam profeſsionem emitteret, aut ſacros Ordines ſusciperet, uxor infidelis nullo amplius tempore ad alia vota poterit valide transire vivente adhuc converso. Si vero ille cum alia contraxerit, poterit etiam uxor infidelis, quamtumvis pertinax & obstinata in ſuo errore, valide cum alio infideli matrimonium inire; quia prioris matrimonii vinculum ex utraque parte ſolutum est, & nullo jure id facere prohibetur: non naturali, cum ſit jam ſoluta a priori vinculo: non positivo divino, quia prior non est amplius ejus vir: non denique Ecclesiastico, quia illi non est ſubjecta, cum Ecclesiam non ſit ingreſsa per Baptismum. V. Si post ſecundum matrimonium a converso initum, contingat uxorem infidelem converti, non tenetur conversus, mortua jam ſecunda conjuge, ad priorem conversam reverti; quia vinculum primi matrimonii jam diſsolutum fuit. Atque hac de causa non poſset illam ſine novo contractu resumere. VI. Conjugem ad fidem conversum non poſse aliud matrimonium contrahere, nisi prius partem infidelem monuerit, atque ad fidem Christianam amplectendam invitarit, & si illa certum aliquod tempus petierit ad deliberandum, illud ei conceſserit. Excipe, nisi monitio eſset moraliter impoſsibilis vel ob periculum vitæ aut ſubversionis, vel ob locorum diſtanti-

ſtantiam. Ratio est, quia privilegium contrahendi aliud matrimonium conjugi ad fidem converso ideo tantum conceſsum est, ut non cogatur aut cœlebs manere, aut cohabitare conjugi infideli cum magna quadam indecentia, vel etiam ſuo & liberorum periculo: quæ incommoda ceſsant, quando v. g. uxor infidelis parata est ſuperstitionem ſuam deserere. Ergo in eo casu conversus non potest aliud matrimonium contrahere.

VII. Quod si conjux infidelis velit pacifice & legitime cohabitare cum converso, nolit tamen Christianam fidem amplecti, non teneatur conversus cum ea habitare, & conjugale debitum ei reddere; quia, ut ſcribit S. Thomas Parte III. in Supplemento, Quæst. LIX. Artic. III. *In quo pari paſsu currunt infidelitas et adulterium, quia utrumque eſt contra bonum prolis. Unde ſicut ſe habet in poteſtate dimittendi adulteram, vel commanendi cum ea, ita ſe habet in poteſtate dimittendi infidelem, vel commanendi cum ea*, ex ſpe nimirum conversionis. Quod si vero conversus conjugem infidelem in ſuperstitione ſua obstinatam deprehendat, plurimi Theologi docent, præscindendo etiam a periculo perversionis, vel a contumelia in Deum, ex eo tantum capite quod uxor Christianis ſacris initiari nolit, poſse, immo etiam debere in nostris ſaltem regionibus, in quibus cohabitatio fidelis cum infideli ſcandalo foret & offensioni, uxorem infidelem deserere, & si continere ſe nolit, poſse etiam aliud cum fideli fœmina matrimonium contrahere. Alii tamen Theologi id negant: neque desunt alii, qui viam mediam ineunt, censentque in proposito casu ordinatione quidem divina licere converso ad alias nuptias convolare, ſed Apostolico consilio id repugnare, cum Apostolus I. ad Cor. Cap. VII. dicat: *Ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Si nimirum ſequeretur odium Christianæ Religionis, aut ſcandalum ex viri disceſsione: vel si vir remanendo prudenter ſperare potest conversionem uxoris infidelis. Atque hæc videtur fuiſse ſententia S. Augustini, qui Lib. I. de Conjugiis adulterinis, Cap. XIII.

ſcribit: *Non enim propter vinculum cum talibus conjugale ſervandum, ſed ut adquirantur in Chriſtum, recedi ab infidelibus conjugibus Apoſtolus vetat.* Et Cap. XVIII. *Tunc autem non expedit id quod licitum eſt, quando permittitur quidem, ſed usus ipsius poteſtatis aliis affert impedimentum ſalutis. Sicut eſt, unde jam diu loquimur, disceſsio fidelis conjugis ab infideli, quam non prohibet Dominus præcepto legis, quia coram illo injuſta non eſt; ſed prohibet Apoſtolus consilio charitatis, quia in infidelibus affert impedimentum ſalutis: non ſolum quia perniciosiſsime ſcandalizantur offensi; verum etiam quia in alia conjugia cum ceciderint viventibus eis a quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati difficillime resolvuntur.*

Matrimonium ratum vel conſummatum Fidelium quoad vinculum non dirimitur per lapsum unius conjugum in hæresin, vel Paganismum.

408. Quæres II. An Matrimonium fidelium dirimatur per lapsum unius in hæresin, aut idololatriam, vel aliam quamcunque ſectam a Christo alienam; ita ut innocens conjux potestatem habeat novum cum alia ineundi conjugium? Resp. Matrimonium ſemel valide contractum, ſive consummatum ſit, ſive etiam tantummodo ratum, in his casibus non dirimi. Prob. aſsertio I. Authoritate Tridentini, quod Seſs. XXIV. Can. V. de Sacram. Matrim. ſtatuit: *Siquis dixerit, propter hæresim - - - diſsolvi poſse matrimonii vinculum; anathema ſit.* II. Authoritate Pontificum. Innocentius III. Extra, Cap. *Quanto*, de Divortiis, ait: *Si vero alter fidelium conjugum vel labatur in hæresin, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc casu is qui relinquitur, vivente altero poſsit ad ſecundas nuptias convolare.* Et paulo post rationem aſsignat. *Nam etsi matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum: inter fideles autem verum & ratum exiſtit, quia Sacramentum fidei,* (nempe Baptismus) *quod ſemel eſt admiſsum, numquam amittitur, ſed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret.* Neque hic paritas institui potest cum matrimonio in infidelitate contracto. Apostolus enim nullibi ſcribit, Christum in favorem Ecclesiæ dispensaſse in matrimoniis fidelium; ſed in iis tantum quæ ab infidelibus con-

contracta sunt, si quis eorum Christianam fidem amplectatur, altera comparte in superstitione sua permanente. Immo Ecclesia, optima utique voluntatis Christi interpres, diserte in Tridentino definivit, matrimonii vinculum per hæresin non dissolvi.

Matrimonia Catholicorum cum hæreticis valida sunt, sed ordinarie graviter illicita.

409. Cæterum locuti hic sumus de matrimonio jam contracto. Si enim queratur, an fidelis possit cum infideli, aut Catholicus cum hæretica matrimonium contrahere. Resp. ad I. neque valide neque licite id posse: non licite, quia legem Ecclesiasticam sub gravi peccato obligantem transgreditur: non valide, quia id matrimonium, quamvis primis Ecclesiæ temporibus toleratum, jure tamen Ecclesiastico non scripto, per universalem consuetudinem jam a sæculo V. aut VI. introductam, viribus vacuum atque invalidum est, nisi Romanus Pontifex dispensaverit. Ad II. Resp. Matrimonium Catholici cum hæretica, aut vicissim, validum quidem esse, quidquid demum erratica Synodus Trullana Can. LXXII. statuerit; sed graviter illicitum, nisi gravissimæ adsint causæ, periculum perversionis absit, & Romanus Pontifex, aut illi qui ab eo hanc facultatem obtinuerint, in lege hac Ecclesiastica dispensarint. Prob. assertio I. Authoritate Scripturarum. Apostolus ad Titum Cap. III. scribit: *Hæreticum hominem, post unam & secundam correptionem, devita.* II. ad Cor. Cap. VI. *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas lucis ad tenebras?* Ubi vides eamdem rationem pugnare contra conjugia Catholicorum cum hæreticis, quam Apostolus affert adversus conjugia Christianorum cum Gentilibus. S. Joannes Epist. II. v. 10. ait: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis: qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.* Ergo multo minus juxta Apostolum licet Catholicis conjugia inire cum hæreticis, sicque cum illis communicare in Divinis. II. Authoritate Canonum, quibus constanter inhæsit Latina Ecclesia, adeo ut nulla consuetudo, quæ potius corruptela dicenda est, hac in re

legitimæ præscriptionis effectus sortiri valeat, reclamante semper per Canones Ecclesia. Eliberitanum Can. XVI. statuit: *Hæretici, si se transferre noluerint ad Ecclesiam Catholicam, nec ipsis Catholicas dandas esse puellas: sed neque Judæis, neque hæreticis, dare placuit; eo quod nulla possit esse societas fideli cum infideli. Si contra interdictum fecerint parentes, abstineri per quinquennium placet.* Laodicenum Can. X. *Eos qui ad Ecclesiam pertinent, indifferenter filios proprios hæreticorum nuptiis minime sociare debere.* Carthaginense III. Capit. XII. *Item placuit, ut filii vel filiæ Episcoporum, vel quorumlibet Clericorum, Gentibus, vel hæreticis, aut schismaticis matrimonio non jungantur.* Chalcedonense Can. XIV. *Sed neque copulari debet nuptura hæretico, aut Judæo, vel Pagano; nisi forte promittat se ad Orthodoxam fidem persona Orthodoxæ copulanda transferre. Si quis hanc definitionem sanctæ Synodi transgressus fuerit, correptioni canonicæ subjacebit.* Agathense Can. LXVII. *Quoniam non oportet cum omnibus hæreticis miscere connubia, & vel filios vel filias dare, sed potius accipere; si tamen profitentur Christianos futuros esse se & Catholicos.* Ex quibus patet, in iis locis ubi Catholici cum hæreticis permiscentur, nihil magis Pastoribus cordi esse debere, quam ut fideles ab hujusmodi nuptiis contrahendis deterreant.

In Lege veteri per libellum repudii matrimonium dissolvebatur quoad vinculum.

410. Quæres III. An in Lege veteri matrimonia Judæorum per libellum repudii dissoluta fuerint etiam quoad vinculum, ita ut uxor repudiata & licite & valide alteri nubere potuerit? Resp. affirmative. Prob. assertio I. ex verbis Legis. Deuteronomii Cap. XXIV. dicitur: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit: non poterit prior maritus recipere eam in uxorem; quia polluta & abominabilis facta est coram*

Domi-

Domino. Ergo per libellum repudii in Lege veteri vinculum matrimonii diſsolvebatur; Lex enim virum ſecundum repudiatæ vocat maritum, non adulterum: & ne leviter quidem indicat, tolerari potius repudium & nuptias cum alio ad vitanda majora mala, nempe uxoricidium, quam permitti tamquam rem licitam. Præterea Lex prohibet, ne vir uxorem ſemel a ſe repudiatam, etiam post mortem ſecundi mariti, iterum recipiat. Ergo ſufficienter indicat, diſsolutum fuiſse primi matrimonii vinculum; alias non prohibendum, ſed optandum fuiſset, ut uxor ad priorem & unicum maritum rediret, ne alteri nubendo perseveraret in adulterio.

411. Prob. II. variis rationibus. I^ma est. Nulla potest aſsignari ratio, cur Lex Mosaica toleraverit uxorem a viro repudiari, eamque ad alteras nuptias transire. Uxoricidium enim ſatis caveri potuiſset per ſolam ſeparationem a thoro & domo mariti: periculum vero incontinentiæ ex parte uxoris non vitabatur; quia ſatius fuiſset eam a ſecundis nuptiis arcere, non obstante aliquo incontinentiæ periculo, quam data matrimonium cum altero contrahendi licentia latam ad innumera adulteria viam ipsi aperire. II. Neque Moyses, neque ullus Prophetarum, quamvis alia Judaici populi vitia acriter insectati ſint, umquam prætensa ista adulteria reprehenderunt, quæ a repudiatis fœminis patrata fuiſse adversarii contendunt. At quomodo Lex vetus hæc adulteria paſsim permittens quin ea exprobraret, Sancta potuiſset a Davide nuncupari, & immaculata, convertens animas? III. Si vinculum matrimonii non fuiſset ſolutum per libellum repudii, iniquiſsima profecto fuiſset mulierum conditio. Cum enim mulieri numquam licitum fuerit plures habere maritos, ſicut marito plures habere uxores permittebatur; repudiata debuiſset perpetuo ſe continere, vel ſieri adultera. At quod Lex Mosaica repudiatas ad perpetuam continentiam, temporibus illis ſane infrequentem, obligare voluerit, id omnino incredibile est, præsertim cum ſæpius absque culpa ſua a viris repudiaren-

diarentur. IV. Sensus communis Judæorum erat, repudiatas ſecundum matrimonium ineundo nullum committere adulterium; alias fœminas illas lapidibus obruiſsent, cum Lex Mosaica lapidari jubeat adulteras. Ergo ſensus communis Judæorum erat, per libellum repudii prioris matrimonii vinculum diſsolvi. At vero erroneam fuiſse hanc Judæorum in re maximi momenti persuasionem unde probant adversarii?

Argumenta adversariorum.

412. Dices I. De muliere repudiata, quæ alteri marito nupsit, dicitur Deuteron. Cap. XXIV. *Polluta & abominabilis facta eſt coram Domino.* II. Jeremiæ Cap. III. legitur: *Si dimiserit vir uxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum: numquid revertetur ad eum ultra? numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus.* Ergo ſicut Israël ſpiritualiter fornicatus est Deos alienos adorando: ita mulier repudiata adulterii ream ſe constituebat nubendo alteri. III. Matth. Cap. XIX. Christus Pharisæis opponentibus, *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* Respondit: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis veſtri permisit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic.* Ergo Christus ſufficienter innuit, libellum repudii a Moyse Judæis permiſsum fuiſse, non ut licitum, ſed ut impune daretur ad vitanda majora mala. P. C. Duritia cordis non excusat a peccato. Ergo Moyses libellum repudii non permisit tamquam licitum. IV. Ad Rom. Cap. VII. ait Apostolus: *Vivente viro, vocabitur adultera ſi fuerit cum alio viro.* Ergo etiam adultera erat in Lege Mosaica, quia Cap. cit. v. 1. ait: *Scientibus enim legem loquor*, ſupple Mosaicam. V. S. Aug. Lib. de Bono conjugali, Cap. XVIII. ait: *Sicut duobus pluribusque ſervire, ſic a viro vivo in alterius transire connubium nec tunc licuit, nec nunc licet, nec umquam licebit.*

Contrarium non evincunt.

413. Resp. ad I. Mulierem illam pollutam appellari tum propter inustam illi a marito repudiante notam infamiæ; tum quia ab altero viro cognita est: ſed polluta & abominabilis dicitur pollutione & abomina-

minatione mere legali, non pollutione culpæ; eo scilicet modo, quo immundus dicebatur qui immundum tangebat aut leprosum, non immunditia culpæ, sed immunditia cujusdam irregularitatis legalis. Æquum autem erat, ut dissoluto jam per libellum repudii vinculo matrimonii, eam prior maritus non amplius posset recipere; quia eam ejiciendo publice, ac proinde coram Domino, eam pollutam & abominabilem esse judicaverat: & quia hoc fræno Deus cohibere voluit maritos, ne facile & levi de causa uxores suas dimitterent, certi se numquam posse semel dimissas recipere. Ad II. N. C. Argumentum illud est a minori ad majus; habentque citata Jeremiæ verba hunc sensum: Lex prohibet, ne mulier quæ repudiata alteri nupsit, a priori viro amplius recipiatur, si defuncto posteriore ad eum redierit: Ego tamen, ait Dominus, redeuntem ad me populum Israël recipiam, quamvis non solum me dimiserit, sed etiam spiritualiter fornicatus sit cum idolis. Sicque ostendit Propheta minorem esse hominis in hominem, quam Dei in homines clementiam. Ad III. N. C. Ad *prob.* N. C. Duritia cordis equidem non excusat a peccato; excusat tamen a peccato permissio facta a Deo occasione duritiæ, ut scribit S. Thomas in Supplem. Quæst. LXVII. Artic. III. ad IV. *Quamvis duritia cordis non excusaret a peccato, tamen permissio ex duritie facta excusat. Quædam enim prohibentur sanis, quæ non prohibentur infirmis corporaliter, nec tamen peccant infirmi permissione sibi facta utentes.* Igitur Deus in lege matrimonii dispensavit cum Judæis, & eorum infirmitati subvenit, more boni Principis, qui leges suas genio & indoli subditorum attemperat quantum æquitas patitur, præsertim cum in eo repudio mysterium lateret: si quidem per illud significabatur, Deum repudiata Judæorum Synagoga, Ecclesiam sibi ex Gentibus desponsaturum. Ad IV. N. C. Hæc enim dicit Apostolus, quia Christus sustulit libellum repudii, & matrimonium revocavit ad primævam suam institutionem atque indissolubilitatem. Ratio adjecta nihil evincit; verba enim illa intelligi possunt de scientibus

tibus legem, non Mosaicam, ſed Evangelicam. Quod si etiam Mosaica lex foret ſubintelligenda, Apostolus abrogationem a Christo factam prioris dispensationis omnibus promulgat tam Gentilibus quam Judæis; ne forsitan illi qui noverant factam fuiſse in veteri lege conceſsionem dimittendi uxores oblato repudii libello, existimarent verba hæc ad ſe non pertinere: ideoque ait, in posterum adulteras vocandas fore eas uxores, quæ vivente marito fuerint cum alio. At vero ne verbo quidem insinuat eas etiam in Lege veteri fuiſse adulteras, in qua vigebat permiſsio dandi libellum repudii. Ad V. Resp. S. Augustinum ita loqui ex lege ordinaria, & ſeclusa dispensatione divina: non enim ignorabat etiam in Lege nova matrimonium infidelium diſsolvi, quantumvis consummatum fuerit, Deo in favorem Christianæ Legis dispensante per conversionem alterius ad fidem.

Matrimonium non eſt jure naturali indiſſolubile.

414. Quæres IV. An Matrimonium ſit jure divino naturali, ac per ſe omnino perpetuum atque indiſsolubile? Resp. Matrimonii vinculum per ſe non eſse omnino indiſsolubile jure naturali proprie ac ſtricte dicto, ſed jure tantum divino positivo. Ita Thomas Sanchez Lib. II. de Matrim. Disput. XIII. Simonnet Tract. XVIII. de Matrim. Disput. IV. Artic. V. Ignatius Schwarz Instit. Juris Naturæ & Gentium, Parte II. Tit. I. de Statu hominis adventitio &c. Prob. I^ma^ pars aſsertionis iisdem ferme argumentis, quibus præcedente Controversia ostendimus, polygamiam de ſe Juri naturali non adversari. I. Solubilitas matrimonii, ſaltem pro multis casibus, & abstrahendo a lege positiva divina, non est de ſe intrinsecus mala. Ergo non exigit neceſsario a Deo prohiberi. P. A. In Lege Mosaica longe probabilius est diſsolutum fuiſse matrimonii vinculum per libellum repudii: certum autem omnino est, in nova Lege matrimonium infidelium, quamtumvis consummatum, dirimi quando unus conjugum Christianam fidem amplectitur, nolente alio ſine Creatoris injuria cohabitare; quia Deus in hoc casu dispensat in favorem Religionis Christianæ. Ergo

ſolu-

ſolubilitas matrimonii non est per ſe intrinsecus mala: quod enim ita malum est, nulla Dei dispensatione licitum reddi potest. II. Contractus matrimonialis ſolubilis mutuo consensu neque generationi prolis, neque illius educationi, neque humanæ propagationi repugnat, præcipue si uxor ſit ſterilis. Ergo non continet intrinsecam & fundamentalem malitiam. III. Matrimonium ratum inter fideles, quamvis verum ſit Sacramentum, per Religiosam profeſsionem diſsolvitur, ut constat ex Traditione, & Jure Ecclesiastico. Ergo multo magis, præscindendo a lege positiva Dei, matrimonium est natura ſua ſolubile, prout est contractus civilis, & merum officium naturæ.

415. Prob. altera pars aſsertionis. Genesis Cap. II. ait Adamus a Deo inspiratus, quia Christus Matth. Cap. XIX. ea verba ipsi Deo tribuit: *Quam ob rem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una.* Matth. Cap. XIX. postquam Christus recitavit verba, quibus primam matrimonii institutionem expreſsit Adamus, ſtatim ſubjunxit: *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet. --- Moyses ad duritiam cordis veſtri permisit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic. Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur.* Quibus verbis Christus matrimonium ad primam institutionem revocavit, non ſolum quoad uxoris ſingularitatem, ſed etiam quoad indiſsolubilitatem vinculi. Hinc etiam Apostolus I. ad Cor. Cap. VII. iis qui matrimonio juncti ſunt, dicit: *Præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod ſi discesserit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.*

Sed jure tantum divino positivo.

416. Dices I. Infidelis, qui repudiata prima uxore alias ducit, si ad Religionem Christianam convertatur, dimiſsis posterioribus uxoribus, tenetur priori reconciliari, ſiquidem illa Christianam fidem amplecti ſit parata. Ergo matrimonium est jure naturæ indiſso-

lubile. II. Infideles graviter peccant, repudiata prima uxore alias ducendo. Atqui non peccarent, si matrimonium non eſset jure naturali indiſsolubile. Ergo. P. min. Infideles non obligantur legibus Christianorum. Ergo. III. Gentiles paulo moratiores matrimonialem contractum celebrabant perpetuum atque indiſsolubilem. Ergo lumen rationis ostendit, matrimonia eſse jure naturali indiſsolubilia. IV. Si Matrimonium non eſset jure naturali indiſsolubile, proles ſæpe certo patre careret, prospectum non eſset illius educationi, vixque discrimen daretur fornicationem inter jure naturali prohibitam, & ejusmodi matrimonia. Ergo. Resp. ad I. C. A. N. C. Ex eo id ſolummodo evincitur, matrimonium jure positivo divino eſse indiſsolubile, quo Gentiles æque ac Christiani obligantur. Ad II. C. M. N. min. Ad *prob.* D. A. Infideles hoc ipso quod Ecclesiam per Baptismum non ſint ingreſsi, non obligantur legibus Ecclesiasticis Christianorum, C. A. Non obligantur lege divina positiva, qua obligantur Christiani, N. A. Infideles quamvis Ecclesiæ non ſubdantur, ſubjecti ſunt tamen Deo; ideoque lege divina tam naturali quam positiva obligantur æque ac Christiani. Ad III. N. C. Hæc moratiorum Gentium praxis ostendit quidem indiſsolubilitatem matrimonii eſse naturæ rationali magis consentaneam, quod facile adversariis damus; at non evincit ſolubilitatem hujus contractus eſse de ſe intrinsecus malam. Ad IV. Resp. Quando diximus, matrimonium non eſse per ſe jure naturæ indiſsolubile, minime aſseruimus, jure naturali illicitum non eſse ſingulis horis, diebus, mensibus, aut etiam ſingulis annis, prima repudiata uxore aliam ducere; tunc enim locum haberent incommoda quæ hic adversarii objiciunt: ſed hoc ſolum contendimus, ſpectato ſolo jure naturali conjugale vinculum non ita firmum eſse, ut qnandoque diſsolvi nequeat graviſsimis de causis, si generationi & debitæ prolis educationi notabile præjudicium ac damnum non inferatur. Itaque D. C. Ergo Matrimonium in eo casu eſset jure naturali indiſsolubile ratione ſui, N. C. Ratione circumstan-

stantiarum ac damni, quod tunc per accidens proli & reipublicæ obtingeret, C. Consec.

Matrimonium quoad thorum & cohabitationem dirimi potest, non modo ob fornicationem.

417. Quæres V. An Matrimonium non ratum modo sed etiam consummatum dirimi possit quantum ad thorum & cohabitationem, non tantum ob adulterii crimen, sed etiam ob plures alias justas gravesque causas? Resp. affirmative contra Protestantes, qui acriter contendunt, manente conjugii vinculo causam nullam esse conjuges a contubernio & thoro separandi. Hæc enim adeo conjuncta esse volunt, ut quamdiu subsistit vinculum, subsistat etiam obligatio commanendi. Prob. assertio I. Authoritate Scripturarum. Christus Matth. Cap. V. ait: *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.* Ergo sufficienter innuit, ob crimen adulterii posse conjugem dimitti, id est, separari a thoro & cohabitatione. Apostolus I. ad Cor. Cap. VII. scribit: *Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Ergo Apostolus supponit, per divortium non dirimi matrimonium quoad vinculum, quia decernit mulierem separatam debere manere innuptam: & divortium ex justa causa esse licitum; alias optionem non daret mulieri vel redeundi ad maritum, vel non redeundi, modo alteri non nubat. Protestantes dicunt, Paulum loqui de divortio injusto, & levi de causa facto. At pessime id dicunt. Si enim Apostolus ageret de separatione injusta & leves ob causas facta, optionem de qua paulo ante non dedisset, sed uxori determinate præcepisset, ut ad virum suum illico revertatur. Prob. II. Authoritate Conciliorum. Florentinum in Decreto pro Armenis ait: *Quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est.* Trident. Sess. XXIV. Can. VIII. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare cum multas ob causas separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.* Prob.

III. Authoritate Pontificum, Alexandri III. Extra, Cap. *Quæsivit*, de Divortiis. Urbani III. Cap. *De illa.* Innocentii III. Cap. *Litteras.*

Sed ob plures etiam gravesque causas.

418. Causæ, ob quas conjuges licite separari possunt quoad thorum & cohabitationem, salvo tamen matrimonii vinculo, plures assignantur. I^ma est, vitæ perfectioris studium, ob quod conjuges quandoque exemplo Sanctorum virorum, ex mutuo consensu continentiam vovent, aut etiam relicto sæculo in Monasterium secedunt, mercedem suo tempore percepturi, quam Christus Matth. Cap. XIX. promisit: *Omnis qui reliquerit domum - - - aut uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* II^da est, adulterium ab alterutro conjuge perpetratum, ut patet ex verbis Christi Matth. Cap. V. & XIX. Ad divortium autem non sufficit suspicio aut probabilitas hujus criminis admissi, sed requiritur certitudo saltem moralis, quæ si habeatur, potest conjux innocens propria authoritate privare compartem adulteram jure quod habuit ad debitum conjugale; non tamen potest sine authoritate Judicis, saltem ordinarie loquendo, divortium facere quoad habitationem. Contingere autem quandoque potest, ut conjugi innocenti non liceat a thoro excludere adulteram, si vi nempe oppressa fuit, aut ab alio sub specie viri, vel marito connivente ac conscio &c. de quibus consule Casuistas. Fieri etiam quandoque potest, ut non modo liceat, sed etiam teneatur pars innocens a thoro excludere compartem adulteram, si nimirum alia correctionis media non suppetant, aut sint inefficacia. III. est, hæresis, seu fornicatio spiritalis, juxta illud Apostoli ad Titum Cap. III. *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita.* IV^ta est, detrimentum spirituale alterutrius conjugis: si nimirum alter conjugum impellit alterum ad peccandum, ita ut ei cohabitare sine manifesto Deum offendendi periculo nequeat. Tunc enim locum habet præceptum Christi Matth. Cap. XVIII. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te: bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos*

oculos

oculos habentem mitti in gehennam ignis. Quæ verba explicans S. Hier. Comment. in Matth. ait, deserendos esse parentes, filios, uxorem, omnesque oculorum instar charos, si spiritalis nostræ ruinæ causa fuerint & occasio. V^ta^ est, implacabile odium & sævities, v. g. mariti, continua jurgia, rixæ, verbera, machinatio cædis, &c. ut patet ex Cap. *Litteras*, Extra, de restitutione spoliatorum, in quo Innocentius III. ait: *Si vero tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri: non solum non debet illi restitui, sed ab eo potius amoveri.* Si vero mulier sibi a viro metuat castigationem moderatam, non potest a viro divertere, quia maritus jus habet moderate castigandi uxorem. Porro in his causis jus divortii æquale est in utroque conjuge, quia in iis quæ pertinent ad thorum, pares sunt maritus & uxor. Qua in re probe notanda sunt S. Augustini verba Lib. II. de Conjugiis adulterinis, Cap. VIII. *Indignantur, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas; cum tanto gravius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. Christianis equidem loquor, qui fideliter audiunt, Caput mulieris vir: ubi se agnoscunt duces, illas autem comites esse debere: & ideo cavendum viro illac ire vivendo, qua timet ne uxor sequatur imitando.*

419. Dices I. Christus Matth. Cap. V. & XIX. dimissionem conjugis pronuntiat esse illicitam, præterquam in causa fornicationis. Ergo divortium ob alias causas est graviter illicitum. II. Apostolus I. ad Cor. Cap. VII. scribit: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.* III. Divortium exponit conjuges periculo adulterii. Ergo est illicitum. Resp. ad I. D. A. Christus dimissionem conjugis ad tempus pronuntiat esse illicitam, præterquam in causa fornicationis, N. A. Dimissionem perpetuam, de qua sola fuit interrogatus, C. A. N. C. Judæis quærentibus, an liceat ex quacunque causa uxorem dimittere per libellum repudii, quo repudiata in perpetuum vetabatur ad priorem maritum redi-

redire, Christus consentanee ad interrogata respondit, non licere illam sic dimittere, nisi in causa fornicationis; quia propter alia crimina divortium fit solummodo ad tempus, donec conjux nocens resipiscat: si enim ille ad frugem redierit, tenetur eum pars innocens recipere, eique affectu maritali cohabitare. At vero ob adulterium fieri potest divortium perpetuum, ita ut etiamsi qui adulterium commisit, resipuerit, alter tamen conjux per totam vitam liberetur a debito reddendo; neque ex justitia amplius teneatur eumdem recipere, aut illi cohabitare. Ad II. Resp. Apostolum citatis verbis non vetare ne umquam uxor a viro discedat; sed ne discedat absque justa & legitima causa, ut manifestum est ex iis quæ illico subjungit: *Quod si discesserit*, (nimirum ex justa & legitima causa) *manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Ad III. D. A. Divortium exponit periculo remoto adulterii, C. A. Proximo, N. A. vel subdist. Ita ut periculum adulterii, cui objicitur dimissus, non imputetur dimittenti, qui utitur jure suo, sed ei qui causam dimissionis dedit, C. A. Aliter, N. A. Pars dimissa sufficientia habet ad vitandum adulterium media, nempe ferventem orationem, usum Sacramentorum, macerationem carnis &c. Quod si in proximo versetur adulterii periculo, id partim negligentiæ suæ in adhibendis his mediis, partim improbitati suæ, qua divortium promerita est, debet adscribere.

Matrimonium Fidelium ratum, at non consummatum dirimitur quoad vinculum per solemnem conjugis professionem in religione approbata.

420. Quæres VI. An Matrimonium ratum baptizatorum in nullo casu dirimatur quoad vinculum? Resp. Matrimonium fidelium ratum, at nondum consummatum, dirimitur quoad vinculum per solemnem conjugis professionem in Religione approbata ab Ecclesia, ita ut liceat post illam alteri parti in sæculo remanenti ad alias nuptias transire. Dixi I. *Matrimonium nondum consummatum.* Si enim post matrimonii consummationem uterque, vel unus etiam conjugum ex mutuo consensu solemnem professionem in Religione approbata emittat, non amplius quidem usus matrimonii conceditur; manet tamen vinculum, ita ut ad alias nupti-

nuptias transire non amplius liceat. II. *Per ſolemnem profeſsionem*, non vero per ingreſsum Religionis, aut per vota ſimplicia in Religione facta: ideoque pars manens in ſæculo, antequam novum matrimonium ineat, expectare tenetur profeſsionem compartis.

421. Prob. Conclusio hæc dogmatica contra Protestantes, I. Authoritate Tridentini, quod Seſs. XXIV. Can. VI. definit: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non conſummatum, per ſolemnem Religionis profeſsionem alterius conjugum non dirimi; anathema ſit.* Prob. II. Authoritate Pontificum. Alexander III. Extra, de Conversione conjugatorum, Cap. *Verum*, ait: *Verum poſt conſensum legitimum de præſenti, licitum eſt alteri, altero etiam repugnante, eligere Monaſterium, ſicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt, dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos: & alteri remanenti, ſi commonitus continentiam ſervare noluerit, licitum eſt ad ſecunda vota transire. Quia cum non fuiſsent una caro ſimul effecti, ſatis poteſt unus ad Deum transire, & alter in ſæculo remanere.* Et Cap. *Ex publico*, idem Pontifex cupienti profiteri duos menses concedit ad deliberandum, quibus elapsis aut Religionem ingrediatur, aut uxori adhærere compellatur. Solvit dein objectionem, quæ peti potest ex Evangelio prohibente virum ab uxore non discedere, excepta fornicationis causa: *Sane quod Dominus in Evangelio dicit, non licere viro niſi ob causam fornicationis uxorem ſuam dimittere, intelligendum eſt ſecundum interpretationem ſacri eloquii, de his quorum matrimonium carnali copula eſt conſummatum, ſine qua conſummari non poteſt.* Innocentius III. Cap. *Ex parte*, de Conversione conjugatorum: *Nos tamen nolentes a prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis declinare, qui respondere conſulti, antequam matrimonium ſit per carnalem copulam conſummatum, licere alteri conjugum reliquo inconſulto, ad Religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari: hoc ipsum tibi conſulimus obſervandum.* Prob. III. Exemplis Sanctorum virorum & fœminarum, qui inito jam matrimonio, ſed ante ejus consummationem,

ſpon-

ſponsas aut maritos deseruerunt, ut monasticam vitam profiterentur, aut castitatem colentes divino ſe obsequio manciparent. De S. Thecla testantur id S. Epiphanius Hær. LXXVIII. & S. Ambr. Lib. II. de Virginibus: de S. Cæcilia, S. Alexio, & S. Euphrasia Simeon Metaphrastes: de duobus militibus S. Aug. Lib. VIII. Confeſs. Cap. VI. de S. Leobardo S. Gregor. Turon. Lib. de Vitis Patrum, Cap. ultimo: de Virgine Gregoria S. Gregor. M. Lib. III. Dial. Cap. XIV: de Edilrida Angliæ Regina Ven. Beda Lib. IV. Hist. Angl. Cap. XIX. Unde merito locum hic habet Augustiniana regula Lib. IV. de Bapt. contra Donatistas, Cap. XXIV. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, ſed ſemper retentum eſt, non nisi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſsime creditur.*

Quidquid Proteſtantes obganniant.

422. Dices I. Divinum est præceptum Matth. Cap. XIX. Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. Ergo matrimonium ratum non potest dirimi per profeſsionem ſolemnem. II. S. Gregor. M. Lib. IX. Epist. XXXIX. ad Theoctistam ſcribit: *Etsi dicunt aliqui, conjugia religionis causa debere diſsolvi; ſciendum eſt, quia etsi hoc lex humana conceſsit, lex divina tamen prohibuit; per ſe enim veritas dicit: Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. Quis ergo huic cœleſti Legislatori contradicat?* III. Matrimonium consummatum non dirimitur per ſolemnem profeſsionem. Ergo neque ratum, quia utrumque eſt Sacramentum, repræsentans indiſsolubilem Chriſti unionem cum Ecclesia. IV. Matrimonium ratum non dirimitur per ſusceptionem Sacrorum Ordinum, aut etiam Episcopatus. Ergo multo minus per ſolemnem profeſsionem religiosam. V. Conjuges matrimonium contrahendo reciprocam faciunt ſui corporis potestatem. Ergo absque injuria conjugis renitentis, non potest alter ſtatum religiosum amplecti. VI. Non potest homo a ſtatu minus perfecto ad perfectiorem transire cum detrimento alterius. Ergo neque conjux potest amplecti ſtatum religiosum; quia magnum inferret damnum alteri conjugi, qui ſine maxima molestia expectare teneretur per integrum annum, donec ille ad ſolemnem

mnem profeſsionem admittatur: & famæ jacturam faceret, quia homines ob nescio quæ delicta aut defectus nuptias resciſsas fuiſse ſuspicarentur. VII. Matrimonium ratum dirimi per ſolemnem profeſsionem neque Scriptura docet, neque traditio. Ergo id fide divina credi nec potest, nec debet. P. A. Exempla quæ attulimus, neque probant Sanctos illos viros ac fœminas ſolemne votum in Religione approbata emisiſse, cum primum ſæculo XIII. ab Innocentio III. ſtatutum fuerit, ne quis novum Ordinem religiosum instituat ſine approbatione Sedis Apostolicæ: neque etiam ostendunt, matrimonia illa fuiſse etiam quoad vinculum conjugale ſoluta, ita ut pars derelicta potuerit ad alia vota transire. Ergo.

Quorum exceptiones enervantur.

423. Resp. ad I. cum Alexandro III. Extra, de Conversione conjugatorum Cap. *Ex publico*, verba illa Christi intelligenda eſse de matrimonio consummato, quia Christus Matth. Cap. XIX. loquitur de iis conjugibus, qui ſunt unum quid in carne una. Atqui conjuges non ſunt una caro, antequam matrimonium consummaverint, ſaltem proprie loquendo, & non inchoative tantum. Ad II. C. A. N. C. S. Gregorius M. l. c. non loquitur de matrimonio rato, ſed de consummato, quod merito negat per Religiosam profeſsionem quoad vinculum dirimi; illico enim ſubjungit: *Scimus, quia ſcriptum eſt, erunt duo in carne una: ſi ergo vir & uxor una caro ſunt, & Religionis causa vir dimittit uxorem, & mulier virum in hoc mundo remanentem, vel etiam fortaſse ad illicita vota migrantem, quæ eſt iſta migratio, vel conversio; in qua una eademque caro & ex parte transit ad continentiam, & ex parte remanet in corruptione?* Quare leges civiles Justiniani Novella XXIII. Cap. XL. & Cod. Tit. de Episcopis & Clericis, improbat, quibus matrimonium etiam consummatum per profeſsionem religiosam dirimebatur etiam quoad vinculum. Ad III. C. A. N. C. Matrimonium consummatum fidelium pro omni casu est indiſsolubile, non quia præcise est verum Sacramentum; ſed quia perfecte ſignificat indiſsolubilem unionem Christi cum Ecclesia per cha-

ritatem & Incarnationem, quam non ita perfecte repræsentat matrimonium ratum. Ad IV. C. A. N. C. Per susceptionem sacrorum Ordinum, atque etiam Episcopatus homo civiliter non moritur, sicut Religiosus: neque hæc conditio, *Nisi Ordinem sacrum suscepero*, apposita censetur contractui matrimoniali; ideoque Joannes XXII. in Extravag. *Antiquæ* Tit. VI. de Voto, statuit: *De Fratrum nostrorum consilio præsenti declaramus edicto, quod licet votum solemnizatum per sacri susceptionem Ordinis, quantum ad impediendum matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum, si post contractum fuerit, secundum statuta Canonum sit efficax reputandum: ad dissolvendum tamen prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, cum nec jure divino, nec per sacros reperiamus Canones hoc statutum, invalidum est censendum.* Ad V. D. A. Conjuges reciprocam faciunt sui corporis potestatem sub conditione imbibita, & per sacros Canones declarata, si nimirum matrimonii consummatio morte civili per solemnem in approbata Religione professionem non prævertatur, C. A. Absolute, & absque hac conditione, N. A. & Consec. Hæc potestas sui corporis cum ab utroque conjuge fiat sub tali conditione, injustitiæ accusari nequit qui matrimonio ante ejus consummationem nuntium mittens, totum se Deo per religiosæ vitæ professionem mancipat. Ad VI. C. A. N. C. cum ratione addita. Suspiciones inanes malevolorum hominum contemnendæ sunt, & sæpissime neque in ipso conjugio satis præcaveri possunt: molestia autem illa ex procrastinatione professionis orta, æquo animo ferenda est; tum quia Sponsi, dum matrimonium ineunt, dispositionem juris ignorare non præsumuntur; tum quia idem incommodum ipsis esset perferendum, si post initum statim matrimonium alteruter in gravem ac diuturnum morbum incideret. Ad VII. N. A. Ad *prob.* Resp. Matrimonia illa fuisse quoad vinculum conjugale soluta, ostenditur tum ex æquitate naturali, tum præcipue ex Traditione, ut testantur Alexander III. & Innocentius III. qui in Ecclesiam non jus aliquod novum in-

duxe-

duxerunt, sed antiquæ Romanorum Pontificum prædecessorum suorum doctrinæ ac consuetudini se inhærere professi sunt. Quamvis autem Sancti illi viri ac fœminæ solemnem professionem in Religione a Romanis Pontificibus approbata non emiserint, vitam tamen religiosam ac monasticæ similem duxerunt; quia spretis carnis illecebris, ac rerum omnium temporalium sollicitudine abdicata, soli Deo serviebant, a sæculi tumultu & nuptiarum operibus alieni. Quod si dicas: Ergo vel priscis temporibus solo voto continentiæ matrimonium ratum non rescindebatur, vel nostra etiam ætate sola voti simplicis nuncupatione abrumpitur, quin opus sit solemnem professionem emittere in Religione approbata. Resp. N. illatum. Ecclesia enim posterioribus temporibus justis omnino de causis, quæ priscis sæculis non ita urgebant, votum continentiæ ut validum sit ad abrumpendum vinculum matrimonii rati, certis restrinxit conditionibus, ut nempe solemne esse debeat, & in approbata aliqua Religione emissum. Ex quo sequitur, prioribus sæculis matrimonii rati vinculum fuisse solo continentiæ voto rescissum; posterioribus autem temporibus sola voti simplicis nuncupatione illud non abrumpi.

424. Quæres VII. Quonam jure Matrimonium ratum per solemnem professionem in Religione approbata dirimatur quoad vinculum immediate? Resp. non dirimi jure naturali, aut positivo divino, sed Ecclesiastico. Prob. I^ma^ pars assertionis I^mo^. Professio religiosa non dirimit jure naturali matrimonium contrahendum. Ergo multo minus dirimit jam contractum. P. A. Professio religiosa inducit tantum obligationem repugnantem usui matrimonii, non autem dominio reciproco corporum, quod habent conjugati: ideoque jure tantum Ecclesiastico irritat matrimonium contrahendum. Ergo. II. Matrimonii vinculum stare potest cum vinculo Religionis, ut patet in eo qui post matrimonii consummationem ex uxoris consensu Religionem ingreditur, atque in ea professionem emittit. Ergo cum vinculum matrimonii non sit ex natura sua in-

Probabilius tamen per professionem religiosam non dirimitur jure naturali.

compoſsibile cum profeſsione religiosa, jure naturali profeſsio religiosa non dirimit matrimonium ratum. Neque dicas: Profeſsio religiosa est mors civilis, mors ſpiritalis, ſtatus perfectior. Ergo ex natura rei dirimit matrimonium ratum. Nam Resp. N. C. Profeſsio religiosa idcirco dicitur mors civilis, quia profeſsum reddit incapacem dominii, & matrimonii contrahendi ex dispositione juris Ecclesiastici: mors ſpiritalis vocatur, quia per eam vita mundana in perpetuum repudiatur; at cum hoc repudio ſtare potest vinculum matrimonii consummati, ideoque a fortiori etiam vinculum matrimonii rati: est ſtatus perfectior, adeoque incompoſsibilis cum usu, non cum vinculo matrimonii, ut patet in eo, qui post ſusceptos liberos consentiente uxore in Monasterio profitetur.

Aut jure positivo divino.

425. Prob. II. pars aſsertionis. Si profeſsio in Religione approbata matrimonium ratum jure divino dirimit, hanc vim habet vel quia est ſtatus ad perfectionem tendentium; vel ratione voti Castitatis cui repugnat usus matrimonii; vel denique ratione ſolemnitatis. Atqui nihil horum dici potest. Ergo. P. min. Non dici potest primum; nam Religio non approbata est etiam ſtatus hominum ad perfectionem tendentium, cum æque in illa observari queant consilia Evangelica, & primis XII. ſæculis nulla fuerit Religio a Romanis Pontificibus ſpeciali Constitutione approbata. Non ſecundum; quia profeſsio in Religione non approbata connexa eſse potest cum voto ſimplici Castitatis perpetuæ. Non denique tertium; nam ſolemnitas non est juris divini, ſed mere Ecclesiastici. Hinc Bonifacius VIII. Cap. unico de Voto in VI^to^ ait: *Nos igitur attendentes, quod voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ inventa eſt, -- præsentis declarandum duximus oraculo ſanctionis, illud ſolum votum debere dici ſolemne, quantum ad poſt contractum matrimonium dirimendum, quod ſolemnizatum fuerit per ſusceptionem ſacri Ordinis, aut per profeſsionem expreſsam vel tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis. Reliqua vero vota, etsi quandoque matrimonium impediant contrahendum, ---* (redden-

dendo illud illicitum) *non tamen rescindere poſsunt matrimonia poſt contracta.*

426. Prob. III. pars aſsertionis. Certum est, quod ſolemnis profeſsio in Religione approbata dirimat matrimonium ratum. Atqui non dirimit illud jure naturali, vel ſolo jure divino positivo. Ergo dirimit illud immediate jure Ecclesiastico. Dixi, *immediate jure Eccleſiaſtico.* Jure enim divino positivo, de quo nobis ex verbo tradito ſufficienter constat, Christus vinculum matrimonii rati fidelium dirimi voluit per votum continentiæ, ita tamen ut Ecclesiæ plenam reliquerit potestatem votum continentiæ certis conditionibus restringendi, quæ si non impleantur, effectum hunc dirimendi vinculum matrimonii rati non habeat. Immo longe probabilius mihi videtur, Christum Summo Pontifici, tamquam ſuo in terris Vicario, ſicut vota relaxandi justas ob causas, ita etiam matrimonii rati vinculum, præter ſolemnem in Religione approbata profeſsionem, aliis etiam gravibus de causis dirimendi feciſse potestatem; ut ostenditur tum ex eo, quod Papa dispensare poſsit in voto ſolemni Religionis, quod fortius eſt vinculo matrimonii rati; tum ex praxi Summorum Pontificum, qui ſæpius in ejusmodi conjugiis dispensarunt justas gravesque ob causas, ut S. Gregorius VII. de quo Baronius in Annal. Eccles. ad A. 1074. Martinus V. Eugenius IV. Alexander VI. Paulus III. Pius IV. Gregorius XIII. undecies una die, Paulus V. Urbanus VIII. quos omnes in re tam gravi erraſse dici vix potest absque temeritate.

Sed immediate jure Ecclesiaſtico.

Argumenta contraria refutantur.

427. Objic. I. Authoritas Scripturarum. Matth. Cap. XIX. Christus ait: *Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem ſuam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur: & qui dimiſsam duxerit moechatur.* Idem dixerat Matth. Cap. V. *Dico vobis: Quia omnis, qui dimiserit uxorem ſuam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari: & qui dimiſsam duxerit, adulterat.* Ergo

Proteſtantibus & Græcis minime ſuffragatur authoritas Scripturarum.

go juxta Domini ſententiam, qui dimittit ob fornicationem uxorem ſuam, & aliam ducit, non moechatur. Ergo ob causam adulterii matrimonium dirimitur quoad vinculum. Resp. C. A. N. C. Verba illa, *nisi ob fornicationem*, non ad verba ſequentia, *Et aliam duxerit*, ſed ad præcedentia, *Quicunque dimiserit uxorem ſuam*, pertinent; ita ut ſensus ſit: Quicunque, ſolo excepto fornicationis casu, uxorem ſuam repudiaverit, eaque ſuperstite, ſive fornicata ſit, ſive non, aliam duxerit, moechatur. Atque hanc genuinam eſse citati textus interpretationem ostendimus I. ex consensu cæterorum Evangelistarum & Apostoli. Marcus enim Cap. X. Lucas Cap. XVI. Apostolus ad Rom. Cap. VII. nulla facta fornicationis mentione, illimitate adulterum vocant, qui dimiſsa ac repudiata uxore aliam ducit. II. Ex ipsis Christi verbis Matth. Cap. XIX. qui non dixit, *Et qui dimiſsam duxerit, nisi ob fornicationem, moechatur;* ſed, *Qui dimiſsam duxerit, moechatur.* Ut nempe indicaret, licitam quidem fornicationis causa fieri dimiſsionem uxoris quoad thorum & habitationem, non vero quoad vinculum, ita ut novum conjugium iniri queat. III. Ratione. Vel enim in posterioribus verbis, *Et qui dimiſsam duxerit, moechatur*, ſubintelligitur illa exceptio, *Nisi ob fornicationem*, vel non? Si primum: ergo melior erit conditio repudiatæ ob adulterium, quam innocentis conjugis injuste dimiſsæ; prior enim poterit absque crimine alteri marito jungi, at non posterior innocens & casta. Atqui hoc repugnat æquitati & ſapientiæ Christi ſanctiſsimi Legislatoris nostri, qui certe adulteræ magis quam innocenti favere nec potuit, nec voluit. Si alterum dicas, nempe illam exceptionem non ſubintelligi; quæro cum S. Augustino Lib. I. de Conjugiis adulterinis, C. p. XII. *Quomodo eſt verum? Quomodo moechatur, nisi illa quam duxit, eo vivente a quo dimiſsa eſt, adhuc uxor aliena eſt? Si enim jam ſuæ, non alienæ miscetur uxori, utique non moechatur: moechatur autem: aliena eſt ergo, cui miscetur. Porro ſi aliena eſt, hoc eſt, ejus a quo dimiſsa eſt, nondum dimittentis uxor eſse ceſsavit.*

428.

428. Dices I. Multæ ſunt præter fornicationem causæ, ob quas uxores a thoro dimittere licet. Ergo quando Christus ait uxorem dimitti non poſſe, nisi ob fornicationem, loquitur de matrimonii diſsolutione quoad vinculum. R. D. A. Multæ ſunt causæ, ob quas uxores a thoro licet dimittere ad tempus, C. A. Perpetuo, N. A. & Consec. Aliis de causis ad tempus potest uxor dimitti, donec resipuerit, atque ad ſaniorem mentem redierit. At propter fornicationem absolute & in perpetuum dimitti potest, ita ut etiamsi dimiſsa resipuerit, maritus eam resumere ex justitia minime teneatur; non enim dimittitur ne faciat, ſed quia fecit injuriam: non ut culpam corrigat, ſed ut reliquo vitæ tempore commiſsi criminis pœnas luat. Accedit, quod aliæ dimittendæ uxoris causæ propriæ non ſint matrimonii, ſed omni consortio communes: Adulterium vero causa eſt uxoris dimittendæ propria matrimonii, quia conjugalem fidem turpiter violat, quæ est quodammodo matrimonii basis.

429. Dices II. Christus a Judæis interrogatus fuit de dimiſsione uxoris non modo quoad thorum, ſed etiam quoad vinculum; quia loquebantur de dimiſsione uxoris per libellum repudii. Matth. Cap. XIX. *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* Ergo Christus respondit illis de dimiſsione quoad vinculum. Ergo permisit ob causam fornicationis uxorem dimittere, & aliam ducere. Resp. C. A. N. C. Christus de dimiſsione quoad vinculum respondit illam abrogando, non approbando, etiam in causa fornicationis. Duplex erat Judæorum in dimittendis uxoribus consuetudo. I^ma. quod uxores dimitterent non ob adulterium; adulteræ enim juxta Legis præscriptum lapidibus obruebantur: ſed ob alias leviores causas, ut patet ex Cap. XXIV. Deuteron. *Si acceperit homo uxorem, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem: ſcribet libellum repudii.* II^da. quod repudians aliam ducere uxorem potuerit, & repudiata alteri viro jungi. Posteriorem hanc consuetudinem Christus omnino improbavit & abrogavit, omnes illos adulteros

pro-

pronuntians, qui repudiata quacunque de causa uxore aliam duxiſsent: priorem vero, id est, dimiſsionem perpetuam conjugis a thoro, ob causam fornicationis tantum permisit. Unde utrumque moechari ait, & illum qui alia de causa quam ob fornicationem, uxorem perpetuo excludit a thoro, & illum qui repudiata etiam ob causam fornicationis uxore aliam ducit. Posterior quidem moechari dicitur, quia aliam ducendo verum committit adulterium, eoquod prioris matrimonii vinculo adhuc ligetur, & polygamia fuerit a Christo prohibita: prior vero, quia ut Matth. Cap. V. dicitur: *Facit eam moechari;* eoquod ob aliam causam, præterquam fornicationis, uxorem perpetuo excludendo a thoro fidem conjugalem violat, ſibique & uxori periculum affert moechandi. Si quæras, cur Christus omiſsa omni fornicationis mentione, Matth. Cap. XIX. non responderit Judæis, *Quicunque dimiserit uxorem ſuam, & aliam duxerit, moechatur?* Resp. Christum eo ex capite forsitan non ita respondiſse, ne fideles, quibus valde grave fuiſset adulteram retinere, existimarent Dominico præcepto cautum eſse, ne uxorem adulterii ream perpetuo excluderent a thoro conjugali.

S. Auguſtini. 430. Obj. II. Authoritas S. Augustini, qui Lib. de Fide & Operibus, Cap. XIX. ſcribit: *In ipsis diviuis ſententiis ita obscurum eſt, utrum & iſte, cui quidem ſine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur ſi alteram duxerit, ut, quantum exiſtimo, venialiter ibi quisque fallatur.* Ergo ipsi Augustino certa res non videbatur, matrimonium non diſsolvi quoad vinculum ob causam adulterii. II. Idem Lib. I. de Sermone Domini in Monte, Cap. XVI. *In hoc Evangelii capitulo nihil fortius considerandum eſt, quam tantum malum eſse fornicationis, ut cum tanto vinculo ſibi conjugia conſtringantur, hæc una causa ſolutionis excepta ſit.* Ergo omnino putavit diſsolvi matrimonium quoad vinculum ratione adulterii; quia quoad thorum diſsolvi potest etiam ob alias causas. Resp. N. C. Augustino ſententia nostra certa omnino videbatur, ut patet legenti loca ex Augustino adducta Num. 401; ideoque eos qui contrarium

rium opinabantur falli pronuntiat, sed venialiter, quia res hæc illo ævo nondum satis erat eliquata. Ad II. N. C. S. Augustinus idcirco fornicationem vocat unicam causam solutionis matrimonii, quoad thorum nempe, quia propter illam potest pars rea absque injustitia perpetuo e maritali thoro excludi: & quia hæc sola est propria divortii causa matrimonio intrinseca, utpote contra bonum fidei & prolis; aliæ vero causæ sunt generales, omnique consortio & societati communes.

431. Obj. III. Auctoritas S. Basilii, qui Epist. I. ad Amphilochium Iconii Episcopum, Can. IX scribit: *Quæ reliquit est adultera, si ad alium virum accessit; relictus vero est dignus venia, & quæ cum eo habitat, non ideo condemnatur. Si tamen vir ab uxore discedens accesserit ad aliam, est & ipse adulter, quoniam facit eam adulterari: & quæ cum eo habitat, est adultera, eoquod alienum virum ad se traduxerit.* Resp. oppido difficilem & implicatum esse hunc Basilii canonem; verisimilius tamen est, S. Doctorem sensisse, quod vir dimissa ob adulterium uxore aliam ducens, re vera adulterium committat. *Si tamen vir*, inquit, *ab uxore discedens accesserit ad aliam, est & ipse adulter:* nihilominus tamen esse *venia dignum*, id est, non esse subjiciendum pœnitentiæ canonicæ, quam adulteris Ecclesia imponebat; idque ob consuetudinem, quamvis irrationabilem, quæ in Oriente passim invaluerat: At vero mulierem, quæ, postquam se ob adulterium mariti ab illo separaverat, cum altero viro matrimonium contraxit, & adulteram esse, & adulterorum pœnitentiæ obnoxiam. Alium certe sensum integer Canon habere non videtur, quem proin juvabit adducere, licet paulo prolixior sit. *Domini sententia juxta sensus consequentiam æque viris ac mulieribus convenit, quod non liceat a matrimonio discedere, excepta causa fornicationis. At vero consuetudo non ita se habet, sed in mulieribus quidem nimiam adhiberi severitatem reperimus, dicente sane tum Apostolo, Qui adhæret meretrici,* *S. Basilii.*

trici, fit unum corpus: tum Jeremia, Si fuerit mulier cum alio viro, non revertetur ad virum ſuum, ſed polluta polluetur. Et rurſus: Qui habet adulteram, ſtultus eſt & impius. Conſuetudo vero etiam adulterantes viros. & qui in fornicationibus verſantur, mandat a mulieribus retineri. Quare quæ cum viro dimiſſo habitat, neſcio an poſſit adultera appellari. Crimen enim hic attingit mulierem quæ dimiſit, quam ob cauſam a conjugio receſſit? Sive enim pulſata, & verbera non ferens, pati ſatius erat quam a conjugio ſeparari: ſive jacturam in pecuniis non ferens, nec ipſa eſt digna excuſatio. Sin autem quod ipſe vivat in fornicatione, non eſt ejusmodi obſervatio in more Eccleſiaſtico poſita; ſed etiam ab infideli viro non eſt juſſa mulier ſeparari, ſed ad extremum manere propter incertitudinem eventus. Quid enim ſcis mulier, an virum ſis ſervatura? Quare quæ reliquit, eſt adultera, ſi ad alium virum acceſſit, relictus vero eſt dignus venia, & quæ cum eo habitat, non ideo condemnatur. Si tamen vir ab uxore diſcedens acceßerit ad aliam, eſt & ipſe adulter, quoniam facit eam adulterari: & quæ cum eo habitat, eſt adultera, eoquod alienum virum ad ſe traduxerit. Porro expositionem hujus Basiliani Canonis IX. a nobis factam, inverisimilem non eſse, ostenditur ex eadem Epist. S. Doctoris ad Amphilochium, Can. XXI. in quo S. Basilius ait: *Si vir cum uxore habitans, matrimonio non contentus in fornicationem inciderit, ejuſmodi fornicatorem judicamus, & eum pœnis amplius gravamus; Canonem tamen non habemus, qui etiam adulterii crimini eum ſubjiciat, ſi in ſolutam & liberam a matrimonio peccatum commiſſum ſit. -- Qui autem fornicatus eſt, non excludetur a cohabitatione cum uxore. Quocirca uxor quidem maritum ſuum a fornicatione revertentem excipiet: vir autem eam quæ adultera effecta eſt, a ſuis ædibus amandabit, & eam invitus aßumere non cogetur. Ac eorum quidem ratio minime eſt facilis, conſuetudo vero ſic invaluit.* Vide hac de re plura apud Petrum Arcudium Lib. VII. de Concordia, Cap. XXI. & XXII. Præterea quamvis S. Basilius hac in

re

re nobis esset contrarius, cæterorum tamen Patrum auctoritas merito illi præferenda esset hoc in negotio.

Aliorumque Patrum.

432. Obj. IV. Auctoritas cæterorum Patrum. S. Ambr. Comment. in Cap. VII. I. ad Cor. ait: *Viro licet ducere aliam uxorem, si dimiserit uxorem peccantem; quia non ita lege constringitur vir sicut mulier; caput enim mulieris vir est.* II. Lactantius Institut. divin. Lib. VI. Cap. XXIII. ait, *esse adulterum, qui a marito dimissam duxerit, & eum qui præter crimen adulterii uxorem dimiserit, ut alteram ducat.* Ergo censet eum ab adulterio immunem esse, qui dimissa propter adulterium uxore alteram ducit. III. Idem in Epitome, Cap. VI. ait: *Numquam conjugalis fœderis vinculum, nisi quod perfidia ruperit, dissolvitur.* IV. S. Gregor. Nazianz. Orat. XXXI. scribit: *Lex quidem* (Mosaica) *omnes ob causas libellum dat repudii. At Christus non ob omnes, sed separari tantum ab adultera uxore permittit. Idque propterea, quia impudica genus corrumpit & adulterat: reliqnis autem omnibus in rebus animi æquitate ac patientia uti jubet.* Ergo libellus repudii in antiqua Lege concessus, restrictus fuit a Christo ad causam fornicationis. Ergo cum in veteri Lege ob alias causas vinculum matrimonii dissolutum fuerit, in nova Lege juxta Nazianzenum dissolvitur ob causam adulterii. V. S. Chrysost. Hom. XIX. in Cap. VII. Epist. I. ad Cor. scribit: *Connubium dissolutum est: universa munditia nuptiarum avolavit, atque discessit. Maritus post fornicationem non est amplius maritus.* VI. S. Epiphanius Hær. LIX. quæ est Catharorum, ait: *Qui unam habuit uxorem, in majore laude honoreque in universa habetur Ecclesia. Qui vero non potuit una, quæ deinde sit mortua, contentus esse ob aliquam scortationem, aut adulterium, aut ob aliquam malam causam separatione facta, eum divina Scriptura non reprehendit, neque ab Ecclesia, vitaque æterna ejicit, si aut vir cum secunda conjungatur uxore, aut uxor cum secundo viro.*

433. Resp. ad I. Commentarium illum in Epistolas Paulinas non esse genuinum S. Ambrosii fœtum, ut omnes eruditi norunt; sed vel a Pelagio hæretico, vel ab Hilario Diacono, Luciferiani schismatis antesignano, conscriptum fuisse. Ad II. ajo, Lactantium loqui de foro externo & civili, in quo juxta leges Cæsareas non puniebatur qui dimissa ob adulterium uxore aliam ducebat. Quod enim id lege divina vetitum sit, ipse agnovit Lactantius, qui paulo post citata verba subjungit: *Sed divina lex ita duos in matrimonium, quod est in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur quisquis compagem corporis in diversa distraxerit.* Ad III. Resp. Lactantium loqui de dissolutione quoad thorum & cohabitationem: quæ dissolutio, quamvis valde improprie a Scriptoribus Ecclesiasticis vocabatur dissolutio vinculi conjugalis, ut patet ex Forojuliensi Synodo A. 791. Can. X. *Placuit, ut resoluto fornicationis causa jugali vinculo, non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere.* Ad IV. N. C. Libellus repudii duplicem in Lege veteri involvebat potestatem, nempe uxorem dimittendi ob leviores etiam causas, & aliam ducendi. Nazianzenus autem de prima solummodo potestate loquitur, aitque, in nova Lege ob solam fornicationis causam licitum esse uxorem perpetuo dimittere; quod vero in hoc casu liceat aliam ducere, ne verbo quidem insinuat: neque id subintellexisse censeri potest, quia hæc duo sunt distincta, nec necessario inter se connexa. Ad V. Resp. S. Chrysostomum ita loqui, non quod putaret adulterium dissolvi matrimonium quoad vinculum; sed quia propter adulterium censebat matrimonii usum reddi illicitum, juxta illud Apostoli I. ad Cor. Cap. VI. *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur:* ita ut quamvis conjux innocens adulterium condonarit, fas tamen ei non sit comparti adulteræ cohabitare. Qua tamen in re Theologi omnes Chrysostomo refragantur, nisi pro eo casu, quo pars rea ob indulgentiam hanc suo in scelere obfirmaretur. Ad VI Resp.

ex

ex obscuro illo Epiphanii loco, quem Petavius in Animadversionibus Epiphanianis, ad Hær. LIX. Num. VI. depravatum fuisse existimat, nihil pro tuendo Græcorum errore evinci posse. Petrus Arcudius Corcyræus Lib. VII. de Concordia, Cap. XXV. ait, citati loci integrum sensum hunc esse: Qui non sat habuit unam duxisse uxorem, quæ jam sit mortua, ob aliquam scortationem aut adulterium, id est, quod timeat ne fiat adulter vel fornicator si a novo conjugio abstinuerit; iste poterit cum secunda conjungi: neque Scriptura divina eum in hac re accusat vel reprehendit. Agit nimirum loc. cit. S. Epiphanius de secundis nuptiis adversus Catharos, qui eas licitas esse negabant.

434. Obj. V. Auctoritas Pontificum. S. Leo M. *Pontificum* Epist. LXXXVII. ad Episcopos per Mauritaniam Cæsariensem constitutos, Cap. I. scribit: *Eos enim, qui vel secundas nuptias inierunt, vel viduarum se conjugio sociarunt, nec Apostolica, nec legalis auctoritas Sacerdotium obtinere permittit: & multo magis illum, si fuerit vestro judicio confutatus, qui, sicut ad nos relatum est duarum simul est maritus uxorum: vel illum, qui ab uxore dimissus, alteram duxisse perhibetur, privandum honore decernimus.* Ergo S. Leo M. non putavit, ab uxore dimissos invalide secundas nuptias contraxisse; sed tantum arcendos esse a sacerdotio. II. S. Zacharias Papa sæculo VIII. relatus a Gratiano Causa XXXII. Quæst. VII. Cap. *Concubuisti*, sic loquitur: *Concubuisti cum sorore uxoris tuæ? si fecisti, neutram habeas: & si illa: quæ uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino cui velit. Tu autem & adultera sine spe conjugii permaneatis.* Ergo ait per incestum dissolvi vinculum matrimonii. III. Joannes VIII. sæculo IX. Epist. LXV. ad Ederedum Gentis Anglorum Erchiepiscopum scribit: *His autem quos asseris uxores proprias contra præceptum Domini relinquere, præcipimus neque virum ab uxore, neque uxorem a viro, nisi causa fornicationis discedere; quod si*

ob

ob aliud discesserit, manere innuptum, vel innuptam, aut sibi mutuo reconciliari; quoniam dicente Domino, Quod Deus conjunxit, homo non separet. Et ideo cum priorem legitimo sibi matrimonio junctam quisquam deserere nequeat, illi conceditur aliam vivente priore conducere. Resp. ad I. N. C. Episcopi Mauritaniæ non quæsierant ex S. Leone, an tale matrimonium sit validum; sed an licite ordinatus fuerit qui prima uxore mortua, vel adhuc vivente, secundas nuptias celebravit: ideoque S. Leo de eo tantum sententiam tulit, de quo fuerat interrogatus. Ad II. C. A. N. C. Zacharias hoc loco nomine uxoris intelligit sponsam de futuro, ut satis indicant verba illa, *Neutram habeas.* Sororem autem sponsæ adulteram vocat, quia sponsus cum ea fornicando fidem conjugalem promissam violavit. Ad III. N. A; genuinus enim hujus Epostolæ textus ita habet: *Et ideo cum priorem legitimo sibi matrimonio junctam quisquam deserere nequeat, nulla ratione prorsus illi conceditur aliam vivente priore conducere.* Alias posteriora verba cum prioribus minime cohærerent.

Ac Conciliorum. 435. Obj. VI. Auctoritas Conciliorum. Neocæsariense A. 314. Can. VII. contrahentibus secundum matrimonium post divortium injungit aliquam pœnitentiam, sed illud non dirimit. II. Synodus Venetica in Aremorica A. 465. Can. II. statuit: *Eos quoque, qui relictis uxoribus suis, sicut in Evangelio dicitur, excepta causa fornicationis, sine adulterii probatione alias duxerint, statuimus a communione similiter arcendos: ne per indulgentiam nostram prætermissa peccata alios ad licentiam erroris invitent.* III. Compendiensis Synodus A. 756. Can. VIII. ait, virum, cujus uxor cum fratre mœchata est, potestatem habere aliam accipiendi si voluerit: mœchis vero interdicit conjugium in perpetuum. Ergo supponit vinculum matrimonii dissolvi per incestum. Resp. ad I. Neocæsariense loqui de secundo matrimonio, quod contrahitur mortua priori uxore: quod de se quidem licitum erat, sed tamen aliqua pœnitentia notabatur ob signum incontinentiæ. Ad II. Resp. ex eo non

evinci,

evinci, quod Venetica Synodus existimarit, fornicationis causa dirimi matrimonium quoad vinculum, cum id ne verbo quidem indicarit; sed id solum evincitur, quod Synodus minus hoc malum tolerandum esse censuerit, eosque tantum anathemate feriendos esse decreverit, qui aperte Evangelicam legem, certam omnino atque indubitatam, violabant, non ob adulterium, sed levissimis de causis alias nuptias celebrando, dimissa legitima uxore. Constat enim ex Lib. II. Formularum Marculfi, Cap. XXX, in Galliis, præcipue sub Regibus Merovingicis pessimam illam & Evangelio repugnantem viguisse consuetudinem, ut matrimonia ex bona gratia, seu mutuo conjugum consensu, ob solam discordiam & rixas dissolverentur, indicta etiam mulcta unius libræ auri illi, qui conjugi post repudium negotium facesseret. Ad III. N. C. Compendiensis Synodus viro innocenti facultatem dedit aliam ducendi, sed non nisi post mortem uxoris adulteræ: quod si illa superstes foret marito, pœnitentiæ loco severe vetuit, ne adultera, & frater qui cum ea mœchatus est, usquam conjugium inirent.

436. Obj. VII. Auctoritas legum Civilium. Leges Imperatorum Christianorum permiserunt uxorem a viro repudiari, & aliam duci, ut patet ex Lege Constantini M. Lib. III. Cod. Theodosiani, Tit. XVI. de Repudiis. Theodosii II. & Valentiniani III. A. 449. Lege *Consensu*, de Repudiis. Justiniani Novella CXVII. Anastasii Lege *Si constante*, Cap. de Repudiis, Justini Novella CXL. inter Justinianæas. Ergo Ecclesia sæculis illis sensit, matrimonii vinculum dissolvi ob causam adulterii; alias leges illas civiles aperte improbasset. Resp. D. A. Imperatores id permiserunt tamquam licitum, atque ut sine piaculo id fieret, N. A. Id permiserunt tamquam minus malum, ad præcavenda majora mala, utque id fieret impune in foro laico, C. A. N. C. Quænam fuerit circa has leges Ecclesiæ mens, optime ex Patribus dignoscitur. S. Hieron. Epist. XXX. ad Ocea-

Auctoritas Legum civilium.

Oceanum scribit: *Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi: aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit.* S. Ambr. Lib. VIII. in Lucam: *Dimittis uxorem, - - quia lex humana non prohibet: sed divina prohibet.* S. Chrysost. in Cap. VII. Epist. I. ad Cor. *Nec mihi recites leges externas, atque profanas, quæ libellum repudii dare, ac divortium facere præcipiunt; non enim profecto secundum has leges judicaturus est Deus, sed juxta eas quas ipse posuit.*

Ant denique ratio.

437. Obj. VIII. Ratio. Adulterium contrarium est triplici nuptiarum bono, nempe fidei quam violat: proli, cujus patrem incertum reddit: & Sacramento, cujus significationem lædit. Ergo dissolvit vinculum conjugale. II. Si propter adulterium v. g. uxoris viro non liceret novum cum alia inire conjugium, potestas dimittendi uxorem adulteram marito nihil prodesset; vel enim periculo exponeretur adulterium patrandi, vel saltem deridendnm se populo propinaret, quod uxorem adulteram retineat. Ergo Resp. ad I. C. A. N. C. Vinculum conjugale ab his bonis distinguitur, & iis etiam violatis integrum perseverat. Ad II. N. A. cum ratione addita. Periculum incontinentiæ facile a marito vitari potest vel ferventi oratione, afflictatione carnis &c. vel uxorem adulteram, factique jam pœnitentem iterum recipiendo, condonata illi priori injuria. Quod si adultera culpam suam detestetur, & melior facta viro suo reconcilietur, nemo prudentiorum erit qui maritum idcirco carpat, aut ludibrio habeat: maligni autem imprudéntum sermones ac dicteria merito ab omnibus Christianæ perfectionis studiosis contemnenda sunt, ac conspuenda.

CON-

CONTROVERSIA IV.

AN ECCLESIA POSSIT STATUERE IMPEDIMENTA MATRIMONII FIDELIUM?

CONTRA PROTESTANTES.

438. Impedimenti nomine universim intelligitur quidquid nuptiis vel contrahendis vel contractis obicem ponit, easque vel illicitas vel omnino irritas reddit: Unde duplicis generis sunt matrimonii impedimenta. Quædam enim ita cum matrimonio pugnant, ut illud non modo illicitum, verum etiam invalidum nullumque reddant, unde *dirimentia* appellantur. Quædam sic resistunt matrimonio contrahendo, ut contractum non irritent, quamvis non sine gravi peccato contrahatur, Ecclesiasticas leges quibus id vetatur infringendo. Atque hæc impedimenta *impedientia* vocantur. Prioris generis impedimenta, nempe dirimentia, quædam jure divino naturali, quædam legibus Ecclesiasticis sunt constituta. Atque de his nunc quæritur, an Ecclesia jure potestatem exerceat matrimonia fidelium certis limitibus circumscribendi, a quibus si exorbitent, irrita sint atque invalida. Dixi, *Matrimonia fidelium;* infideles enim cum Ecclesiæ non sint subditi, illius legibus non tenentur. *Quid, & quotuplex sit impedimentum Matrimonii?*

439. Lutherus palam asseruit, nullis Ecclesiæ aut sæcularium Principum legibus posse matrimonia irritari; eaque solum veri nominis esse impedimenta, quæ nuptiis contrahendis jus naturale, vel positivum divinum opposuit. Hinc Serm. de Matrim. scribit: *Duodeviginti causas in suo jure effinxit Papa, quibus omnibus matrimonium vel dissipet, vel impediat; quas tamen fere omnes & rejicio & condemno.* Martinus Kemnitius in II. Parte Exam. Conc. Tridentini, aliique Protestantes, circa matrimoninm non aliam tribuunt Ecclesiæ potestatem, quam explicandi verbum Dei, qualem nos Concionatoribus, & privatis Doctoribus concedimus: cumque ipsi Matrimonium e numero Sacramentorum expungant, illudque habeant pro con- *Errores Protestantium.*

tractu mere civili; consequenter definiunt, ad solum Magistratum politicum pertinere causas matrimoniales, soliusque civilis potestatis esse præscribere leges matrimonii, & impedimenta statuere. Protestantibus proxime accessit Joannes Launoius in Lib. de Regia in Matrimonium potestate, ubi docet, auctoritatem statuendi impedimenta matrimonium dirimentia ad solos sæculares Principes jure proprio sic pertinere, ut non nisi vel usurpatione, vel precario Ecclesia jus illud exercere possit: immo novo prorsus figmento, temerario sane atque erroneo, contendit, in Canone Tridentino, quo definitur posse Ecclesiam statuere impedimenta Matrimonium dirimentia, nomine Ecclesiæ sæculares Principes intelligi debere, quorum dumtaxat auctoritate illa utitur dum non nulla Matrimonii impedimenta statuit.

Ecclesiam jure suo, uti, dum statuit impedimenta Matrimonium fidelium dirimentia, ostenditur ex Tridentino.

440. Conclusio. Ecclesia jure suo utitur, dum statuit impedimenta Matrimonii fidelium. Prob. Conclusio hæc dogmatica I. Auctoritate Tridentini, quod Sess. XXIV. Can. III. ita definit: *Siquis dixerit, eos tantum consanguinitatis & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant & dirimant; anathema sit.* Et Can. IV. *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.*

Ex antiquissima & constanti praxi Ecclesiæ.

441. Prob. II. Ex antiquissimo & constanti usu ac praxi Ecclesiæ, quæ jam a primis sæculis, nemine sæcularium Principum reclamante, potestatem hanc exercuit. Apostolus I. ad Cor. Cap. VII. potestatem fideli conjugi dedit aliud ineundi matrimonium, comparte infideli discedente, aut cohabitare nolente sine injuria Creatoris. Eliberitanum initio sæculi IV. Can. XV. statuit: *Propter copiam puellarum, Gentilibus minime in matrimonium dandæ sunt Virgines Christianæ: ne ætas in flore tumens, in adulterio animæ resolva-*

ſolvatur. Can. LXI. *Si quis poſt obitum uxoris ſuæ, ſororem ejus duxerit, & ipſa fuerit fidelis; quinquennium a communione placuit abſtineri; niſi forte dari pacem velocius neceſſitas coegerit infirmitatis.* Can. LXVI. *Siquis privignam ſuam duxerit uxorem; eoquod ſit inceſtus, placuit, nec in fine dandam eſſe ei communionem.* Ancyranum A. 314. Can. X. *Deſponſatas puellas, & poſt ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi, quibus ante fuerant deſponſatæ, etiamſi eis a raptoribus vim illatam conſtiterit.* Neocæsariense A. 314. Can. II. *Mulier ſi duobus nupſerit fratribus, abjiciatur uſque ad diem mortis. Sed propter humanitatem, in extremis ſuis, ſacramentis reconciliari oportet; ita tamen, ut ſi forte ſanitatem recuperaverit, matrimonio ſoluto, ad pœnitentiam admittatur.* S. Basilius Epist. I. ad Amphilochium, Can. VI. ait: *Canonicorum fornicatio pro matrimonio non reputetur, ſed eorum conjunctio divellatur.* Ubi Balsamone interprete, Canonicos generatim dicit eos omnes, qui in Canone Ecclesiæ recensentur, id est, in Clero & Monachatu virginitatem profeſsos. Can. XXII. *Eos, qui ex raptu habent mulieres, ſi ab aliis quidem deſponſas habuerint, non oportet prius admittere, quam ab eis ablatæ, ſint in eorum poteſtate quibus deſponſæ fuerant, an eas velint accipere, an deſiſtere. Si quis vero vacantem acceperit, auferre quidem oportet, & ſuis reſtituere; illorum autem ſententiæ permittere, ſive ſint parentes, ſive fratres, ſive quicunque alii virgini præſint.* Can. XXIII. Epistolam memorans a se scriptam ad Diodorum, aſseverat propter impedimentum affinitatis dirimi matrimonium ejus, qui viduam fratris sui uxorem, aut qui duas sorores duxit, aut quæ cum duobus fratribus contrahit. Siricius Epist. I. ad Himerium Tarraconensem, Cap. IV. scribit non licere cum desponsata alteri contrahere matrimonium. Et Cap. VI. impedimentum Voti confirmat. Innocentius I. Epist. ad Victricium Rothomagensem, Cap. XII. prædeceſsoris sui de Voti impedimento edictum nova sanctione corroborat. S. Leo M. Epiſt. LXXXIV.

ad Anastasium Thessalonicensem, Subdiaconis conjugium prohibet. Et Epist. CXII. ad Rusticum Narbonensem, impedimentum conditionis statuit. Agathense A. 506. Can. LXI. diversos consanguinitatis & affinitatis gradus statuit matrimonium dirimentes. Aurelianense I. A. 511. Can. XVIII. *Ne superstes frater thorum defuncti fratris ascendat, neve se quisquam amissæ uxoris sorori audeat sociare. Quod si fecerint, Ecclesiastica districtione feriantur.* Aurelianense II. A. 533. Can. XIX. *Placuit, ut nullus Christianus Judæam, neque Judæus Christianam in matrimonio ducat uxorem: quia inter hujusmodi personas illicitas nuptias esse censemus. Qui si commoniti a consortio hoc se separare distulerint, a communionis gratia sunt sine dubio submovendi.* Aurelianense II. A. 538. Can. X. eos qui nuptias incestas contraxerunt ante Baptismum, vel antequam Patrum statuta nossent, excusat, nec eorum conjugia solvit. In posterum autem observari statuit, quod in anterioribus Canonibus de incestis matrimoniis interdictum est, ne quis relictam patris, filiam uxoris, relictam fratris, sororem uxoris, consobrinam, aut sobrinam, relictam avunculi vel patrui ducat uxorem: *Quod si qui in hoc incesti adulterio potius quam conjugio fuerint sociati, quamdiu se non sequestraverint, a communione Ecclesiastica repellantur.* Matisconense II. A. 585. Can. XVI. *Illud quoque rectum nobis visum est disponere, ut quæ uxor Subdiaconi, vel exorcistæ, vel Acolythi fuerit, mortuo illo, secundo se non audeat sociare matrimonio. Quod si fecerit, separetur, & in cœnobiis puellarum Dei tradatur, & ibidem usque ad exitum vitæ suæ permaneat.* S. Greg. M. Epist. Lib. XII. Epist. XXXI. ad Augustinum Anglorum Episcopum, in Responsione ad Interrogationem VI. de impedimentis consanguinitatis & affinitatis diserte pronunciat: *Quædam terrena lex in Romana Republica permittit, ut sive fratris, sive sororis, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius & filia misceantur. Sed experimento didicimus, ex tali*

conjugio

conjugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere: & ſacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde neceſſe eſt, ut jam tertia vel quarta generatio fidelium licenter ſibi jungi debeat. Nam ſecunda quam diximus, a ſe omnino debet abſtinere: cum noverca autem miſceri grave eſt facinus. Tum paulo post in eadem Epistola Anglis recens conversis condonat matrimonia, in gradibus prohibitis, dum adhuc infideles eſsent, contracta. Liptinense A. 743. sub Carlomanno Majore domus regiæ Can. III. *Similiter præcipimus, ut juxta Canonum decreta adulteria & inceſta matrimonia, quæ non ſunt legitima prohibeantur, & emendentur Epiſcoporum judicio.* Moguntinum A. 813. Can. LIV. *Contradicimus quoque, ut in quarta generatione nullus amplius conjugio copuletur: ubi autem poſt interdictum factum inventum fuerit, ſeparetur.* Et Can. LV. *Nullus proprium filium vel filiam de fonte Baptiſmatis ſuſcipiat; nec filiolam, nec commatrem ducat uxorem; nec illam cujus filium, aut filiam ad Confirmationem duxerit: ubi autem factum fuerit, ſeparentur.* Triburiense A. 895. Can. XL. *Non licet, nec Chriſtianæ religioni oportet, ut ullus ea utatur in matrimonio, cum qua prius pollutus eſt adulterio.* Gregorius V. A. 998. in Synodo Romana Roberti Francorum Regis cum Berta consanguinea matrimonium irritum fuiſse, & modis omnibus diſsolvendum, sub anathematis interminatione pronunciavit; simulque Erchembaldum Archiepiscopum Turonensem, cæterosque Episcopos qui his nuptiis contra Ecclesiasticam regulam interſuerant, donec ab iis ſoret Apostolicæ Sedi satisfactum, communione privavit. Atque hæc pauca e multis exempla adduximus, quibus ostenditur constans atque antiquiſsima Ecclesiæ praxis statuendi pro jure suo impedimenta matrimonii. Quis autem sibi persuadeat, sanctiſsimos Præsules potestatem sibi indebitam arrogaſse, aut sæculares Principes in tuendis juribus suis tam fideles fuiſse, ut conqueri nunquam sint auditi, potestatem suam a Romanis Pontificibus, aut Conciliis Ecclesiasticis atteri,

teri, leges statuendo quibus matrimonia fidelium dirigerentur? Quin sæculo etiam XVI. Galli aperte hoc jus Ecclesiæ agnoverunt, cum Oratores Galliarum, nomine Regis Christianissimi Caroli IX. a Tridentinis Patribus postularunt, ut matrimonia clandestina, & filiorum familias sine consensu parentum inita, declararentur invalida: quorum primum concessit sacra Synodus, alterum denegavit.

Cui ratio suffragatur.

442. Prob. III. Ratione. Christus eam Ecclesiæ suæ in res spiritales potestatem concessit, quæ necessaria est ad optimum Christianæ reipublicæ regimen, ad mores rite ac sancte instituendos, atque ad salutem animarum promovendam. Atqui talis est potestas ferendi leges, quæ spectant publicam Sacramentorum administrationem, nuptiarum solemnitatem & conditiones, quibus fideles possunt eas licite ac valide celebrare; Matrimonium enim verum est novæ Legis Sacramentum, quod in bonis Ecclesiæ continetur, quia ejus subsidio spiritalis Dei civitas crescit; ac præterea ex eo debite vel indebite contracto sæpe, magna saltem ex parte, tota vitæ ratio ac salus æterna dependet.

Potestas dispensandi in his impedimentis, Ecclesiæ competit.

443. Cæterum ex eo, quod Ecclesia jure suo impedimenta quædam matrimonium dirimentia posit statuere, sequitur eam etiam habere potestatem justis de causis in his impedimentis dispensandi; quia qui legem tulit, potest illam vel penitus abrogare, si id expedire judicaverit, vel circumstantiarum habita ratione in quarumdam personarum gratiam justis de causis illius obligationem suspendere. Hinc Tridentinum Concilium Sess. XXIV. Can. III. anathema dicit illi qui dixerit, Ecclesiam in nonnullis impedimentis dispensare non posse. Hac tamen in re notandum est I. Ecclesiam non posse in iis impedimentis dispensare, quæ jure naturali, aut jure positivo divino constituta sunt; sed in iis tantum, quæ jure Ecclesiastico a Pontificibus aut Conciliis fuere statuta. II. Potestatem hanc soli Romano Pontifici convenire, atque illis quibus eam Pontifex communicavit.

nicavit. Ratio est, tum quia impedimenta matrimonium dirimentia vel a Romanis Pontificibus, vel a Generalibus Conciliis sunt instituta, in quorum Decreta potestatem non habent Episcopi: tum quia id debita Sedi Apostolicæ reverentia exigit, cui potissimum Canonum observatio & dispensatio divinitus est commissa. In quibusdam tamen casibus, de quibus passim in Theologia morali agi solet, possunt etiam Episcopi ex tacito Romani Pontificis consensu dispensare.

Princeps pro subditis suis infidelibus potest introducere impedimenta matrimonium dirimentia.

444. Quæres I. An Princeps infidelis pro subditis suis infidelibus, aut etiam Princeps fidelis pro subditis suis infidelibus possit introducere impedimenta Matrimonium dirimentia? Resp. affirmative. Prob. assertio Imo negative, quia solida ratio ostendi nequit, cur hæc potestas Principibus laicis sit denegandа. II. positive. Matrimonium infidelium non est Sacramentum, sed contractus mere civilis. Ergo sicuti reliquis contractibus, ita etiam matrimoniis infidelium, si bonum Reipublicæ id exigat, præscribi potest certa forma & solemnitas, sine qua sint irrita & invalida.

Atque etiam pro subditis suis fidelibus, quantum ad effectus aliquos civiles.

445. Quæres II. An Princeps sæcularis fidelis possit pro subditis suis fidelibus impedimenta matrimonium dirimentia statuere; ita ut quamvis ejusmodi matrimonia sint valida quoad Sacramentum & vinculum, habeantur tamen pro invalidis quantum ad effectus aliquos civiles, ut sunt exhæredatio, rescissio donationum, privatio omnium, quæ vi consuetudinis aut contractus matrimonialis obvenire possunt? Resp. probabilius affirmative. Prob. assertio I. quia ostendi nequit, cur id Principibus laicis non liceat, siquidem id bonum Reipublicæ exigat. II. Ex praxi Galliæ, in qua matrimonia sine consensu parentum contracta declarantur invalida quoad civiles effectus, nempe quoad dotem uxoris, jus ad hæreditatem &c. quin Ecclesia hanc praxin palam aut tacite improbaverit.

446.

At impedimenta ſtatuere nequit, quæ matrimonium dirimant in ratione Sacramenti.

446. Quæres III. An Princeps sæcularis fidelis potestatem habeat pro subditis suis fidelibus statuendi impedimenta, quæ Matrimonium dirimant in ratione Sacramenti? Resp. negative. Ita certa atque indubitata omnium Catholicorum. Prob. aſsertio I. Matrimonium ut est Sacramentum, non politicis sed Ecclesiasticis legibus subditur, nullumque in illud jus habent sæculares Principes. Ergo nulla lege laica dirimi potest, si sub ratione Sacramenti consideretur. II. Tridentinum Seſs. XXIV. Can. XII. definivit: *Si quis dixerit, cauſas matrimoniales non ſpectare ad Judices Eccleſiaſticos; anathema ſit.* Ergo multo magis ad judices Ecclesiasticos spectat judicare de Matrimonio, prouti Sacramentum est.

Neque etiam prout eſt contractus civilis, & quoad vinculum.

447. Quæres IV. An Princeps sæcularis fidelis potestatem habeat pro subditis suis fidelibus statuendi impedimenta quæ Matrimonium dirimant, non quidem ut Sacramentum, sed prout est contractus civilis, & quoad vinculum? Resp. iterum negative. Prob. aſsertio I. communiſsima auctoritate Theologorum, & S. Thomæ, qui in IV. Sententiarum, Dist. XLII. Quæst. II. ad IV. ait: *Prohibitio legis humanæ non ſufficit ad impedimentum matrimonii, niſi interveniat auctoritas Eccleſiæ, quæ idem etiam interdicat.* II. Contractus civilis est eſsentialis materia Sacramenti Matrimonii, qua sublata tollitur etiam ipsum Sacramentum. Ergo ex quo Christus Matrimonium evexit ad dignitatem Sacramenti, Principes laici non amplius habent potestatem statuendi impedimenta quæ dirimant matrimonium etiam in ratione contractus civilis, & quoad vinculum; alias Principes laici haberent etiam potestatem ipsum Sacramentum indirecte irritum faciendi. *Confirm.* Plus est, matrimoniis inter fideles contrahendis ponere leges, constituere impedimenta, quam cognoscere de causis matrimonialibus inter fideles exortis. Atqui Principes laici de his causis cognoscere nequeunt juxta Canonem XII. Tridentini Seſs. XXIV. Ergo multo minus iis contrahendis leges ponere, & impedimenta poſsunt

statuere,

statuere, cum recepta sit regula: Cujus quis in aliqua materia non sortitur forum, ejus etiam legibus non ligatur. III. Quamvis Imperatores approbaverint, non utique in ratione Sacramenti, sed contractus mere civilis matrimonia illorum, qui repudiata ob adulterium aliasque causas uxore, aut dissoluto ex mutuo consensu priori matrimonio secundas nuptias inibant: item matrimonia inter affines & consanguineos; Ecclesia tamen ea semper reprobavit, ut patet ex S. Gregorio M. Lib. XII. Epist. XXXI. ad Augustinum Anglorum Episcopum. S. Hieronymo Epist. XXX. ad Oceanum. (Vide dicta Num. 436.) Ergo Ecclesia hoc jus numquam agnovit in Principibus laicis. IV. Rationibus, quas affert Sfortia Card. Pallavicinus in Hist. Conc. Tridentini, Lib. XXIII. Can. IX. Num. XII. *Procul dubio, si a suo quisque animo æmulationem aut invidentiam erga Ecclesiasticos amoverit, intelliget, quantæ sit utilitatis, ut contractus, cujus libertas & certa efficacitas adeo necessariæ sunt ad salutem & quietem animarum, pendeat in omnibus Christi fidelibus ab Ecclesiæ constitutionibus, uniformibus, & a charitate profectis, quæ tendunt ad sempiternam subditorum salutem; non autem a discrepantibus, & sæpe minus tolerabilibus Principum laicorum, qui temporarium bonum intendunt. Quod si hæc Ecclesiæ jurisdictio bona ac legitima non esset, sed arrogata & surrepta, affirmari oporteret, orbem terrarum ante nos diu plenum cæcorum fuisse, dum per immensum temporis spatium Principes & Magistratus in cunctis Christiani orbis partibus tanti ponderis potestatem Ecclesiæ reliquerunt; quod neque ex concessione, neque ex negligentia contigisse videtur in rebus mere civilibus.*

448. Dices I. Matrimonium non est tantum Sacramentum, sed etiam contractus civilis. Ergo sub hac ratione subjicitur potestati laicæ. II. Principum sæcularium est providere ea, quæ ad tranquillitatem & bonum reipublicæ pertinent. Atqui matrimonium, ut est contractus civilis, pertinet ad bonum & tran-

quillitatem reipublicæ. Ergo. III. Ecclesia leges a Principibus Christianis circa matrimonium latas confirmavit & laudavit. Resp. ad I. C. A. N. C. Hoc ipso quod Matrimonium a Christo elevatum fuerit ad Sacramenti dignitatem, exemtum fuit a potestate laica. Exemplum habes in persona Ecclesiastica. Sicut enim persona Clerici aut Religiosi, licet ante Ordinationem & profeſsionem religiosam subjecta fuerit Principi & Magistratui sæculari, post illam tamen a laica jurisdictione eximitur: ita etiam matrimonium, quamvis ante elevationem ad dignitatem Sacramenti fuerit contractus mere civilis, & propterea sub dispositione potestatis sæcularis, post illam tamen elevationem a laica potestate subtractum est. Ad II. D. M. Si illa subjecta sint potestati laicæ, C. M. Secus, N. M; alias Principes laici etiam in Religionis negotio potestatem suam exercere poſsent, quia Religio quam maxime pertinet ad tranquillitatem & bonum reipublicæ. Satis itaque hac in parte provisum est bono publico, quod Christus potestatem hanc inducendi impedimenta dederit Ecclesiæ. Ad III. Resp. Cæsareas leges quandoque ab Ecclesia fuiſse approbatas, easque per hunc ipsum Ecclesiæ consensum vim suam ac robur obtinuiſse in rebus matrimonialibus; quandoque autem aperte fuiſse reprobatas, ut paulo ante diximus.

Multo minus hæc poteſtas competit Principi infideli pro ſubditis ſuis Fidelibus.

449. Quæres V. An princeps infidelis poſsit impedimenta Matrimonium dirimentia statuere pro subditis suis fidelibus? Resp. negative. Ratio est, quia fideles subditi sicut in cæteris rebus ad salutem animæ ordinatis, ita etiam in contrahendo matrimonio, quod novæ Legis verum est Sacramentum, Ecclesiasticis & Canonicis legibus tenentur; ita ut illorum conjugia, si ab ipsis, quocunque in loco degant, contra sacros Canones inita sint, valore careant: contra vero valida sint ac legitima, si ex eorum præscripto coaluere. Quare dicendum omnino est, nuptialem fidelium contractum, eo ipso quod a Chriſto elevatus fuerit ad dignitatem Sacramenti a potestate

Princi-

Principum tam fidelium quam infidelium subtractum fuisse, atque Ecclesiæ subjectum, ita ut conjugia fidelium nullis possint sæcularium Principum legibus dirimi quoad vinculum & Sacramentum.

Argumenta contraria refutantur.

Protestantes frustra obtendunt silentium Scripturarum.

450. Objicitur I. Scripturarum silentium. Nullum in Scripturis exstat vestigium, quod Deus potestatem hanc in Ecclesiam transtulerit. Ergo absque fundamento hæc potestas Ecclesiæ tribuitur. Resp. I. D. A. Nullum exstat vestigium, id est, Scriptura non facit expressam mentionem hujus potestatis Ecclesiæ concessæ, C. A. Non facit implicitam saltem mentionem, N. A. Joan. Cap. XX. Christus ait Apostolis: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Id est, pari auctoritate, & ob eumdem finem mitto vos ut Legatos & Apostolos meos, qua ego missus sum a Patre. Atqui Christus certe habuit potestatem statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, eamque Matth. Cap. XIX. exercuit, quando matrimonium ad primævam institutionem revocavit, abrogato repudii libello. Ipse etiam Apostolus I. ad Cor. Cap. VII. data sibi & Ecclesiæ auctoritate declaravit, posse conversum ad nova vota transire, si conjux infidelis pacifice, & sine Creatoris injuria habitare renuat. Resp. II. N. C. Quamvis id probari non posset ex Verbo scripto, invicte tamen ostenditur ex Verbo tradito, quod paris est cum Verbo scripto auctoritatis; hancque traditionem demonstrat antiquissima Ecclesiæ praxis, ut paulo ante ostendimus Num. 441.

Auctoritatem Conciliorum.

451. Obj. II. Auctoritas Conciliorum. Milevitanum II. seu potius Carthaginense A. 418. Can. XVII. vetuit, ne dimissus ab uxore, aut dimissa a marito, alteri conjungantur, legemque Cæsaream, qua id pariter prohiberetur, petendam esse censuit. Moguntinum A. 813. postquam diversa consanguinitatis, cognationis, & spiritalis affinitatis impedimen-

ta distinxit, a Carolo M. Imperatore petiit confirmationem. Ergo Concilia censuerunt, nullum a se impedimentum matrimonii posse decerni, nisi approbante Principe sæculari. Resp. C. A. N. C. Concilia non petierunt Canones a Principibus sæcularibus confirmari, ut sic Canonibus tribueretur auctoritas quam alias non haberent; sed ut promptius sanctiusque, a fidelibns observarentur, qui sæpe metu temporalis pœnæ magis ducuntur, quam suplicii æterni, aut divinæ offensæ.

Et Ecclesiæ Gallicanæ. 452. Objic. III. Auctoritas Ecclesiæ Gallicanæ. Quamvis Concilium Tridentinum Sess. XXIV. Cap. I. de Reform. Matrim. definierit rata ac valida esse filiorum familias matrimonia sine parentum consensu inita: *Eos Sancta Synodus anathemate damnat, - - qui falso affirmant, matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse; & parentes ea rata, vel irrita facere posse;* Ecclesia tamen Gallicana habet hæc matrimonia pro invalidis. Ergo censet, potestatem statuendi impedimenta matrimonii non fuisse datam Ecclesiæ, sed Principibus laicis. P. A. Henricus III. in Generalibus Comitiis Blesensibus Artic. XL. Henricus IV. A. 1606. Ludovicus XIII. A. 1629. declararunt, ejusmodi matrimonia invalide esse contracta. *Volumus*, inquit Ludovicus XIII. in Edicto A. 1629. *omnia matrimonia contra dicti statuti* (Blesensis) *tenorem contracta, declarari invalide contracta: obliganturque Judices Ecclesiastici causas matrimoniales convenienter huic articulo dijudicare.* Resp. N. A. Ad *prob.* D. A. Reges Galliarum declararunt ejusmodi matrimonia invalide fuisse contracta quoad civiles effectus dumtaxat, nempe quoad dotem uxoris, jus ad hæreditatem, prolium legitimationem &c. C. A. Quoad vinculum & Saeramentum, N. A. Christianissimi Reges mentem suam sæpius declararunt. Cum Edictum illud Ludovici XIII. promulgatum fuisset, Clerus Gallicanus tunc temporis in Comitiis Parisiensibus congregatus, Regem his verbis admonendum duxit: *Rex humiliter supplicatur, ut considerare non pigeat, quantum sit momen-*

tum

tum in hoc articulo, qui eget expoſitione ad duarum difficultatum elucidationem. Prima eſt, ut non aliter intelligantur hæ vores valide aut invalide contracti matrimonii, quam per relationem ad contractum civilem, & nullatenus ad contractum ſpiritualem Sacramenti. Secunda, ut non adſtringantur Eccleſiaſtici ad iudicandum ſecundum hujus Edicti, ſimulque Bleſenſes articulos, ſed juxta ſacros Canones, & Eccleſiaſtica Decreta, quæ ſunt unica regula & norma judicii Eccleſiaſticorum. Hi enim non poſſunt, aut debent jurisdictionem, quam a ſolo Deo collatam habent circa res ſpirituales ab ipſis laicis mutuari. Quapropter neceſſe eſt ex ipſo articulo reſecare hæc verba: Et obligabuntur Eccleſiaſtici Judices in cauſis iſtiusmodi matrimonium judicare ad hujus articuli normam. Hoc exhibito supplici libello, Rex magno Regni Cancellario, ac quibusdam selectis sanctioris consilii Officialibus respondendi onus demandavit, qui in hæc verba Regis nomine rescripserunt: *Commonitio Cleri, quod ſpectat ad priorem difficultatem, ſic reſoluta fuit: Verba iſta, valide aut invalide contracta matrimonia, non eſſe aliter explicanda, quam per ſolam relationem ad contractum civilem per laicos judices. Altera pariter difficultas juſta & rationi congrua viſa fuit.* Vide plura apud Tournely de Sacram. Matrim. Joan. Cabassutium Lib. III. Theoriæ & praxis Juris Canon, & in Notitia Ecclesiastica, pag. 662.

453. Dices I. Arresta supremarum Curiarum Galliæ ostendunt, matrimonia illa aliquando fuiſse reſciſsa, ut iis qui hæc contraxerant, potestas fuerit facta convolandi ad alias nuptias. Ergo. Resp. I. Arresta illa fuiſse sæcularium Curiarum, non vero Ecclesiæ Gallicanæ, id est, Episcoporum ac Theologorum Galliæ, qui omnes affirmant valida eſse hæc matrimonia quoad substantiam, id est, in ratione Sacramenti, & quoad vinculum conjugale. Ergo sensus Ecclesiæ Gallicanæ nobis non adversatur. Resp. II. Matrimonia illa a Parlamentis, seu Curiis sæcularibus fuiſse reſciſsa, non propter defectum consen-

sus

sus parentum, sed propter aliud impedimentum simul occurrens vel clandestinitatis, vel raptus. Advocati enim Galli, & Parlamenta Regni per raptum, quod a Tridentino inter impedimenta dirimentia positum fuit, non tantum intelligunt violentam abductionem sponsæ de loco in locum, sed etiam seductionem & subornationem, cui sponsa non repugnat, blanditiis & promiſsis seducta; ita ut sub prætextu amoris furtive subtrahatur obedientiæ parentum, & ad matrimonium inducatur iis artibus, quæ honestatem conjugii dedecent. Atque hunc raptum seductionis, aque ac violentum, volunt eſse impedimentum Matrimonia dirimens, quiscunque demum conjugum ab alio seductus fuerit.

454. Dices II. Ludovicus XIII. A. 1635. judicio etiam Parlamenti, & Cleri Gallicani, irritum declaravit matrimonium Gastonis fratris sui, Ducis Aurelianensis cum Margaretha, sorore Caroli III. Lotharingiæ Ducis, ex eo tantum capite, quod se inscio & invito fuiſset contractum. Ergo. Resp. Clerum Gallicanum sensiſse hoc matrimonium eſse invalidum, quia privilegium eſse ajebat Regum Galliæ, antiqua consvetudine præscriptum, & Ecclesiastica auctoritate munitum, quod sine Regis consensu invalida sint filiorum suorum, & aliorum regii sanguinis Principum, qui Solio sunt proximi, matrimonia. Verum cum Ludovicus XIII. Episcopum Montis Peſsulani in causa Gastonis Romam misiſset, alienam is omnino a Regis & Cleri Gallicani sententia Aulam Romanam invenit. Facultas etiam Theologica Lovaniensis super eodem Gastonis matrimonio consulta, respondit, quamvis illud declararetur invalidum, sustinendam tamen a conjugibus potius eſse excommunicationem, quam illud diſsolvendum; eoquod conditiones omnes, quas Ecclesia in conjugiis requirit, fuerint observatæ.

456.

455. Obj. IV. Paritas. Ecclesia non potest apponere Baptismo, Confirmationi, & Eucharistiæ novas conditiones, sine quibus sacramenta illa confici nequeant. Ergo neque potuit instituere impedimenta Sacramentum Matrimonii irritantia. Resp. C. A. N. C. Materia illorum Sacramentorum, utpote quid physicum, non pendet ex arbitrio hominum, sicut contractus qui est materia Sacramenti Matrimonii; nam aqua naturalis est vera aqua independenter a voluntate hominum, idemque est de oleo, impositione manuum, & pane triticeo. At vero contractus Matrimonii cum sit quid morale, penes Ecclesiam est ei apponere quas voluerit conditiones & solemnitates, sine quibus verus ac legitimus non erit contractus, nullamque pariet obligationem. *Paritatem*

456. Obj. V. Ratio. Matrimonium est contractus politicus ac civilis. Ergo Ecclesia nihil in illud habet potestatis. II. Ecclesia non potest mutare materiam Sacramenti, ab ipso Christo jam determinatam. Ergo neque potest contractum matrimonialem irritare, qui est materia Sacramenti Matrimonii. Resp. ad I. D. A. Matrimonium est contractus civilis, simulque verum Sacramentum, C. A. Contractus mere civilis, N. A. & Consec. Ad II. D. A. Ecclesia non potest materiam Sacramenti mutare formaliter, id est, non potest facere, ut contractus legitimus non sit materia Sacramenti Matrimonii, C. A. Non potest mutare materialiter, id est, legem aliquam ferendo ob spiritale bonum reipublicæ non potest facere, ut contractus qui antea legitimus erat, fiat illegitimus: sicque hoc ipso desinat esse materia Sacramenti, N. A. & Consec. Christus in genere materiam Sacramenti Matrimonii voluit esse contractum legitimum: quis vero contractus matrimonialis dicendus sit legitimus, Ecclesiæ reliquit determinandum. *Et rationem.*

Hæc

Hæc, quæ de precipuis Orthodoxæ fidei nostræ dogmatibus adversus Novatores diſserui, infallibili Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, ac Romanæ judicio prono animo ac sinceriſsimo affectu subjicio, ut initio Operis mei præfatus sum; si quid a me in scribendo erratum sit, paratiſsimus retractare & emendare. Faxit Deus gratiæ suæ lumine, ut Fratres nostri segreges, & in Calvini, Lutheri, Socini, Jansenii, aliorumque sectis errantes remoto a cordibus velamine, oculos aperiant veritati, omniaquæ Orthodoxæ fidei dogmata, quæ Catholica, Apostolica, & Romana Ecclesia, Magistra & Mater omnium Ecclesiarum, columna & firmamentum veritatis, secundum Scripturam sacram, & Apostolicas Traditiones constanter & invicte profitetur, nobiscum in ejusdem veræ Ecclesiæ sinu profiteantur & ipsi ac propugnent; ut ex illis nobiscum fiat unum Ovile & unus Pastor.

O. A. M. D. G.

INDEX
RERUM PRAECIPUARUM,

quæ

in III. Parte Tractatus VI. de Sacramentis continentur.

A.

Absolutionis verba quænam ad eſsentiam ſpectent? 25.

Absolutionis forma quem sensum habeat? 32.

Vera est, quamvis pœnitens jam antea sit justificatus. 98.

Absolutio Sacramentalis non est declarativa, sed vere remiſsiva peccati. 58.

In veteri Ecclesia sæpe data fuit ante impletam satisfactionem. 208.

Immo probabilius est, dispositis semper datam fuiſse. 211. & seq.

Absolutio ultima, quæ olim pœnitentia solemni functis concedebatur, fuit potiſsimum reconciliatoria cum Ecclesia. 210.

Absolutio gemina pœnitentibus dabatur; Sacramentalis ante vel paulo post inceptam pœnitentiam solemnem: reconciliatoria cum Ecclesia post expletam pœnitentiam solemnem. 212.

Adulterium non dirimit matrimonium quoad vinculum. 398.

S. Ambrosius Sacramentalem Confeſsionem sæpe excepit. 163.

Amor benevolentiæ, quo Deus propter se super omnia diligitur abstractione facta proprii amantis commodi, non est neceſsarius ad justificationem in Sacram. Pœnitentiæ. 128. Amor hic inseparabilis est ab amore amicitiæ. 130.

Amor initialis, quo peccator Deum propter se diligere incipit, quamvis nondum super omnia, una cum attritione requiritur ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ. 132.

Appretiatio potest esse summa, quin actus sit intensus- 103.

Arnaldi Ant. propositiones de satisfactione præmittenda absolutioni. 206.

Attritio quid sit? 80.

In quo differat a contritione? 81.

Attritio concepta ex timore pœnæ æternæ utilis est, honesta, ac supernaturalis. 108. & seq.

Attritio concepta ex solo metu pœnæ æternæ potest excludere omnem voluntatem peccandi. 114. & seq.

Attritio sola sine amore Dei initiali non sufficit ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ. 121.

Audientium statio. 250.

S. Augustinus nusquam docuit, hominem perfecte contritum extra Sacramentum pœnitentiæ non justificari. 94. & 95.

S. Augustinus timorem divini supplicii sæpissime commendavit. 109.

B.

Baji Michaël. doctrina de contritione perfecta. 82.

A S. Pio V. proscribitur. 85.

Baji Mich. doctrina de attritione ex solo metu pœnarum. 106.

De satisfactionibus. 297.

S. Basilius tertias & quartas nuptias numquam pro invalidis habuit. 374.

S. Basilius quid de indissolubilitate matrimonii etiam ob causam adulterii senserit? 431.

C.

Calvini Joan. errores de Sacramento Pœnitentiæ. 4.

De materia proxima Pœnitentiæ. 16.

De attritione ex metu gehennæ. 106.

De Confessione auriculari. 152.

De Satisfactione. 226.

De Sacramento Matrimonii. 332.
De Polygamia Patriarcharum & Judæorum in veteri Lege. 366.
De indiſsolubilitate Matrimonii. 396.
Canonica crimina pœnitentia publica expianda quænam fuerint? 262.
Catechismi Romani doctrina de intensione charitatis explicatur. 102.
Charitas perfecta ut peccatorem justificet, neque absolute neque comparative debet eſse maxime intensa. 91.
Charitas inchoativa quid sit? 103. 132.
S. Chrysostomus nusquam negavit neceſsitatem Confeſsionis Sacerdotibus faciendæ. 190. 191.
Clavium potestas quid sit? 319.
Clerici majores a solemni pœnitentia immunes erant post III. sæculum. 258.
Immo etiam III. sæculo. 259.
Communio sæpe apud Veteres significat participationem Eucharistiæ, vel canonicam reconciliationem cum Ecclesia. 69.
Communicatio idem apud S. Cyprianum significat. 72.
Communio Sanctorum quid sit? 295.
Concubinæ nomine quid in Scripturis intelligatur? 392.
Confeſsarii Principum VIII. sæculo. 163.
Confeſsarius habere debet notitiam veterum Canonum pœnitentialium. 237.
Confeſsio Sacramentalis quid sit? 148.
Quotuplex sit? 150.
Confeſsio Sacramentalis omnium peccatorum gravium semper viguit in Ecclesia Dei. 153. & seq.
Jure divino præcepta est. 165. & seq.
Confeſsionis Sacramentalis difficultas atque usus perpetuus manifeste arguunt, eam jure divino eſse præceptam. 170.
Confeſsio Sacramentalis omnium peccatorum gravium quot annis facienda, est etiam juris Ecclesiastici. 171.
Non tamen Confeſsio peccatorum levium. 172.

Confeſsionis annuæ præcepto satisfaciunt illi, qui Sacerdoti cuicunque ex approbatis confitentur. 175.
Confeſsio publica occultorum criminum numquam fuit Ecclesiastica lege præcepta. 178.
Quin immo neque etiam publica confeſsio publicorum criminum. 181.
Confeſsionis Sacramentalis usus viget etiamnum apud Christianos Orientales. 183.
Confeſsionis Sacramentalis quare mentionem plerumque non fecerint Biographi veteres, & Apologistæ? 184.
Conjugum jus omnino æquale est in his quæ ad matrimonium pertinent. 400.
Conjugum jus in causa divortii est æquale. 418.
Consistentium statio. 250.
Contritio in genere quid sit? 78.
Contritionis proprietates. 79.
Contritio perfecta & imperfecta quid sit? 80.
Contritio perfecta in quo differat ab attritione? 81.
Contritio perfecta peccatorem etiam extra Sacramentum semper justificat. 83.
Contritio perfecta, quamvis non sit intensa sed remiſsa, semper peccatorem justificat, modo sit appretiative summa. 88. & seq.
Contritio perfecta non est neceſsaria ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ. 125.
Neque neceſsaria est ad illam contritio, qua Deus super omnia propter se diligitur, quamvis in gradu remiſso. 127.
S. Cyprianus in gratiam Martyrum qui lapsis libellos dederant, quid statuerit? 69.
S. Cyprianus nusquam docuit, satisfactionem neceſsario præmittendam eſse absolutioni Sacramentali. 214.

D.

Divortium ob quas causas fieri poſsit? 418.
Divortium perpetuum ob solam fornicationem fieri potest. 419. 428.

Durandus Sacramento Matrimonii non denegavit vim causandi gratiam. 333.

E.

Ecclesia damnatis ad mortem Sacramentum Pœnitentiæ non denegavit. 66.

Graviſsimorum criminum reis vere pœnitentibus veniam indulsit. 68.

Gravium criminum reis, qui ad ultimam usque vitæ periodum pœnitentiam distulerant, Sacramentalem absolutionem non denegavit. 71.

Neque etiam Relapsis. 73.

Ecclesia detestatur matrimonia Catholicorum cum hæreticis: adeoque locum hic non habet præscriptio per contrariam consuetudinem. 409.

Ecclesia potestatem habet ſtatuendi impedimenta Matrimonii. 440.

Atque hac potestate ſemper est usa, nemine contradicente. 441.

Ecclesia potestatem habet dispensandi in his impedimentis. 443.

Exomologesis quid apud Veteres ſignificet? 149.

F.

Flentium ſtatio. 250.

Florentinum in Decreto pro Armenis loquitur de Matrimonio Fidelium, ut est Sacramentum. 354.

G.

Gallicana Ecclesia numquam in Regibus ſuis agnovit potestatem ſtatuendi impedimenta Matrimonii. 452.

Gallicana Parlamenta quid nomine raptus intelligant? 453.

Gastonis Aurelian. Ducis matrimonium cum Margaretha Lotharingica. 454.

Græci cur raro confiteantur? 183.

Græci Matrimonium pro vero novæ Legis Sacramento ſemper habuerunt. 338.

Græcorum error circa diſsolubilitatem Matrimonii. 395.

Non

Non videtur clare & explicite ab Ecclesia proscriptus tamquam hæreticus. 405.
Quamvis alii aliter sentiant. 404.
S. Gregorii Neocæsariensis Epistolæ Canon. XI. suppositicius non est. 249.
Guilielmi Parisiensis opinio de forma Sacramenti Matrimonii. 395.

H.

S. Hieronymus secundas & ulteriores nuptias numquam damnavit. 387.

I.

Jansenii Corn. Iprensis doctrina de attritione ex metu pœnarum. 106.
Jansenianorum rigor erga pœnitentes. 202.
Impositio manuum non est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ. 18.
Indulgentia quid sit? 275.
Quotuplex sit? 276. 278.
Indulgentias conferendi Ecclesia a Christo potestatem accepit. 288.
Indulgentias concesit Ecclesia ab omni retro ætate. 289. & seq.
Indulgentiarum thesaurus coalescit ex meritis Christi. 294.
Et Sanctorum. 295.
Quæ ad thesaurum Ecclesiæ concurrunt per modum etiam solutionis & pretii. 297.
Indulgentiæ liberant hominem a pœna temporali coram Deo & Ecclesia. 299.
Eamque vere remittunt. 300.
Indulgentiæ utiles sunt etiam perfectis. 302.
Indulgentias plenarias solus Romanus Pontifex concedere potest. 304.
Partiales vero Episcopi pro sua diœcesi. 305.
Non tamen Abbates & Prælati Religiosorum sine speciali privilegio. 306.
Indulgentiæ ut valide concedantur, requiritur causa justa. 307.

Quæ ſit Indulgentiæ proportionata. 308.
Ad Indulgentiæ concedendæ causam juſtam & proportionatam quid requiritur? 309.
Ad Indulgentias lucrandas in ſuſcipiente quid requiratur? 311.
Ad Indulgentias lucrandas an & quando requiratur Confeſsio Sacramentalis? 312.
Indulgentiam plenariam non lucratur, qui ſollicitus non est ut Deo ſatisfaciat per opera bona ſatisfactoria facultati & infirmitati propriæ peccatoris proportionata. 313.
Indulgentiæ prosunt defunctis nondum plene purgatis. 315.
Non quidem per modum absolutionis. 316.
Sed per modum ſuffragii ſatisfactorii. 317.
Indulgentiæ ut defunctis prosint, quid requiratur? 318.
Indulgentias defunctis prodeſse ex congruo tantum, & ex benignitate Dei quidam contendunt. 320.
Alii vero ex condigno & infallibiliter. 322.
Indulgentiæ nostri ævi eædem ſunt quoad ſubstantiam cum iis, quæ in veteri Ecclesia concedebantur. 325.
Indulgentiæ non emuntur, licet quandoque pecunia præscribatur in causas pias eroganda. 325.
Infidelis invalide contrahit matrimonium cum alio, priusquam conversus ad alias nuptias transierit. 407.
Joannis VIII. Epistola ad Ederedum a Launojo interpolata. 434.
Irregularitas cur a Digamis contrahatur? 388.
Jubilæum quid ſit, & a quo renovatum? 277.
Judæorum uxores repudiatæ valide & licite transire poterant ad alias nuptias. 410.
Justus potest de condigno ſatisfacere pro pœna temporali. 239.
Quamvis ſatisfactio justi non ſit ad omnes justitiæ apices exacta. 241.

L.

Launoii Joan. doctrina de potestate Principum in Matrimonia. 439.

Lutheri Mart. errores de Sacramento Pœnitentiæ. 4.
De materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ. 16.
De Attritione. 105.
De Confeſsione auriculari. 152.
De Satisfactione. 226.
De Indulgentiis. 283.
De Matrimonio. 332.
De Polygamia ſimultanea. 366.
De Matrimonii ſolubilitate. 396.
De poteſtate ſtatuendi impedimenta Matrimonii. 409.
Lutheranæ tragœdiæ occasio. 280.
Lutheri initia. 281.
Ejus versipellis animus & obstinatio. 288.
Romæ a Leone X. damnatur. 283.
Ejus furor in Romanum Pontificem. 284.
Philippo Haſsiæ Landgravio alterum permittit matrimonium, vivente adhuc prima conjuge. 366.

M.

Martyres libellos dando, petebant relaxationem pœnarum canonicarum. 324.
Matrimonium contrahere, aut jam ante contracto uti nefas erat iis, qui pœnitentiam ſolemnem egerant. 254.
Matrimonium repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesia. 328. 403.
Ante Legem Evangelicam non fuit verum Sacramentum. 329.
In Lege Evangelica quid conferat? 330.
Quo tempore a Christo elevatum ſit ad dignitatem Sacramenti? 331.
Matrimonium est de ſe licitum & honestum. 334.
Verumque novæ Legis Sacramentum. 335.
Matrimonii usus ſolius delectationis causa, culpa veniali non caret. 339.
Atque etiam ad vitandum in ſe incontinentiæ periculum. 340.
Matrimonium non est medium a Deo ordinatum ad vitandam incontinentiam. 344.

Matrimonii materia est legitimus contrahentium consensus. 345.
Forma, non sunt verba Sacerdotis. 347.
Sed verba vel signa, quibus ipsi contrahentes consensum suum exprimunt. 351.
Minister non est Sacerdos, sed ipsi contrahentes. 354. & seq.
Matrimonium verum stare potest cum perpetua continentia. 364.
Matrimonium legitimum quid sit, ratum, ac consummatum? 394.
Matrimonium consummatum fidelium nulla umquam de causa, ne adulterii quidem, dissolvi potest quoad vinculum. 398. & seq.
Matrimonium ratum vel etiam consummatum Infidelium dirimitur quoad vinculum per conversionem unius conjugis ad fidem Christianam. 406.
Matrimonium Fidelium quoad vinculum non dirimitur per lapsum unius conjugum in hæresin vel Paganismum. 408.
Matrimonia Catholicorum cum hæreticis valida sunt, sed ordinarie graviter illicita. 409.
Matrimonium in Lege veteri per libellum repudii dissolvebatur quoad vinculum. 410.
Matrimonii vinculum per se non est omnino indissolubile jure naturali proprie ac stricte dicto. 414.
Sed jure tantum divino positivo. 415.
Matrimonium quoad thorum & cohabitationem dirimi potest fornicationis causa. 417.
Atque ob plures etiam gravesque causas. 418.
Matrimonium Fidelium ratum, non consummatum, dirimitur quoad vinculum per solemnem professionem in Religione approbata. 420.
Matrimonii impedimenta statuere potest Ecclesia. 440.
Merita Sanctorum inter & merita Christi latum est discrimen. 296.
Montani errores. 49. 279. 366.

N.

Nectarius CPolitanus non abrogavit Confeſsionem Sacramentalem, ſed Presbyterum pœnitentiarium. 194.
S. Nicolaus I. ut validum agnovit matrimonium ſolo contrahentium consensu clam celebratum. 359.
S. Nicolai Mystici lites cum Leone Imp. ob quartas nuptias. 373.
Notoria peccata notorietate juris & facti, ac famosa quænam dicantur? 267.
Novatianæ hæresis initia & errores. 50. 279.
Nuptiæ ſecundæ de ſe licitæ & honestæ ſunt. 367.
Atque etiam tertiæ & ulteriores. 371.
Nuptiæ tertiæ plerumque, ulteriores vero ſemper in Ecclesia Græca ſunt illicitæ & invalidæ jure Ecclesiastico. 373.
Quæ disciplina ſæculo X. non est antiquior. 373. 374.
Nuptiis ſecundis Ecclesia cur deneget ſolemnem benedictionem? 388.
Nuptiæ ſecundæ ſignificant conjunctionem Christi cum Ecclesia, ſed minus perfecte ac primæ. 389.

O.

Osma Petri doctrina in Hispaniis & Romæ proscribitur. 151.

P.

Parochus ſolus venit nomine *proprii* Sacerdotis. 174.
Salva tamen Rom. Pontificis & Episcoporum authoritate. 175.
Parochus impedire non potest, ne ſui ſubditi tempore Paschali cuicunque Sacerdoti ex approbatis confiteantur. 176.
Patriarchæ veteres ob pluralitatem uxorum accusari nequeunt adulterii ſive formalis ſive materialis. 377. 380.
Peccata post Baptismum commiſsa ſunt materia remota Sacramenti Pœnitentiæ. 13.
Mortalia ſunt materia neceſsaria. 14.

Venialia ſunt materia ſufficiens & libera. 15.
Peccata jam remiſsa poſsunt ſæpius condonari. 33.
Peccata venialia remitti nequeunt absque pœnitentia ſaltem virtuali. 38.
Peccata omnia quantumcunque gravia in Sacramento Pœnitentiæ rite dispositis remittuntur. 52. & ſeq.
Peccatum irremiſsibile quodnam, & quo ſensu in Scripturis dicatur? 63.
S. Pius V. damnatis ad mortem administrari juſsit etiam Eucharistiam. 66.
Pœna temporalis quæ post dimiſsam culpam luenda ſuperest, potest redimi bonis operibus. 229.
Non tamen ſemper. 228.
Pœnitentia in genere quid ſit? 1.
Ut virtus? 2.
Ut Sacramentum? 3.
Pœnitentia verum est novæ Legis Sacramentum. V.
A Baptismo, ejusque memoria distinctum. 9.
Pœnitentiæ Sacramenti materia remota non ſunt peccata ante Baptismum. 12.
Sed post Baptismum commiſsa. 13.
Mortalia ſunt materia neceſsaria. 14.
Pœnitentiæ Sacramenti materia proxima non ſunt terrores conscientiæ incuſsi. 16.
Nec mortificatio ac vivificatio in ſensu Calvini. 17.
Nec impositio manuum. 18.
Sed contritio, confeſsio, & ſatisfactio. 20.
Forma ſunt verba Sacerdotis. 25.
Forma deprecativa primis XII. ſæculis apud Latinos in usu fuit. 26.
Atque etiamnum adhibetur apud Græcos. 27.
Forma deprecativa, ſpectata institutione Christi, non obest valori Sacramenti Pœnitentiæ. 28.
Ad licentiam tamen requiritur indicativa. 29.
Forma deprecativa est etiam actus judicii. 30.
Pœnitentiæ Sacramentum iterari potest. 31.
Etiam circa peccata in Confeſsione jam exposita & remiſsa. 32.

Pœnitentia ut virtus ſemper fuit neceſsaria ad ſalutem neceſsitate medii & præcepti. 34.

Pœnitentiæ Sacramentum omnibus post Baptismum in grave peccatum lapsis est neceſsarium neceſsitate medii & præcepti in re vel in voto. 36. 37.

Pœnitentiales libri antiquiſsimi ostendunt, usum Confeſsionis Sacramentalis ſemper viguiſse in Ecclesia Dei. 162.

Pœnitentia publica ac ſolemnis, quæ quatuor gradibus constat, post tempora Nectarii CPoli numquam amplius viguit. 199.

Pœnitentia publica, ſolemnis, & non ſolemnis quid ſit? 247.

Pœnitentia ſolemnis ſæculo I. & II. in Ecclesia non viguit. 248.

Sed primum ſæculo III, instituta est post exortam hæresin Novatianam. 249.

Pœnitentiæ ſolemnis quatuor erant ſtationes. 250.

Pœnitentiæ ſolemnis non æquale tempus ſtatutum fuit pro omnibus. 251.

Pœnitentiam ſolemnem agentibus variæ ac difficiles pœnæ imponebantur. 252.

Pœnitentia ſolemnis ab eodem iterari non poterat. 253.

Pœnitentiam ſolemnem ſolus Episcopus imponebat, ac pœnitentia functos Ecclesiæ reconciliabat. 254.

Pœnitentiam ſolemnem imponendi tempus & ritus. 255.

Pœnitentia ſolemni functos tempus & ritus Ecclesiæ reconciliandi. 256.

Pœnitentiæ publicæ ac ſolemni non ſubdebantur omnia peccata mortalia. 262.

Neque peccata ſecreta & occulta, quamtumvis canonica. 267.

A Pœnitentia publica & ſolemni quinam fuerint immunes? 273.

Pœnitentia ſolemnis quando fuerit abrogata? 274.

Pœnitentiarii Sacerdotis munus in veteri Ecclesia quodnam fuerit? 194.

Pœnitens tenetur rationabilem pœnitentiam a Sacerdote ſibi impoſitam acceptare & implere. 238.

Poly-

Polygamia quid sit? 365.
Polygamia simultanea in Lege Evangelica est illicita & invalida. 375.
In Lege veteri tamen, ac post diluvium fuit a Deo permissa. 376.
Polygamia simultanea ante adventum Christi permissa fuit etiam Gentilibus. 381.
A Christo tamen fuit postea ipsis prohibita. 382.
Polygamia simultanea ratione sui, præscindendo a lege divina positiva, non est jure naturali illicita ac invalida. 383.
Pontifex Romanus potestatem a Christo accepit dispensandi in matrimonio rato. 426.
Solus dispensare potest in impedimentis matrimonii. 443.
Principes laici pro subditis suis infidelibus possunt introducere impedimenta Matrimonium dirimentia. 444.
Atque etiam pro subditis suis fidelibus, quantum ad effectus aliquos civiles. 445.
Sed impedimenta statuere nequeunt, quæ matrimonium fidelium dirimant in ratione Sacramenti. 446.
Neque prout est contractus civilis, & quoad vinculum. 447.
Principi infideli multo minus competit potestas statuendi impedimenta matrimonii pro subditis suis fidelibus. 449.
Professio religiosa solemnis dirimit quoad vinculum matrimonium fidelium ratum, non consummatum. 421.
Non quidem Jure naturali. 424.
Aut Jure positivo divino. 425.
Sed immediate Jure Ecclesiastico. 426.

Q.

Quesnelli Paschasii propositiones de timore pœnarum a Clemente XI. proscriptæ. 112. 119.

De Satisfactione neceſsario præmittenda absolutioni Sacramentali. 206.

R.

Relapsis pœnitentibus in veteri Ecclesia non fuit denegata absolutio Sacramentalis, ſed pœnitentia publica. 73.

Neque tamen optabilior idcirco erat eorum conditio. 74.

Remiſsio pœnæ temporalis gratuita est, quamvis pro ea ſatisfaciamus. 242.

S.

Sacerdos non est minister Sacramenti Matrimonii. 354.

Quamvis ſit minister ſolemnitatis. 359.

Sacerdotes in Sacramento Pœnitentiæ exercent potestatem judiciariam. 164. 165.

Sancti an & quo ſensu dici poſsint Redemptores? 296.

Satisfactio non est pars eſsentialis Sacramenti Pœnitentiæ. 23.

Satisfactio jure divino præmittenda non est absolutioni. 204.

Satisfactio quid ſit? 220.

Et quotuplex? 221.

Satisfactio de condigno quas conditiones exigat? 222.

Satisfactio est quam maxime utilis. 225.

Satisfactio justi est vere compensatoria pœnæ temporalis pro peccato dimiſso debitæ. 231.

Satisfactio est lapsis jure divino neceſsaria ad reparandam injuriam Deo illatam. 232.

Satisfactio imponenda est pœnitenti a Sacerdote. 235.

Gravitati criminum proportionata. 236.

Juxta leges tamen prudentiæ & discretionis. 237.

Satisfactio rationabilis a Confeſsario imposita, acceptari & impleri debet a pœnitente. 238.

Satisfactiones noſtræ nihil derogant ſatisfactionibus Christi. 244. & ſeq.

Satisfactiones Sanctorum qua ratione absque injuria Christi nobis applicentur? 296.

Scho-

Scholastici veteres agnoverunt Confeſsionem peccatorum Sacerdoti Jure divino faciendam eſse. 193.
Scholastici veteres quid ſenserint de Ministro Matrimonii? 356.
Scoti opinio circa materiam proximam Sacramenti Pœnitentiæ rejicitur. 21.
Scrupulorum morbus cur posterioribus temporibus familiaris eſse cœperit? 187.
Substratorum ſtatio. 250.

T.

Theologia Casuistica cur ſæculo XIII. diligentius excoli cœperit? 186.
Timor filialis quid ſit, ſimpliciter ſervilis, & ſerviliter ſervilis? 104.
Timor pœnæ æternæ ſimpliciter ſervilis, bonus est, utilis, honestus. 108. & ſeq.
Potest positive excludere omnem voluntatem peccandi. 114.
Tridentinum Concilium cur expreſse & clare non definierit, matrimonium eſse indiſsolubile quoad vinculum, etiam in causa adulterii? 405.

V.

Valentinianus I. Lege lata polygamiam non permisit. 391.
Votorum ſolemnitas est Juris mere Ecclesiastici. 425.

W.

Waldenses ante ſæculum XVI. non negarunt Confeſsionis auricularis neceſsitatem. 151.
Wickleffi Joan. errores de Confeſsione auriculari. 151.
De Indulgentiis. 279.

O. A. M. D. G.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA W TORUNIU

Biblioteka Główna UMK
300020637760

403014

Biblioteka
Główna
UMK Toruń
493914